This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.


+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

8/G A.2378



Digitized by Google

CE
81
.A844

Digitized by Google

Digitized by Google

KALENDARIA
ECCLESIÆ UNIVERSÆ
TOMUS PRIMUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

KALENDARIA
ECCLESIÆ UNIVERSÆ
IN QUIBUS

TUM EX VETUSTIS MARMORIBUS, TUM EX CODICIBUS, TABULIS, PARIETINIS, PICTIS, SCRIPTIS, SCALPTISVE, SANCTORUM NOMINA, IMAGINES, ET FESTI PER ANNUM DIES

ECCLESIARUM ORIENTIS, ET OCCIDENTIS,

PRÆMISSIS UNIUSCUJUSQUE ECCLESIÆ ORIGINIBUS RECENSENTUR, DESCRIBUNTUR, NOTISQUE ILLUSTRANTUR

STUDIO, ET OPERA

Giuseppe Simone, 1687-1768

JOSEPHI SIMONII ASSEMANI

BIBLIOTHECÆ VATICANÆ PRÆFECTI, ET SACROSANCTÆ BASILICÆ PRINCIPIS APOSTOLORUM DE URBE CANONICI.

TOMUS PRIMUS.

KALENDARIA ECCLESIÆ SLAVICÆ, SIVE GRÆCO-MOSCHÆ.

ROMÆ, MDCCLV.

SUMPTIBUS FAUSTI AMIDEI BIBLIOPOLÆ IN VIA CURSUS.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Librar.
Bocca
10-11-24
10911
6V.

Digitized by Google

SANCTISSIMO PATRI

BENEDICTO XIV.

PONT. OPT. MAX.

JOSEPH SIMONIUS ASSEMANUS

SEMPITERNAM FELICITATEM.

QUod poſt editos ſub tuis Auſpiciis Sancti Ephræmi Syri ſex Tomos aggreſſus ſum de Kalendariis Ec-

cleſiæ

Digitized by Google

cleſiæ Univerſæ, deque ſacris Imaginibus opus, Sanctissime Pater, non ingratum Tibi fore confido, cum ob tuum in literas omnes, ac præſertim ſacras, ſtudium, & amorem, tum ob argumenti ipſius dignitatem cum aliqua novitate conjunctam.

Jam quidem tot alii præſtantiſſimi Auctores doctiſſimas lucubrationes ediderunt de Sanctorum, Imaginumque cultu: tot inſuper tum vetuſta, tum nova in lucem hominum prodierunt Martyrologia, Menologia, & quibuſcumque aliis appellentur nominibus ampliſſima de rebus Sanctorum geſtis

ſtis Commentaria : ſuum denique Neapolitanæ Eccleſiæ antiquiſſimum Kalendarium, ſuas Ephemerides Græco-Moſchas, ſuos alterius cujuſvis Orientalis ſive Occidentalis Eccleſiæ Faſtos docti Viri evulgarunt, notiſque illuſtrarunt. Verumtamen una nobis relicta erat, non unius aut alterius, ſed totius, quæ ſub cœlo eſt, Eccleſiæ, in unum veluti conſpectum redigenda imago, quæ ſive ſcriptis, ſive picturis, ſive opere anaglypho, quoſcumque olim aut Sanctos, aut Feſtos per anni circulum dies coluere, & nunc etiam colunt in univerſo terrarum Orbe Chriſtianæ

Digitized by Google

gentes, in membranis, marmoribus, tabulis, parietibus, metallis repræſentaret. Novum hoc ſcribendi genus, ex antiquis ſacris Ædibus, Cimeliis, Codicibus petitum, quin æquis rerum æſtimatoribus ſit placiturum, dubium mihi non eſt. Sic enim & antiqua circa hanc Eccleſiaſticam diſciplinam, ab ipſis Chriſtianæ Religionis primordiis ad noſtram uſque ætatem perducta traditio ob oculos ponitur; & nationum omnium, ſive quæ Communionem Sanctæ Sedis Apoſtolicæ amplectuntur, ſive quæ ob hæreſim vel ſchiſma ab ea ſejunctæ ſunt, compendiaria perte-

Digitized by Google

xitur hiſtoria; & eorum, qui extra Catholicæ Eccleſiæ Communionem vixerunt, quoſque Sectarii ſpecioſiſſimis Sanctimoniæ titulis exornant, ætas demonſtratur, res geſtæ indicantur, & vitia notantur, propter quæ ab iis, qui veræ Sanctimoniæ laudem apud orthodoxos ſunt conſequuti, tamquam lolium a frumento, & lupi ab ovibus, ſecernuntur.

Quis autem juſtus ſacrarum iſtiuſmodi rerum æſtimator, æque ac Sanctitas Tua, Pater Beatissime, cujus judicio, cum ob ſummam, qua polles, tamquam Jeſu Chriſti Domini noſtri vices in terris gerens, auctoritatem, tum ob eximiam, qua cunctos facile

antecellis, diſciplinarum Eccleſiaſticarum ſcientiam, omnigena cum eruditione conjunctam, tam in his, de quibus agitur, quam in cæteris quibuſcumque facultatibus, maxime deferendum eſſe, nemo eſt, qui non intelligat. Teſtantur hoc alia ingenii tui præſtantiſſima monumenta, omnium conſenſu ita probata, ut qui judicium ferre poſſunt, multiplicem in illis doctrinam admirentur; ſed præſertim in ore omnium verſantur Libri ſapienter a Te conſcripti, de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione, in quibus non modo hoc ipſum, quod ego exponendum ſuſcepi, de Sanctorum Faſtis, &

Digitized by Google

Imaginibus argumentum uberrime a Te pertractatur ; verum etiam ratio Canonizationis Sanctorum inſtituendæ, quam difficilem quidem prius, implicatamque vetuſtas omnis querebatur ; nunc vero ſapienter editis quatuor operoſis Voluminibus, adeo planam ac tutam effeciſti, ut ſublatis impedimentis omnibus nihil arduum, nihil dubium ſupereſſe videatur. Novus autem in ſacris literis ac peregrinus eſſet, qui in eximiis illis Tuis Inſtitutionibus non perſpiceret congeſta omnia, quæ poſſint Eccleſiaſticam diſciplinam illuſtrare, eamque, ubi in aliqua ſui parte a primævo ſplendore excidiſſet, in priſtinum re-

vocare, & morum corruptelas evellere, nimirum pulcherrimam Antiquitatis imaginem excitare, quam negligentia hominum & ignorantia diuturnitate temporis deformaſſent. Quid dicam de Commentariis illis, quos de Domini noſtri Jeſu Chriſti, Matriſque ejus Feſtis, deque incruento Miſſæ Sacrificio conſcripſiſti? Quid de aureo illo volumine, nuper a Te in lucem emiſſo, in quo plane & perſpicue doces, quibus de cauſis, & qua ratione ſint Concilia celebranda, & quibus de Eccleſiaſticis negotiis debeant in iis ſacri Præſules, & quo ordine pertractare? Quid poſtremo de Bullis, Brevibus, Literis

Digitized by Google

Encyclicis, & reliquis Pontificiis Conſtitutionibus, quibus ut in urbe Roma, totaque Pontificia ditione, unicuique juſtitia probe adminiſtraretur, omnem operam ac ſtudium contuliſti? Sed neque populorum, qui ab Urbe totius orbis terrarum principe remotiſſimi ſunt, neque Orientalium Eccleſiarum curam ſuſcipere neglexiſti: id quod ex iis ipſis conſpici poteſt duobus præclaris Libris, quos, exemplo ductus Deceſſorum tuorum Summorum Pontificum, typis committi permiſiſti. Jam vero quantus in hiſce Tuis præſtantiſſimis ſcriptis, Eccleſiæ Ordinibus ſplendor, quanta rebus ſacris amplitudo ac

digni-

Digitized by Google

dignitas, quanta Chriſtiano populo utilitas ventura ſit, facili negotio perſpicitur. Ex iis nempe, velut ex uberrimo fonte, ſua omnia deſumunt ii, qui res Eccleſiaſticas quoquo modo illuſtrare conantur. Adeo nihil reliquiſti: nihil temere, nihil inconſulto a Te profertur, ſed omnia certiſſimis ex ſacra Antiquitate documentis ac teſtimoniis, & Eccleſiaſticæ omnigenæ eruditionis incredibili copia confirmantur. Nec hactenus accuratio tua ſtetit: nam & hoc ad Tuas laudes pertinere cenſeo, quod acre tuum judicium & conſuetam perſpicaciam, nihil eorum fugeret, quæ ad quaslibet

ſive

Digitized by Google

ſive de Fidei dogmatibus, ſive de ſacris Eccleſiæ Ritibus, ſive de omni penitioris doctrinæ ſubtilitate controverſias enucleandas conducere videntur: & ea quidem ſcribendi facilitate atque elegantia, quam Tibi miro quodam naturæ ſatu inſitam, ad difficillima quæque non minus perſpicuo, quam culto, ornatoque orationis filo explicanda, omnes merito ſuſpicimus.

Quamobrem reliquas Tuas doctiſſimas lucubrationes admirabitur quidem poſteritas; ſed potiſſimum hanc ego, quam de Sanctorum Feſtis atque Imaginibus tractationem inſtituiſti, tamquam ſuſcepto a me argumento

propriam ac ſingularem, ſummis laudibus celebrabo. Utinam vero, SANCTISSIME PATER, ex aſſidua ipſius lectione ita profecerim, ut aliquod tanto Magiſtro non indignum in publicam lucem proferam! Nimirum hunc primum Librum *de Eccleſiæ Slavicæ, ſive Græco-Moſchæ Kalendariis*, auguſtiſſimo Nomini tuo inſcriptum, ad tuos provolutus pedes offero, palamque omnibus facio, ſiquid recte, & ex ſententia in eo proceſſit, id totum præceptionibus ſanctiſſimis tuis acceptum referri; ſiquid contra ex antiquitatis Eccleſiaſticæ ignoratione peccatum fuit, me non refugere, quin id omne

in

Digitized by Google

in imperitiam meam rejiciatur.

Verum quod ego unum hunc Librum ex omnibus deſignaverim, quem Tuo ſub auſpicatiſſimo nomine primum in lucem *protraherem*, *cauſa non una* fuit. Nam quum ante hos tres annos vetus Eccleſiæ Slavicæ, ſive Græco-Moſchæ Kalendarium, abhinc annis fere quingentis literis Ruſſicis deſcriptum, pictiſque Sanctorum Imaginibus exornatum, ex teſtamento cl. Viri Marchionis Alexandri Gregorii Capponii in Bibliothecam Vaticanam unacum ſelectis Italicis omnium ſcientiarum impreſſis libris illatum eſſet; quumque idem Marchio paucis ante

Digitized by Google

obitum annis, pro eo, quo in omnem antiquitatem, præſertim vero ſacram, ſtudio incendebatur, juſſiſſet illud quantivis pretii cimelium perpetuo a me Commentario illuſtrari, ibi me ſane manum admovere primum oportuit, mox ad aliarum gentium Chriſtianarum Kalendaria progreſſurum. Sed in nuncupando Tibi primum hoc opere alia cauſa longe maxima occurſat, non eo tantum, quod de Ruthenica gente beneficiis innumeris a Te affecta, dicendi locus ſe ultro hic offerret: (quæ enim inveniri poteſt ſub cœlo natio, de qua non optime meruiſti?) verum quia ipſum hoc

Kalen-

Kalendarium Bibliothecæ Vaticanæ a Marchione Capponio addictum, me cœteroquin vix hiſcere aggredientem; (univerſum enim laudationis genus quam Tibi inviſum ſit, ſatis compertum omnibus exploratumque eſt:) ad enarranda tamen tua decora atque ornamenta excitat, qui eandem Bibliothecam magnifice largiterque exornaviſti. Jam quidem illam *Muſeo Carpineo* ditaveras. Jam Collectione Monetarum Summorum Pontificum, a quo tempore primæ quæque ad noſtram uſque ætatem cuſæ ſunt, locupletaveras. Jam Codices plurimos, & impreſſos &

manuſcriptos, Græcos, Latinos, Arabicos, Perſicos, Sinicos, in eandem inferri juſſeras. At (abſit verbo invidia) nihil illuſtrius, nihil pretioſius eo dono excogitari poteſt, quod ei nuper dediſti. Otthobonianos dico Codices manu exaratos, ter mille, tercentum, & amplius, tempore, numero, raritate, argumentis præſtantiſſimos, quorum acceſſione, Bibliotheca omnium Bibliothecarum cæteroquin ditiſſima, ſeipſa ditiorem ſe evaſiſſe gratulata eſt. Debet hoc Tibi Reſpublica Literaria, quod tantam tamque inſignem ſacræ profanæque Antiquitatis ſupellectilem, aſſiduo Alexandri VIII.

De-

Digitized by Google

Deceſſoris Tui ſtudio per annos fere ſexaginta ex univerſa Italia collectam, ab Urbe Mundi Regina in alias neſcio quas terras exulatum abire non permiſiſti. Debemus & nos qui Apoſtolicæ *Bibliothecæ tuo beneficio* præſumus, quod illam ſeipſa jam ſuperiorem effeciſti.

En quibus de cauſis id qualecumque eſt operis ac laboris, nomini Tuo nuncupandum cenſui. Quod eſt reliquum, Tuo ipſum patrocinio potentiſſimo tueri, ne dedigneris, SANCTISSIME PATER, dum ad tuos qua par eſt veneratione provolutus pedes, a Deo Opt. Max. precari non deſino, ut Pontificem virtutibus, doctrinis,

omni-

Digitized by Google

omnique laudum genere clariſſimum, ad Literarum decus, ad Reipublicæ Chriſtianæ bonum, ad Sacrorum ornamentum, diutiſſime nobis ſervet, atque incolumem tueatur.

JOSE-

Digitized by Google

JOSEPHI SIMONII
ASSEMANI
BIBLIOTHECÆ VATICANÆ PRÆFECTI

Et Sacroſanctæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe Canonici.

PRÆFATIO

In primum Librum de Kalendariis Eccleſiæ Slavicæ, ſive Græco-Moſchæ.

SI qui hactenus honeſta quadam æmulatione non Literariam modo Rempublicam, ſed & Chriſtianam pietatem juvare ſibi propoſuerunt, hi profecto in eo laborem operamque ſuam contulere, ut quidquid ad Eccleſiaſticas Antiquitates illuſtrandas conduceret, e tenebris erutum, in publicam Eruditorum lucem proferrent. Id enim, qualecumque ſit, ſive literis exaratum, ſive tabulis, marmoribuſque inciſum, ſive tandem muſivis, pictiſque coloribus expreſſum, & priſcorum Eccleſiæ procerum fidem, & propagatæ Religionis Orthodoxæ hiſtoriam, poſteris demonſtrat. Sed quod majores noſtri temporibus ſuis gratulabantur, ſi vel unum ſacrorum ejuſmodi

modi monumentorum, ſummo ſtudio ab Eruditis perquiſitum, ad communem piorum utilitatem evulgaretur; potiori nos jure felicitatem ætatis noſtræ prædicare, atque extollere poſſumus, quibus, Deo favente, contigit, omnes fere linguarum omnium Eccleſiaſticas opes, ſcriptas, ſculptas, pictas, ex univerſi Orbis Bibliothecis, Archivis, latebris expromptas, Apoſtolicæ præſertim Sedis, religioſorumque Europæ Principum beneficio, nec non doctorum virorum ſumma cura, in publicis Muſeis expoſitas, volutare. Enim vero in tanto nos lumine ſcientiarum omnis generis, Auctorum cujuſcumque gentis, & Eccleſiarum, quæ ubique terrarum ſunt, conſtitutos videmus, ut nihil ulterius deſiderari poſſe, aut ſperari videatur. Ita in publicis Bibliothecis, & in ipſis propemodum librariis officinis, privatiſque ædibus, jam nobis licet, ſumma cum animi voluptate oculis intueri, manibus contrectare, animo contemplari quæcumque ad omnigenam ſacrorum eruditionem faciunt: ut profanam omittam, cujus vel ipſa rudera, a Viris ſtudioſis diligentiſſime conquiſita, a laudatiſſimis Regibus, nulla maximorum ſumtuum habita ratione, e terræ viſceribus eruta, veluti ævo ſempiterno fruitura, in magnificis Cimeliarchiis collocata conſpicimus. Sunt illi quidem poſterorum fama digni, qui in

con-

Digitized by Google

congerenda tam pretioſa doctrinarum, ut ita dicam, ſupellectile, opes, facultateſque ſuas impendunt: quippe qui nihil magis ſpectant, quam ut plurimos juvare poſſint: eoque fit, ut quemadmodum ſacros, profanoſque iſtiuſmodi foetus, a præſtantiſſimis ingeniis editos, ipſi ab interitu vindicare conantur; ſic apud omnes, fama veri conſcia, tamdiu vivant, quamdiu piorum, ſtudioſorumque genus conſiſtet.

Hæc quum ita ſint, quumque multi Principes Viri in multis Italiæ, atque Europæ partibus, hanc ſtudiorum partem ornandam, illuſtrandamque dudum ſuſceperint, atque etiam in dies ſuſcipiant; ſupremam tamen manum tanto operi, poſt Sanctiſſimum Pontificem Clementem XII., impoſuiſſe in capite totius Orbis terrarum Roma, noſtris hiſce temporibus videtur BENEDICTUS XIV. Pontifex Optimus Maximus, qui Urbem, ſacris profaniſque monumentis ceteroqui Deceſſoris ſui beneficio ditiſſimam, nova nuper, lectiſſimaque acceſſione locupletavit. Non enim ſatis habuit, ampliſſimis illam, ſumtuoſiſſimiſque ornare ædificiis, quæ in hanc rerum dominam civitatem, fama eorum exciti, convenientes eruditi hoſpites, ſuſpiciunt; niſi etiam exquiſitas pulcherrimarum artium admirandæ Antiquitatis reliquias, in Bibliothecam Vaticanam, & in Muſeum Capitolinum, ad au-

d gen-

Digitized by Google

gendum utriuſque ornatum, inferret: Codices, inquam, manu exaratos Otthobonianos termille tercentum, & amplius, admirandæ vetuſtatis, & profundæ eruditionis: aurea, argentea, ærea numiſmata Summorum Pontificum, Imperatorum Romanorum, Regum Græciæ, Syriæ, Ægypti: autographa diplomata in membranis, & in papyro: marmoreas, æneaſque ſtatuas, anaglyphas, inciſas in gemmis, impreſſas in vitri fragmentis Imagines: & alia præclara Antiquitatis monumenta, quibus ſingillatim recenſendis, enucleandis, & illuſtrandis non unum ſuffecerit volumen.

Æquali cura, ac pari ſollicitudine Magnus ille Clemens XI., numquam mihi ſine ſummis laudum præconiis memorandus, tum domeſticis Anteceſſorum ſuorum Pontificum exemplis excitatus, tum beneficentiſſimi in omnes animi ſui propenſione, ut quidquid ad Catholicæ Fidei, doctrinæque conſervationem, & incrementum pertineret, id totum in eadem Apoſtolica Bibliotheca præſto eſſet, jam antea cogitationem ſtudiumque ſuum ad colligendos ex interiori Ægypto, Syriæque, ac Græciæ angulis manuſcriptos Codices converterat, Græcos præſertim, Syriacos, Arabicos, Copticos, & Armenicos, in quibus, uno veluti conſpectu, ipſa Eccleſiarum omnium Orientalium facies ſpe-

ſpectanda exhiberetur. Sed quid ego hæc de optimis hiſce, aliiſque ſapientiſſimis Pontificibus commemorem, qui urbium Reginam ad iſtam, quam videmus, rerum amplitudinem extulere, quum nota omnibus ſint & comperta, quumque doctos Viros ad ea propius contemplanda, & in ſuos commentarios referenda, ex ultimis Europæ finibus huc quotidie adventare conſpiciamus?

Itaque, his in præſenti omiſſis, id enarrandum aggredimur, quod in noſtram quidem Bibliothecam Vaticanam unacum ſelectiſſimis ter mille quingentis, & amplius, Italicis omnium artium, omniumque ſcientiarum impreſſis Libris, ex teſtamento Clariſſimi Viri, mihique, dum viveret, amiciſſimi, Marchionis Alexandri Gregorii Capponii, nuper eſt invectum, quodque ille per literas ad amicos non ſemel ſignificaverat, in promtu eſſe, ut publicam in lucem, commentariis qualibuſcumque a me, cui id onus ipſe demandaverat, illuſtratum, quamprimum exiret; ſed hactenus prodire nequivit, tametſi Vir ille præſtantiſſimus, ſacrarum æque ac profanarum Antiquitatum ſtudioſiſſimus, vehementiſſime id ipſum cuperet, urgeretque. *Tabulas* dico, ſive *Ephemerides*, *Græco-Moſchas*, non minus voluptate oculos, quam animum eruditione afficientes, quas ille quidem, non modi-

co ſoluto pretio, avide, ut ſolebat, comparaverat. Ita nimirum ad præclara quæque perficienda Vir nobiliſſimus Capponius & ſuapte natura proclivis erat, & majorum ſuorum exemplo incitatus, ut quaſcumque reperire poterat ſeu ſacras, ſeu profanas Eruditorum veterum gazas, nullis parcens ſumtibus, in Muſeum induceret ſuum, & cum Orbe literario magna largitate communicaret: nimirum, Majorum domi militiæque clariſſimorum ſtudia æmulatus, quorum unus celebritate nominis eximius *Ginus* (1) Pandectas a Piſanis Amalphi repertos, Piſis poſt longam obſidionem ſtrenue expugnatis, Florentiam tranſtulit, ubi pro Auguſta Medicææ Domus magnificentia, in Muſeo Magni Ducis collocati, Juriſprudentiam Romanam veluti poſtliminio reddiderunt: alter Purpura, ſacriſque literis non minus inſignis, Aloyſius (2), Vaticanam Bibliothecam, cui digniſſime præerat, præſtantiſſimis Codicibus ditavit. Enimvero Capponium noſtrum curam diligentiamque ſuam non in aliam rem contuliſſe, quam ut alienis, non ſuis commodis ſerviret, ad memoriam æter-

1 Politian. lib. 2. Epiſt. 4. Gravin. de ortu & progreſſu Jur. Civil. cap. 140. Mabillon. in Itinere Italico pag. 185. ubi de Pandectis Florentinis. Idem pag. 187. teſtatur, ſe in Bibliotheca Laurentiana Florentiæ legiſſe Librum Matthæi Palmerii de captivitate Piſarum, cui præfixa eſt ejuſdem Auctoris epiſtola *Magno & ſpectato viro Nerio Capponio*.

2 Angel. Roccha de Bibliothec. Vatican. Ciaccon. in Vitis Pontificum, & Cardinalium Tom. 4. pag. 421.

æternitatis duratura monumenta teſtantur, quæ largo undique ſumtu ad communem Eruditorum utilitatem collegit; quæ vivens calamo deſcribi, in æs incidi, ac prælo excuſa repræſentari, publicique juris fieri voluit; quæ demum moriens, non intra domeſticos parietes includi, ſed partim in Bibliothecam (1) Vaticanam, partim in Kirkerianum Collegii Romani Societatis Jeſu Muſeum inferri juſſit. Verum, ut a laudibus eximii Viri (quem ego & propter priſcam ipſius amicitiam, & propter collatum ab eo Bibliothecæ noſtræ Vaticanæ beneficium, nunquam ſine laude commemorabo) ut, inquam, ab ipſius laudibus ad *Tabulas Græco-Moſchas* redeam, hæ ſunt hujus argumentum Commentarii, eædemque mei erga optimum Marchionem Capponium grati animi monumentum ſempiternum.

Dum enim Sancti Ephræmi Syri Opera Græca, locis e variis conquiſita, evolvo ſedulus, juſſuque Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Domini D. Angeli Mariæ Quirini S. R. E. Cardinalis Bibliothecarii, Viri doctrina, pietate, editiſque infinitis propemodum libris clariſſimi, deque noſtra Vaticana Bibliotheca optime meriti, in Latinum ſermonem converto, typiſque Vaticanis edenda trado; veniunt in manus meas *Tabu-*

1 Dominicus Georgius, vir editis Libris clariſſimus, typis evulgavit anno 1747. *Bibliothecam Capponianam*, ideſt Librorum, ut plurimum Italicorum, Catalogum, quos Capponius Vaticanæ legavit.

Digitized by Google

Tabulæ Græco-Moſchæ, minutis Sanctorum Imaginibus elegantiſſime depictæ, eorumque nominibus Ruthenice inſcriptæ. Rogat Marchio Capponius, ut Commentario eas illuſtrare velim, ſuis ſumtibus, ut ajebat, æri incidendas, ſubjunctoque, quem ego ſcripſiſſem libro, typis evulgandas. Venuſtate Tabularum, & argumenti ſpecie delectatus, magis autem Viri amiciſſimi, quem ego ſemper colui, auctoritate permotus, manum operi admoveo; ſimulque ipſe, quod pollicitus fuerat, impigre exſequitur. Verum quum & meum, & ipſius opus ad exitum perductum fuiſſet, jamque aliud nihil supereſſet, quam ut *Tabulæ Græco-Moſchæ* unacum meis Commentariis Typographo imprimendæ traderentur, præſtantiſſimum Virum, vitaque longiore digniſſimum, mors abſtulit die 21. Septembris anno Domini 1746. Itaque ſepoſita hujuſce libri evulgandi cura, ad alia, quæ jampridem aggreſſus fueram, Opuſcula perficienda animum adjicio, ac præſertim de Syria vetere, ac nova, deque Orientalium Chriſtianorum, qui a multis jam ſeculis in Syros, Melchitas, Armenios, & Coptos diviſi ſunt, Hiſtoria, Conciliis, Ritualibus, deque aliis nonnullis ad Italicam Hiſtoriam, & Literariam eruditionem ſpectantibus, quorum Catalogum propediem editurus ſum. At Clariſſimi

Digitized by Google

mi Marchionis defuncti ex ſorore nepos, idemque hæres, Franciſcus Maria Cardelli, Patricius Romanus, quum Catalogum Bibliothecæ Capponianæ in Vaticanam ex teſtamento Avunculi translatæ, a doctiſſimo Viro, mihique dum viveret, familiaritate conjuncto, Dominico Georgio conficiendum, typiſque edendum curaſſet; me quoque & verbis, & facto ſuo excitavit, *ut datam de evulgandis* Ruthenicis Ephemeridibus fidem liberarem: id quod, ajebat, de Bibliotheca Vaticana optime meritus Alexander Gregorius Capponius tantopere exoptaverat, & a me, jam tradito in ejus manus adnotationum mearum exemplari, præſtitum fuerat: nil aliud reliquum eſſe, quam ut typis evulgaretur. Æquis poſtulatis non potui non acquieſcere. Reſumo igitur quæcumque in Tabulas Græco-Moſchas adnotaveram, animum figo, & perlego. Viſa mihi ſunt, ni fallor, Kalendarium utique Ruthenicum, juxta votum Marchionis Capponii, omni ex parte illuſtrare; non tamen mihi ipſi omnino facere ſatis. Nam in mentem venit, ingenſque ſubſequutum eſt deſiderium, Græco-Moſchis Faſtis etiam Græcos, Syriacos, Armenicos, Ægyptiacos, Æthiopicos, & Latinos adjungendi: quum præſertim viderem, argumentum hujuſmodi a paucis, vel a nemine fuiſſe adhuc pro merito pertra-

tractatum. Ac proinde mihi mutanda fuit hujuſce operis, quam delineaveram, diſpoſitio: uno enim tenore cogitaveram, Prolegomena in *Tabulas Græco-Moſchas*, & Tractatum de Slavorum origine, ac religione, atque Ruthenicas ipſas Ephemerides cum notis ad unumquemque menſis diem, prout illas jampridem compoſueram, ſic in publicam lucem proferre; adjectis ad calcem *duobus Diptycis Ruthenicis*, quorum primo Sancti celebriores menſis Januarii, altero Februarii repræſentantur: præterea duobus *Kalendariis*, item Ruthenicis, quæ ad calcem quatuor Evangeliorum in totidem vetuſtis Codicibus Vaticanis habentur; nec non Tabula Græca, veteris ac novi Teſtamenti hiſtoriis inſculpta, quæ in Muſeo Capponiano extabat, atque a doctiſſimo Viro Joſepho Roccho Vulpio Societatis Jeſu interpretatione, notiſque illuſtrata fuerat. Hæc, inquam, omnia prælo jam parata erant. Verum, adjunctis, ut modo dicebam, aliarum gentium Chriſtianarum Kalendariis, addenda etiam fuere, quæ ad illuſtranda eadem Kalendaria communiter faciunt: cujuſmodi ſunt non ſolum earum, quæ diverſis Ritibus ac linguis Chriſtum Deum colunt, gentium, ſed etiam Imaginum, Lipſanorumque Origines.

Nam occaſione quidem Ruthenicarum iſtiuſ-

Digitized by Google

iſtiuſmodi Inſcriptionum, quæ Imaginibus Sanctorum Kalendarii Græco-Moſchi ſunt adpoſitæ, de celeberrimo etiam Sudario, ſeu Linteo Monſtrolienſi, faciem Chriſti Domini repræſentante, deque pervetuſta Tabula Sacroſanctæ Baſilicæ Vaticanæ, effigiem quoque Salvatoris, ac Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli referente, in quibus Ruthenica, ſeu Slavica Epigraphe *conſpicitur, ipſa argumenti ſimilitudo* nos compulit pertractare. Quoniam vero Kalendaria ipſa tum Græco-Moſcha, tum aliarum Orientis, & Occidentis Eccleſiarum picturis Sanctorum ornata ſunt, & celebriores in ipſis Imaginum, & Reliquiarum Chriſti Domini, Sanctiſſimæ Deiparæ, Sanctorumque nonnullorum, translationes, ac depoſitiones pictæ ſunt, deſcriptæque; idcirco, ut non ſolum de manu exaratis, aut impreſſis Kalendariis, ſed de pictis, ſculptis, cælatiſve Sanctorum Faſtis, & Imaginibus, plena haberi poſſet cognitio, viſum eſt, ipſis Græco-Moſchis, cæteriſque Orientalibus, & Occidentalibus Ephemeridibus ſubjungere libros de Sacris Chriſti Dei noſtri, ac Deiparæ Virginis, Sanctorumque Imaginibus, & Reliquiis, quæ ex Palæſtina ad nobiliores Aſiæ, atque Europæ Eccleſias olim delatæ perhibentur: deque Palæſtina ipſa, Imaginum, Lipſanorumque hujuſmodi fonte atque origine. Ne-

que enim, ut modo ajebam, in noſtro Menologio Ruthenico, aut in aliis Græcis, aliarumque linguarum pictis, ſcriptiſve, ſive inciſis Kalendariis, fit Sanctorum tantum commemoratio; ſed præcipua etiam Jeſu Chriſti Domini noſtri, ejuſque puriſſimæ Matris Virginis Mariæ, & Apoſtolorum, Martyrum, Sanctorumque feſta recoluntur, Imagines ad vivum repræſentantur, Eccleſiæ inſigniores indicantur; Lipſanorum demum translatio, aut cultus commemoratur.

Igitur hæc noſtra in Menologium Slavicum, ſeu in Tabulas Græco-Moſchas, ſacroſque aliarum gentium Faſtos, commentaria, quum uno Tomo comprehendi nequeant, in plures fuerunt omnino diſtribuenda: quorum Primo, de Tabulis ipſis, quæ, ut antea diximus, occaſionem ſcribendi præbuere, agere inſtituimus, deque iis, qui aliquid ad illuſtrandum noſtrum hocce Ruthenicum Kalendarium, aut alios Slavicos Faſtos, ſcriptum reliquerunt, ſive rem Ruthenicam quomodocumque illuſtrarunt: ubi ipſas Ephemerides Græco-Moſchas, uti in Tabulis Capponianis ſe habent, impreſſas, Latineque converſas, evulgabimus, Adnotationibus ad unumquemque menſem ac diem adpoſitis; additis inſuper iis, quæ ſunt a Poſſevino, Papebrochio, & Kulcinio, rerum Rutheni-

Digitized by Google

thenicarum peritiſſimis, editæ. Hinc vero progredientes ad diſſerendum de vetuſtis manu exaratis, pictiſve Kalendariis, & Menologiis, in ſubſequentibus Tomis ea Kalendaria exponenda ſuſcipimus, quæ ad Græcos, Syros, Ægyptios, Æthiopes, Armenos, & Latinos ſpectant: quo fiet, ut Eccleſiæ univerſæ, Orientalis & Occidentalis, Sanctos, Feſtoſque Chriſti Domini, ac *Deiparæ Virginis dies*, *tum priſcos*, *tum* nuper inductos, uno veluti conſpectu, habeamus.

His vero præmiſſis, ad ſacras Imagines, & Reliquias tranſitum facientes, alios Libros ſubjiciemus: quorum primus & ſecundus circa eas Imagines verſabuntur, quæ coloribus depictæ, aut muſivæ, vel auro, argento, ære cælatæ, inque ligno, ebore, ſeu marmore, aliave materia ſculptæ, ſcalptæ, exſtanteſque, ſacras veteris ac novi Fœderis hiſtorias exhibent, & Chriſtum Dominum, Deiparam, Angelos, Sanctos, Sanctaſque repræſentant in tabulis, in parietibus, in vaſis, in ſacris veſtibus, in urnis ſepulcralibus, tam in Eccleſiis, & Cœmeteriis, quam in privatis ædibus, & in manuſcriptis Codicibus; ubi ampla nobis ſeſe offert ſeges pertractandi de Eccleſiis Græciæ, Syriæ, Italiæ, iis nimirum, in quibus vetuſtas Imagines conſpicimus, aut a claſſicis auctoribus com-

Digitized by Google

memoratas legimus ; ſimulque enumerandi præſtantiſſimos quoſque manuſcriptos Codices Græcos, Latinos, Syriacos, Armenicos, alios, ſiquas habent antiqua manu, etiamſi rudi, & impolita, elaboratas hujuſmodi generis picturas.

In tertio, & quartò expendemus celeberrimas Imagines, Slavicis literis inſcriptas, Vaticanam, & Monſtrolienſem. Atque inde ad alias Chriſti, ac Deiparæ non manufactas, ſeu miraculoſas, ut vocant, ſive in Oriente, ſive in Occidente celebriores Imagines, pergentes ; archetypas ab ectypis, & primigenias ab exemplis conabimur diſcernere.

In quinto, & ſexto Libro de ſacris Chriſti Domini, ejuſque Sanctiſſimæ Matris, & nonnullorum Sanctorum Lipſanis tractabimus, quæ in diverſis Orientis, atque Occidentis Eccleſiis exſtare dicuntur.

Septimus demum Liber in Palæſtina, ſeu Terra Sancta totus verſatur, unde ſacræ hujuſmodi Reliquiæ omnes originem ducunt.

Nunc vero (ut ad Tabulas Græco-Moſchas redeat oratio) in hoc primo Libro, quem in quatuor partes diſtribuimus, ſingillatim pertractamus, quis illas in Italiam attulerit, quæve illarum ſit forma, quæ materia, quæ ætas ; quam etiam aliis Ruthenicis Tabulis depictis

præ-

Digitized by Google

præſtent, quas cl. Papebrochius æri incidendas curavit: quid denique & pictis Imaginibus, & adjectis ad ſingulas Imagines Ruthenicis literis complectantur. Tabulis autem noſtris ita utcumque illuſtratis, quibus Sanctorum, Feſtorumque totius anni ſeries pulcherrime exhibetur, ſubjungimus e Muſeo quoque Capponiano duas alias Tabulas, item Ruthenicas, menſis *Januarii*, & *Februarii*, *quas ſupra memoravimus*: necnon eas Ephemerides, quæ ſunt a cl. Papebrochio, Poſſevino, & Kulcinio editæ, quæque ad calcem antedictorum Codicum manuſcriptorum Bibliothecæ Vaticanæ, Ruthenico ſermone repræſentantur.

Illud tamen ex occaſione Ruthenicorum hujuſmodi Faſtorum in ſecunda & tertia parte hujus Libri adjiciendum exiſtimamus, quod non ſolum ad Ruſſicæ illius gentis, ſed etiam Slavorum omnium tam Græci, quam Latini Ritus, nomen, origines, & in amplectenda Chriſtiana Religione primordia, & progreſſus; Metropolitanorum, Ducumque ſeu Regum ſeriem; inque ſacris dogmatibus cum Græca, cumque Sancta Romana Eccleſia concordiam, ſive diſſenſionem plane cognoſcendam, viſum eſt conducere. Sic enim fore arbitramur, ut non nuda Sanctorum, qui ſunt in illis Tabulis depicti, nomina, ſed ipſam Ruthenicam Slavicam-

vicamque omnem tum Latini, tum Græci Ritus Eccleſiam, qualis per decem fere ſecula fuit, Lectoribus exhibeamus. Sic etiam Kalendarium noſtrum Ruthenicum ad Poſſevinianas, Papebrochianas, & Kulcinianas Ephemerides collatum, palam faciet, quinam ſint communes utriuſque Eccleſiæ, Græcæ nimirum, ac Ruthenicæ; qui vero Sancti Ruſſorum, ſeu Moſcovitarum proprii, de quibus peculiarem Tractatum edidit modo laudatus Ignatius Kulcinius in *Specimine Eccleſiæ Ruthenicæ* Par. 1. a pag. 1. ad 68.

His Ephemeridibus libentiſſime ſubjiceremus eam quoque effigiatam Tabulam, quam cl. P. Vulpius Societatis Jeſu, ut ante diximus, interpretatus fuerat, quamque Marchio Capponius huic noſtro Commentario ſubjungendam juſſerat, ſi ea Tabula ad Eccleſiam Ruthenicam quoquo modo ſpectaret. Verum quum Græca ſit, a Græcis Monachis elaborata, Græciſque, non Ruſſicis literis inſcripta, opportunius fore judicavimus in alio Libro, in quo pictas, anaglyphaſque Eccleſiæ Græcorum Imagines recenſere conſtituimus, de illa diſſerere.

Sed non hic nobis animus eſt, integram, accuratamque Ruſſorum, ſive Slavorum cujuſcumque gentis hiſtoriam conſcribere, Id alii

præ-

præſtitere quam diligentiſſime; ſive qui ex profeſſo ſpartam hanc ornandam ſuſceperunt; ſive qui partem ejus illuſtrarunt: uti ſunt *Sigiſmundus Herberſteinius* in Commentariis Rerum Moſcoviticarum, Baſileæ 1551. *Antonius Poſſevinus* in Relatione de Moſcovia, Coloniæ 1595. *Salomon Neugebaver* in Moſcovia, Gedani 1613. *Paulus Potocki* item in Moſcovia, ibidem. *Moſcoviæ Reſpublica*, Lugduni Batavor. 1630. *Jacobus Uſeldt* in Legatione Moſcovitica, Francofurt. 1627. *Jacobus Reuſenfel* de rebus Moſcoviticis, Patavii 1680. *Grotius* Profeſſor publicus in Academia Petropolitana, in hiſtoria Sacro-Politica Moſchorum. *Joannes Petrus Kohlius* Introductione in Hiſtoriam, & Rem Literariam Slavorum, Altonaviæ 1729. *Bernardus Ribera* Ordinis Prædicatorum in Echo Fidei, Viennæ Auſtriæ 1733. *Ignatius Kulczynſcki*, Ordinis Sancti Baſilii Ruthenus, in Specimine Eccleſiæ Ruthenicæ, Romæ 1733. Aliique recentiores quamplurimi: quibus addi poſſunt *Rerum Polonicarum*, *Bohemicarum*, *Hungaricarum*, & *Moſcoviticarum* Auctores, Francofurti 1600. *Martinus Cromerus*, Epiſcopus Varmienſis, de origine, & rebus Polonorum, Coloniæ Agrippinæ 1589. *Matthias Michovius* in Chronicis Poloniæ, deque Sarmatia Aſiana. *Helmoldus* Presbyter Buzovienſis in Chronicis Slavorum, cum ſupple-

mento

mento *Arnoldi Abbatis Lubecenſis*, Francofurt 1581. Annalium denique tum Francicorum, tum Eccleſiaſticorum Scriptores, ſive Continuatores, *Eginhardus*, *Regino*, *Aimoinus*, *Sigebertus*, Eminentiſſimus *Baronius*, *Raynaldus*, *Bzovius*, & cæteri. Anguſtos nobis ipſi præfigimus limites, nec ultra Eccleſiaſticos Faſtos, Slavicarumque Eccleſiarum origines, noſtrum patimur evagari Commentarium, niſi quantum neceſſe eſt ad Tabulas ipſas Slavicas exponendas, & ad expendendum Sanctorum cultum, qui in Eccleſia Ruſſorum iis defertur, quorum nomina Tabulæ quidem noſtræ non exprimunt; ſed in aliis recentioribus Kalendariis Græco-Moſchis occurrunt. Quum enim, ut cultus hujuſmodi ab omni ſit erroris labe purus ac immunis, noſſe oporteat, quibus, & qua auctoritate, & a quo fuerit decretus: quumque hæc omnia conſtare nequeant, niſi ſacra illius Eccleſiæ doctrina ab origine ſuſceptæ Chriſtianæ Fidei ad illam uſque ætatem in ſuis, ut ajunt, capitibus, & membris, hoc eſt, Ruſſiæ Primatibus, Epiſcopis, Ducibus, Regibus, Clero, & Populo, clare nitideque expoſita; hinc etiam cogimur, Chronologicam eorum Primatum, & Ducum, ſeu Regum ſeriem texere; etſi hæc prima facie videatur ad propoſitum nobis ſcopum parum, aut nihil pertinere. Quamobrem, poſtquam Sla-

Digitized by Google

Slavorum omnium origines, & progreſſus fuſe expoſuerimus, Kalendariis ipſis Græco-Moſchis diſſertationes quoque præmittere decrevimus de prima Ruſſorum, aliorumque ejuſdem ſermonis ac Ritus populorum, qui Slavi communiter dicuntur, ad Chriſti Fidem converſione: deque Metropolitanorum, & Ducum, ſeu Regum ſerie: & quid tandem de antiquis, recentibuſque eorum Sanctis ſit ſentiendum.

DE QUINQUE TABULIS GRÆCO-MOSCHIS
CAPPONIANIS
VARIORUM EPISTOLÆ
AD MARCHIONEM CAPPONIUM
ET JUDICIA.

I. RAgguaglio di cinque *Tavole Greco-Moſche*, o ſieno Faſti de' Santi, che ſi conſervano in Roma nel Muſeo del Sig. Marcheſe Aleſſandro Gregorio Capponi, Furier Maggiore del Palazzo Apoſtolico. Roma, preſſo Rocco Bernabò 1731.

Furono ricevute con molto applauſo da i Periti delle ſagre Antichità *l'Eſemeridi Greco-Moſche*, pubblicate da i celebri Padri *Bollandiſti* ne' loro *Atti de' Santi* del Tomo I. di *Maggio*, per trovarſi nelle medeſime gran lumi da illuſtrare la materia de' *Santi* della *Chieſa Greca*, ſiccome dottamente accennarono i medeſimi *Bollandiſti* nelle note, e ne' ſaggi avvertimenti ſopra eſſe *Eſemeridi*, per cura loro nobilmente intagliate in *dodici Tavole*, corriſpondenti ad altrettanti meſi dell'anno. Ma queſte *Eſemeridi Bollandiane*, che in ſoſtanza vengono a formare un *Menologio* figurato della *Chieſa Rutena*, non ſono di molta antichità, come preſe nel Pontificato di Urbano VIII. da altre, che ſi riferivano al 1300. in circa. In queſte ſi trovano rammentati i *Patriarchi* ſciſmatici di *Moſcovia*, come *Sergio*, morto al XXV. Settembre del 1292. e *Pietro Metropolita*, morto parimente a i XXI. di Dicembre del 1300, I diſtici, che quivi ſi leggono ſotto le figure de' *Santi*, furono dianzi inſieme diſpoſti da *Urbano Goffredo Sibero*, e in un Tomo in quarto ſtampati in *Lipſia* nel 1727.

Ma ſiccome da un giorno all'altro ſi vanno ſcoprendo nuove memorie da collocare in maggior lume le coſe profane non meno, che le ſagre; quindi è, che dalle parti orientali eſſendo nuovamente capitate in Roma *cinque* altre *Tavole Greco-Moſche*, più antiche, e ſtimabili di quelle de i *Bollandiſti*, il Signor Marcheſe *Capponi* venne in riſoluzione di non laſciarſele ſcappar dalle mani, e mediante lo sborſo di buona ſomma di danaro ne fece il pregevole acquiſto. Tutte queſte *Tavole* ſi riducono a *cinque* ſole, le quali, unite inſieme, vengono a formare una Croce Græca, mentre ciaſcuna di loro è perfettamente quadrata.

Elle ſi veggono tutte piene di molte e belle figure, con maeſtria colorite, e con iſcrizioni *Rutene*, o *Moſcovitiche* ſopra eſſe. Alcuni *Santi* ritengono in mano qualche *cartella*, dove a minute lettere ſi leggono paſſi della ſagra Scrittura. Le *Tavole*, come incorrotte, e non offeſe dal tempo, ci fanno penſare, che poſſano eſſer di *Cedro*. La più recente feſta, che vi ſi trovi ſi è quella di una *proceſſione* della *Santa Croce* nel di *primo* di *Agoſto*, la qual feſta, ſecondo *l'Uſtau* de' *Ruteni*, che è il loro Diurno, ſotto queſto medeſimo giorno ſi dice *iſtituita per la vittoria ottenuta contra gl' Infedeli nell'anno* 1164. *imperando Manuello Conneno in Grecia, e in Ruſſia Andrea il Grande*. Altri *Santi*, o feſte poſteriori, non compariſcono in queſti ſacri *Faſti*, e nel rimanente corriſpondono al *Menologio* di *Baſilio* Imperadore, coetaneo di *Vladimiro*, primo loro *Principe Criſtiano*, e *Santo*, il quale però non è mentovato in queſte *Tavole*, benchè in altri *Menologj* ſe ne celebri la feſta a i XV. Luglio, eſſendo egli paſſato all' altra vita ſul bel principio del ſecolo XI.

Ciaſcuna delle *Tavole Bollandiane*, come ſi è detto, contiene *un* ſol meſe; e *quattro* di queſte del Signor *Marcheſe Capponi* ne contengono *dodici*; e ogni meſe ha la ſua propria colonna. *La quinta*, che và nel mezzo di tutte, niuna delle quali eccede un palmo in quadro, rieſce alquanto più lunga e larga, e contiene tutte le *Domeniche*, incominciando dalla *Settuageſima* del *Fariſeo*, e del *Publicano* ſino alla *prima* dopo la *Pentecoſte*.

tecoſte. Nelle altre ſi vede uno, o anche più *Santi* in un quadrato, alto un oncia e un quarto, e figurato da linee parallele, che ſi tagliano a perpendicolo. Sotto *nove* di queſti XII. meſi tre dipintori di eſſi vi eſpreſſero all'uſo antico i loro nomi in queſta maniera:

Sotto Marzo, Aprile, e Maggio: *Andrea, figliuolo d'Elia dipinſe*.

Sotto Giugno, Luglio, e Agoſto: *Niceta, figliuolo di Giovanni dipinſe*.

Sotto Settembre, Ottobre, e Novembre: *Sergio, figliuolo di Baſilio dipinſe*.

La pittura, in riguardo al tempo, e al paeſe, d'onde viene, è ſquiſita, i colori ſono aſſai vivi, le figure minute, ma belle, e con proprietà di abiti del miglior guſto Greco: e quello, che più importa, ſono tutte a maraviglia conſervate; laddove quelle de i *Bollandiſti* ſono aſſai maggiori, e poi fatte con poco guſto. Di quì può dedurſi, che queſte *Tavole* foſſero dipinte in tempo, che più fioriva l'Impero Greco; ma le *Bollandiane* ſi danno per fatte aſſai dopo, e mentre quell' Imperio ſe ne andava in precipizio. La vernice di queſte noſtre è belliſſima, e le figure non avendo corpo, ci fanno ſoſpettare, che i colori delle medeſime ſieno compoſizione di ſughi d'erbe, o di miſtura, ſomigliante all' alchimia. Queſto è quanto ſi è potuto quì brevemente notare per una ſemplice informazione alle perſone dotte in tali materie, le quali ſono pregate a compiacerſi di ſuggerire, e mandare a Roma quelle oſſervazioni, che ſtimeranno proprie ad illuſtrare il contenuto delle medeſime *Tavole*, penſandoſi di renderle pubbliche mediante la ſtampa.

2. *Anton Franceſco Marmi*, Firenze 16. Ottobre 1731.

Quivi (*in Prato*) mi giunſe, e il compitiſſimo foglio ſuo de' 6., e il divulgato Ragguaglio delle cinque Tavole Greco-Moſche, che ha di freſco acquiſtate per il ſuo rinomato Muſeo, che ben meritano, che V. S. Illuſtriſſima ne pubblichi i rami con le ſue erudite oſſervazioni. Mi ricordo di quelle de' Bollandiſti. I Greci Ruteni ſecondo il loro menologio hanno aſſai meno del Sciſmatico, che gli Orientali, avendo conſervata più intatta la venerazione di più Santi di quella degli altri; ora tanto più ſarà evidente per le ſue cinque Tavole. Il P. Goar è anch' eſſo di queſto ſentimento. Sentirò ciò, che ne giudicherà alcun altro de' noſtri amatori di antichità.

Il medeſimo. Firenze 18. Gennaro 1734.

Darà un gran credito alla rariſſima Dattiloteca di V. S. Illuſtriſſima la pubblicazione del Menologio Græco-Moſco; all' ultimazione del quale Ella è eſortata a impiegarci del tempo, non meno di quello, che reſti diſtribuito per la collocazione delle antiche Statue in Campidoglio.

3. *Franceſco Maria Zanotti*. Bologna 20. Ottobre 1731.

L'acquiſto fatto da V. S. Illuſtriſſima delle cinque Tavole Greco-Moſche, il dotto Ragguaglio delle quali mi viene traſmeſſo per mezzo di S. E. il Sig. Ambaſciator di Bologna, merita, che tutta Italia, non che queſta noſtra Accademia, ſe ne rallegri ſenza fine con eſſo Lei. Io poi tanto a nome di queſta Accademia delle Scienze, di cui ſono Segretario, quanto a nome mio proprio, rendo a V. S. Illuſtriſſima quelle grazie maggiori, che poſſo, della bontà, che Ella hà avuto di parteciparne l'avviſo.

4. *Anton Franceſco Gori*. Firenze 20. Ottobre 1731.

Jeri ſubito ricevuto il Ragguaglio del pregevoliſſimo acquiſto delle cinque Tavole Greco-Moſche, che ha fatto il noſtro Sig. Marcheſe Capponi, ſempre intento a renderſi immortale col torre dalla barbarie, e dall' oblio tanti inſigni monumenti, de i quali va adorno il ſuo ricchiſſimo Muſeo, (di cui non ho mancato di farne onorata menzione anco nell' Opera del Muſeo Fiorentino) avendolo letto con ſommo piacere, andai a comunicare sì bella notizia al Reverendiſſimo P. Capaſſi, il quale gode aſſai dell' avviſo di sì conſiderabile ſacro monumento, e mi favorì di moſtrarmi le Tavole Bollandiane; onde m'incaricò, che io mi rallegraſſi altamente in nome ſuo col Sig. Marcheſe Capponi, e lo riveriſſi diſtintamente, ſiccome io ſupplico V. S. Illuſtriſſima, e Clariſſima a farlo anche per mia parte, e mi onorerà di pregarlo a mandare qualche altra copia di queſto Ragguaglio diſteſo con tanto giudizio, eſſendo deſiderato, ed in ſpecial modo ancor da me, che non ho mancato di leggerlo a varj Letterati; e queſta mattina di buon' ora ſono ſtato dal noſtro Sig. Senator Bonarroti, che la riveriſce divotiſſimamente, perchè in tal' ora non vi ſono rompicapi, e ſi è diſcorſo un pezzetto intorno alle medeſime Tavo-

Digitized by Google

le, ſicchè avendo ancor egli avuto quel Ragguaglio, ſpero, che ne ſcriverà; mà quel che ne ho ricavato è, che biſogna vedere almeno i diſegni, e biſogna vedere le coſe di queſti tempi, e la Storia della Chieſa Rutena, e fare un grande ſpoglio de i riti, e un confronto con quelli dell' altre Chieſe, per vederne la differenza. Ma io non dubito, che il noſtro degniſſimo Monſig. Fontanini potrà egli illuſtrare, eſſendo verſatiſſimo in queſte, ed in ogni altra ſorta d'erudizione; ed egli, che le vedrà ocularmente, potrà darne quei lumi, che ſon neceſſarj.

5. *Filippo Buonarroti*. Firenze 20. Ottobre 1731.

L'onore, che V. S. Illma mi compartiſce delle cinque Tavole Moſche, richiederebbe d'aver talento, tempo, e libreria, che tutto mi manca, per corriſpondere a i ſuoi favori. Gli dirò però ciò, che mi ha comunicato un mio padrone, che è il Sig. Dottor Cocchi, che nel Codice manoſcritto de' Ceruſici di S. Lorenzo, *ſeu Niceta*, vi dipinſe le miniature, e che crede, che in Piſtoja preſſo un Cav. Viſconti vi ſieno dodici Tavole di legno, in cui ſono ſcolpite figure, e probabilmente ſaranno pure Moſche. Vedo, che V. S. Illuſtriſſima sà, negli Autori dove ſi poſſono mettere le mani. Credo, che tornerebbe bene il fare intagliare le Tavole.

6. *Feliciano Buſſi*. Viterbo 28. Ottobre 1731.

Avendo io letto il Ragguaglio da V. S. Illuſtriſſima mandatomi delle ſue ſtimabiliſſime Tavole Greco-Moſche, benchè comprenda, che nelle medeſime poſſino contenerſi delle varie erudizioni, concernenti a i Santi di quei Paeſi, nulladimeno perchè queſta Città è ſcarſiſſima di Libri, e particolarmente di quelli, che potrebbono dar lume per tali materie, quindi è, che io non ſaprei, che coſa potergli dire ſu tal propoſito. Hò però comunicato il detto ſuo Ragguaglio ad un certo Padre Geſuita mio grand' amico, il quale mi ha detto, che V. S. Illuſtriſſima ſi contenti di cercare in Roma da i Padri della Compagnia, ove ſi ritrovi al preſente il Padre Receputi, il quale eſſendoſi impegnato a teſſere l'Iſtoria Illirica, per tal motivo con molto incommodo, e diſpendio non ſolo ha viſitata tutta la Grecia, ed altre parti del Mondo, ma di vantaggio ottenne licenza da Clemente XI. di glor. mem. di poter ſpogliare tutti i più rari manoſcritti della Vaticana; non dubitando il detto mio Amico, che V. S. Illuſtriſſima da tal Religioſo non ſia per avere molti de' lumi, che deſidera per la dilucidazione delle ſue Tavole.

7. *Girolamo Baruffardi Arciprete di Cento*. 19. Dicembre 1731.

Mi tengo molto obbligato alla di lei gentilezza, che ha voluto parteciparmi la rara notizia del prezioſo monumento delle Tavole Greco-Moſche. Ho letto perciò con ſommo piacere il Ragguaglio, che V. S. Illuſtriſſima s'è compiacciuto mandarmi, e vi ho trovato un largo campo di dire molte, e molte coſe erudite, e farvi ſopra molte oſſervazioni. Mi è ſovvenuto d'avere veduta nelle noſtre Monache di S. Antonio Abbate un' antica Croce e non picciola, mandata in dono già da Papa Innocenzo IV. (che regnava nel 1244.) alla noſtra B. Beatrice Eſtenſe Fondatrice di quel Monaſtero, e vi oſſervai molte imaginette di Santi aſſai ſtravaganti, dipinte finiſſimamente a quel tempo, come ho notato nella vita di detta Santa, che diedi alle ſtampe anni ſono. Voglio figurarmi, che le figure di queſte Tavole ſieno di quel modo, e di quella manifattura per la nettezza, e vivezza de' colori. Avrò poi occaſione di ſervirmi di que' nomi de' Pittori ivi notati, in un diſcorſo di Pittura, che fo per Preliminare alle vite de' Pittori Ferrareſi, già da me terminate, e non ancora pubblicate; nel qual diſcorſo parlando degli antichiſſimi Pittori, fo vedere, che tutti ponevano ſotto alle Pitture i loro nomi. Ma di più ſi potrà ricavare, ſe il Sig. Marcheſe ſi riſolverà di pubblicare ſtampato il diſegno delle dette Tavole. Allora gli eruditi potranno ricavarne infinite erudizioni, ed io ſoſpiro il tempo di vederle, ne mi diſimpegno del dirvi allora anch' io qualche coſa.

8. *Paolo Gagliardi*. Breſcia 31. Gennaro 1732.

Ancorche io non abbia la buona ſorte di eſſer noto a V. S. Illuſtriſſima, trovandomi nondimeno onorato col foglio della ſua notificazione intorno alle inſigni Tavole Grego-Moſche, mi veggo in debito di rendergliene colla preſente i più divoti ringraziamenti in atteſtato del mio obbligato, e riverente riſpetto. Veramente da queſto Eminentiſſimo Sig. Cardinale Quirini me ne era di già ſtata fatta apertura, con quelle giuſte eſpreſſioni di lode, che ben ſi convengono ad un Cavaliere tanto dotto, e tanto erudito, quale V. S. Illu-

Digitized by Google

Illuſtriſſima ſi dimoſtra, facendomi rimarcare, con quanta capacità ella ſappia sì bene unire ad impieghi d'altra natura, una rara, e ſcelta cognizione delle buone lettere, e rammentandomi nello ſteſſo tempo, con quanto vantaggio del pubblico, e con quant' obbligo particolare della ſudetta Eminenza, ella ſiaſi impiegata a promovere l'ampliazione, e gli aumenti della Biblioteca Vaticana. Ora però, che d'ordine eſpreſſo di V. S. Illuſtriſſima mi è ſtato traſmeſſo il ſudetto foglio, ſarà parte della mia attenzione, aver preſente il di lei comando, ed ove nell' occaſione de' ſtudj miei s'incontri coſa conferente ad illuſtrare le ſudette Tavole, non reſterò di ſegnarla ed unirla, per ſervire in qualche maniera al di lei nobile deſiderio. Se l'aveſſi a parlare più preciſamente del materiale, che ſenza dubbio ſuppongo più raro, e pregevole delle Tavole Bollandiane già pubblicate, ſarebbe parmi opportuno, avere qualche maggior ſaggio di codeſte ſue ſotto agli occhi. In ogni modo però communicherò la notizia anco ad altri amici, e letterati, da' quali ritraendo lumi giovevoli all' intento di V. S. Illuſtriſſima, non mancherò di traſmettergli.

Digitized by Google

APPROBATIONES.

ILluſtriſſimi ac Reverendiſſimi Romanæ Curiæ Præſulis Joſephi Simonii Aſſemani Canonici Baſilicæ S. Petri, & Bibliothecæ Vaticanæ Præfecti, multarum linguarum peritia, ſacræ & profanæ eruditionis copia, perpetuique in re litteraria labores & ſtudia, litteratorum neminem latent, nullaque indigent commendatione. Itaque quum de novo hoc ejus opere judicium ferre mihi demandatum ſit, neſcio quomodo illud feram magis apte, ac ſi dicam, me in eo haud ſolum Religioni adverſum nihil offendiſſe, ſed ubique omnia tum pietati Illuſtriſsimi Auctoris, tum egregiæ ejus doctrinæ optime reſpondere. In quorum fidem ſubſcripſi Kal. Apr. Anno Jubilæi MDCCL.

Petrus Franciſcus Fugginius Bibliothecæ Vaticanæ alter Cuſtos.

VIri Clariſsimi Joſephi Simonii Aſſemani primi Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtodis eximium opus *in Kalendaria Eccleſiæ Univerſæ &c.* incredibili animi voluptate perlegi, nihilque in eo reperi, quod cum Doctrina Romanæ Eccleſiæ, rectaque Morum inſtitutione pugnet. Immo vero tanta diligentia, eruditione, perſpicuitate, tantaque in aliis confutandis modeſtia, & gravitate deſcriptum eſſe animadverti, ut nihil ſupra ab Auctore, multis jam voluminibus vulgatis in Europa univerſa celeberrimo, deſiderari poſſe videatur. Itaque dignum eſſe, quod in lucem prodeat, cenſeo; quod mihi etiam perſuadeam fore, ut magnam ſit illaturum in Eccleſiam partem commodorum. Dabam in Æd. S. Mar. ſuper Minerv. Kal. Aprilibus 1750.

Fr. Thomas Maria Mamachius O. P. Theologus Caſanatenſis.

RUthenicæ Eccleſiæ antiquitates, quas hactenus & Scriptorum inopia, & indigenarum incuria, denſa vetuſtatis caligine obſitas, atque fabuloſis commentis reſperſas fuiſſe novimus, egregium nunc Scriptorem nactæ ſunt, qui & tenebras Herculeo labore diſcuſſit, & fabulas maximo quo pollet ingenii acu-

Digitized by Google

acumine rejecit. Is eſt cl. ac ſapientiſſimus Præſul Joſeph Simonius Aſſemanus Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, qui difficillimam hanc provinciam ſuſcipiens, ſummo Reipublicæ Litterariæ bono, Opus ſane eruditiſſimum perfecit, quod ipſi inſcribere placuit: *Kalendaria Eccleſiæ Slavicæ ſive Græco-Moſchæ*. Opus hujuſmodi jubente Reverendiſſimo S. P. A. Magiſtro legi animo imprimis attento, atque in eo nihil Catholicæ doctrinæ, boniſque moribus abſonum reperi; quin imo immenſam clariſſimi Scriptoris eruditionem admiratus ſum, qui remotiſſimarum gentium origines ac migrationes ex peritiſſimo ſacræ ac prophanæ eruditionis larario ſumma felicitate in lucem profert. Quapropter Reipublicæ Litterariæ optime conſultum erit, ſi clariſſimi Scriptoris labores quamprimum prælo committantur. Ita cenſeo.

Romæ pridie Nonas Aprilis Anno Jubilæi MDCCL.

Conſtantinus Ruggerius Bibliothecæ Imperiali Præfectus.

CEleberrimi Præſulis Joſephi Simonii Aſſemani Vaticanæ Baſilicæ Canonici, & Bibliothecæ Cuſtodis primi, laborioſiſſimum Opus ſacra, atque omnigena doctrina refertum, omniumque commendatione digniſſimum, quum ex eo fonte derivatum ſit, qui tot aliis voluminibus Chriſtianam, ac Litterariam Rempublicam irrigavit, ac tot laboribus, itineribus, legationibuſque etiam juverit, atque auxerit; jure optimo omnium lectione, ac laude dignum exiſtimo, atque ut in publicam lucem proferatur meritiſſimum cenſeo. In quorum fidem libenter hoc meum qualecumque teſtimonium adponendum curavi. Kal. April. MDCCL.

Franciſcus Marianus Vaticanæ Baſilicæ Beneſic. & Biblioth. Scriptor Græcus.

IMPRI-

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici,

F. M. de Rubeis Archiep. Tarſi Viceſger.

IMPRIMATUR.

Fr. Joſeph Auguſtinus Orſi Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter Ordinis Prædicatorum.

LIBER

Digitized by Google

LIBER PRIMUS

KALENDARIA ECCLESIÆ SLAVICÆ, SIVE GRÆCO-MOSCHÆ.

PARS I.

DE TABULIS CAPPONIANIS.

CAPUT I.

Tabularum Græco-Moſcharum Capponianarum Hiſtoria.

GERASIMUS Phocas, Cephaleniæ natus, in Eccleſia S. Georgii Græcorum Venetiis per aliquot annos Sacerdotium obtinuit: è Creta originem duxiſſe fertur, unde oriundus quoque fuit celeberrimus ille Joannes Phocas, cujus Liber inſcriptus, Ἔκφρασις ἐν συνόψει τῶν ἀπ' Ἀντιοχείας μέχρις Ἱεροσολύμων κάστρων, καὶ χωρῶν, Συρίας, Φοινίκης, καὶ τῶν κατὰ Παλαιστίνην ἁγίων τόπων, *Compendiaria deſcriptio caſtrorum & urbium, ab urbe Antiochia uſque Hieroſolymam; nec non Syriæ, ac Phoeniciæ, & in Palæſtina ſacrorum Locorum*, è Græcò in Latinum converſus a cl. Leone Allatio, prodiit una cum textu Græco, primum quidem Coloniæ Agrippinæ apud Jodocum Kalcovium 1653. in ejuſdem Leonis Allatii Symmictis, curante Bartholdo Nihuſio: deinde Antuerpiæ apud Michaelem

I. Geraſimus Phocas Tabulas Græco-Moſchas à magno Ruſſorum Imperatore dono accipit Marinus Geraſimi Frater eaſdẽ Marchioni Capponio vendit.

Cnobarum anno 1680. edente Daniele Papebrochio in Prælimi-naribus ad Tomum I. Sanctorum Maji. De Joanne enim, Geraſimi hujus gentili, hæc habet laudatus Allatius. „ Joannes Cre-„ ta oriundus, patrem habuit Matthæum; qui poſtea Monachum „ induens, in Patmo Inſula ſe exercens, diem obit: ipſe æta-„ te grandior, ſub Emmanuele Comneno munera militiæ tulit „. Meminit ipſe Cap. XXIV. de Sene Ibero: Πάλαι ἐπὶ χρόνοις συχνοῖς ἐν τῷ περὶ τὴν θάλασσαν τῆς Ἀτταλίας πεπηγότι λίθῳ, τοὺς ἀσκητικοὺς διανύσας πόνους, ὅτε καὶ ἡμεῖς τῷ ἀνδρὶ ἐντύχομεν, τῷ ἀοιδίμῳ Βασιλεῖ καὶ Πορφυρογεννήτῳ τῷ Κωμνηνῷ συστρατευόμενος „ Qui pridem per plures annos in ſaxo, ad mare Attaliæ funda-„ to, laboribus continuis ſudoribuſque ſeſe exercuerat; ibique „ nos eum alloquuti fuimus, dum una cum celeberrimo Impe-„ ratore & Porphyrogenneta Comneno militaremus. „ Pergit Allatius de eodem Joanne Phoca differens „ Ejuſdem Emma-„ nuelis meminit alibi ſæpius hoc eodem libello. Ducta uxore, „ ex ea filium habuit, ejus nomen a compaginatoribus libri, „ dum cultro foliorum extremitates æquarunt, abſciſſum eſt. „ Poſtea Monachus factus, inviſit Loca Sancta anno 1185. & hæc „ omnia habeo ex notula, quæ rubeis literis in margine additur. συγγραφεῖσα παρὰ Ἰωάννου ἱερέως τοῦ εὐσεβεστάτου Φωκᾶ, υἱοῦ Ματθαίου μοναχοῦ τοῦ ἀσκήσαντος ἐν πάτμῳ τῇ νήσῳ, ὅσπερ εἶδε τοὺς ἁγίους τόπους εἰς χιλίους ρπε. „ Scripta a Joanne Sacerdote piiſsimo „ Phoca, filio Matthæi Monachi, qui ſe exercet in Patmo Inſula, „ qui vidit Sancta Loca anno 1185. In fronte vero Libri ſcri-„ ptum erat: Υἱὸς ἱερέως τοῦ Φωκᾶ ἐκ τῆς Κρήτης γράφω νῦν, τοὔνομα ....: Filius Sacerdotis Phocæ Cretenſis, ſcribo nunc, „ nomine .... „ Manuel Comnenus, ſub quo Joannes Phocas militaſſe ſe dicit, filius fuit Joannis Comneni, ob morum probitatem Καλοϊωάννου, *Calojoannis* dicti; patre autem Joanne die 8. Aprilis anni Chriſti 1143. defuncto, ſucceſſit in Imperio Conſtantinopolitano, quod & adminiſtravit uſque ad diem 24. Septembris anni 1180. quo in vivis eſſe deſiit. Itaque ex filio hujus Joannis Phocæ, originem duxere majores Geraſimi noſtri, qui e Creta in Cephaleniam maris Jonii inſulam incerto tempore, migravit. Hinc igitur Geraſimus Phocas primum Venetias, deinde in Ruſſiam magnam profectus, a Petro, maximo illo Moſcorum Czare ſive Imperatore, cui a ſacris Confeſſionibus ad honorem fuerat, Icones ſive Ephemerides Græco-Moſchas, quinque Tabu-

Digitized by Google

Tabulis depictas, nobile Antiquitatis Eccleſiaſticæ monumentum, dono accepit. Illas, quum in patriam redire cogitavit, Conſtantinopoli, peſte ſublatus, reliquit. Marinus Phocas, ejuſdem Geraſimi germanus frater, bonorumque hæres, urbem Regiam petiit, Icones ſuſtulit, & in Italiam regreſſus, clariſſimo Viro Marchioni Alexandro Gregorio Capponio eas Romæ trecentis aureis vendidit; remque ita, ut modo narravi, ſe habere, literis manu propria ſubſcriptis mihi teſtatus eſt. Id factum contigit paulo, poſtquam Menologium, Baſilii Porphyrogeniti Imperatoris juſſu deſcriptum, pictiſque Sanctorum Imaginibus ornatum, cujus priorem ſemeſtrem partem Clemens XI. adhuc Adoleſcens Latinam fecerat, *cura, ſtudio, ſumtibuſque Eminentiſsimi ac Reverendiſſimi Domini D. Annibalis Albani S. R. E. Cardinalis, & noſtræ Sacroſanctæ Baſilicæ Vaticanæ Archipresbyteri*, æri inciſis, quæ in Autographo Vaticano exſtabant, Sanctorum Iconibus; poſteriori ſemeſtri parte a me Latinitate donata, in tres Tomos diſtributum, elegantiſſimis typis, *Urbini ex Typographia Venerabilis Capellæ Sanctiſſimi Sacramenti apud Antonium Fantauzzi anno* 1727. prodiiſſet.

Hæc de Tabularum Capponianarum hiſtoria. Quod vero ad illarum materiam, & formam ſpectat; Vir clariſſimus Capponius, rerum antiquarum diligentiſſimus inveſtigator, in ea fuit ſententia, ut aſſereret, ex materia cedrina eas conſtare: ſic enim loquitur in Italico illo, quod typis Rocchi Bernabò Romæ anno 1731. evulgavit, de Tabulis hiſce judicio: *Le tavole come incorrotte, e non offeſe dal tempo, ci fanno penſare, che poſſano eſsère di cedro*: quum nimirum corruptæ non ſint, neque illas temporis vetuſtas læſerit, hinc conjicit vir doctus, ſibi videri, eas è cedro eſſe confectas: è cedro, inquam, Libani montis, quemadmodum de alia Capponiana Tabula Græca, Jeſu Chriſti Domini noſtri præcipuas res geſtas, una cum nonnullis Veteris Teſtamenti figuris ſeu typis, repræſentante, judicat Cl. Joſephus Rocchus Vulpius Societatis Jeſu, editis de Latio vetere libris clariſſimus, in hæc verba: *E diptychorum genere ea eſt, ex materia ut videtur cedrina, fortaſse Libani montis, buxeæ thecæ bipatenti incluſa, minutiſsimiſque figuris ſcalpta diligentiſsime*. Idem de earum materia judicium tulere qui illas contrectarunt. Nobis hoc unum eſt ſatis, quod ita edacitatem temporis evaſerint, ut nihil in iis deſiderari poſſit: ac proinde merito de materia, de coloribus,

II. Tabularum Capponianarum materia, & forma.

Digitized by Google

deque figuris, quas repræſentant, hæc pronunciavit laudatus Marchio Capponius: *La pittura, in riguardo al tempo, e al paeſe, donde viene, è ſquiſita, i colori ſono aſsai vivi, le figure minute, ma belle, e con proprietà di abiti del miglior guſto Greco: e quello, che più importa, ſono tutte a maraviglia conſervate; la dove quelle de i Bollandiſti ſono aſsai maggiori, e poi fatte con poco guſto. Di quì può dedurſi, che queſte Tavole foſsero dipinte in tempo, che più fioriva l'Imperio Greco; ma le Bollandiane ſi danno per fatte aſsai dopo, e mentre quell' Imperio ſe ne andava in precipizio. La vernice di queſte noſtre è belliſsima, e le figure non avendo corpo, ci fanno ſoſpettare, che i colori delle medeſime ſieno compoſizione di ſughi d'erbe, o di miſtura ſomigliante all'alchimia*. Notant Bollandiſtæ ætatem Tabularum ſuarum Græco-Moſcharum in Prolegomenis ad Tom. I. Maji pag. 44. quas Pictor ipſe Ruthenus confectas teſtatur anno Mundi ſecundum Græcos 7136., hoc eſt, Chriſti 1628. adeoque longo poſt tempore, quam Græcorum Imperium eſt everſum. Hinc Sanctorum Icones in iis Tabulis expreſſæ, & a rudiore prodierunt manu, & gravem etiam alicubi Pictoris lapſum continent: veluti quum die 14. Februarii *Eulogius* Patriarcha Alexandrinus, Monachi habitu repræſentatur: & die 17. Decembris *Daniel* Propheta, treſque ſocii Pueri *Ananias*, *Azarias*, & *Miſael*, ſacras Patriarchæ ſeu Archiepiſcopi veſtes gerunt: quod & cl. Vir Papebrochius obſervavit. At vero noſtræ Tabulæ pari characterum & picturarum elegantia nitent; nec eſt, quod in eis ſive in nomine, ſive in habitu Sanctorum reprehendas. Adeo ſunt omnia ad accuratam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ atque Picturæ normam redacta: quodque magis mireris, etſi Imagines non ab una manu promanant, ſic tamen ſunt concinnæ, & ad artem accommodatæ, ut unus idemque illarum auctor videatur.

III. *Pictorum nomina, & quantum ii præſtent Pictoribus Menologii Baſiliani.*

Pictorum nomina ſunt quidem tribus Tabulis hunc in modum ſubjecta. Primæ videlicet, quæ Septembrem, Octobrem, & Novembrem continet, *Sergius filius Baſilii pinxit*. Tertiæ, quæ Martium, Aprilem, & Majum, *Andreas Eliæ filius pinxit*. Quartæ demum, quæ Junium, Julium, & Auguſtum, *Nicetas Joannis filius pinxit*. In reliquis duabus, quæ nimirum Decembrem, Januarium, & Februarium, quæque Dominicas & Ferias per anni circulum complectuntur, nomina Pictorum non ſunt expreſſa. Quam vero hi Pictores, *Sergius*, ſcilicet, *Andreas*, & *Nice-*

Nicetas, iis qui Menologium Baſilianum circa annum Chriſti 984. picturis exornarunt, *Pantaleoni*, *Simeoni*, *Michaeli Blachernitæ*, *Georgio*, *Menæ*, *Simeoni Blachernitæ*, *Michaeli Parvo*, & *Neſtori*, ſint anteponendi, picturæ ipſæ adinvicem collatæ oſtendunt. Quod argumento eſt, poſt reſtitutas in Oriente Sacras Imagines, pingendi artem in Græcia, & in ipſa Conſtantinopolitana Urbe, non a Monachis tantum, ſed etiam a Laicis, coli cœptam, eo paulatim provectam fuiſſe, ut quæ ſeculo decimo exeunte ſub Baſilio Porphyrogenito, qui laudatum Menologium deſcribendum pingendumque curavit, rudis plane & impolita fuerat, eadem tribus poſt ſeculis, quum Tabulæ noſtræ depictæ ſunt, ad *elegantiam, & concinnitatem, ut illa ætas*, Græcorumque genius ferre poterat, perducta ſit.

IV. Tabulæ quinque Capponianæ, quibus Calendarium Ruthenorum, pictis Sanctorum, ac præcipuarum anni ſolennitatum Imaginibus, adjunctiſque Slavonico ſeu Ruthenico charactere nominibus, ac titulis, continentur.

De Tabularum numero Marinus Phocas a cl. Marchione interrogatus, tot ſibi a Geraſimo fratre relictas fuiſſe affirmavit, quot idem Marchio Capponius ſoluto pretio emit: quinque videlicet Tabulas, quæ ſimul conjunctæ, quum quadratam figuram habeant, Græcam, ut ajunt, Crucem efficiunt. Pictum Eccleſiæ Ruthenicæ Menologium illas vere dixeris: Ephemerides enim Sanctorum totius anni, nec non Dominicas celebrioreſque Ferias ac ſolennitates, prænotatis Slavonico ſeu Ruthenico ſermone nominibus ac titulis, complectuntur. Prima ſcilicet Tabula Sanctos menſis Septembris, Octobris, & Novembris. Altera, Decembris, Januarii, & Februarii. Tertia, Martii, Aprilis, & Maji. Quarta, Junii, & Auguſti. Quinta denique, Dominicas, Feriaſque & præcipua Feſta repræſentat, quæ a Dominica Phariſæi & Publicani (quarta ſcilicet ante Jejunium Quadrageſimale) uſque ad octavam Pentecoſtes, in ſacris Græcorum Ruſſorumque Officiis, occurrunt. Hinc non inanis eorum conjectura mihi videtur, qui ſextam Tabulam periiſſe arbitrantur, in qua reliquæ anni Eccleſiaſtici Dominicæ, poſt octavam ſcilicet Pentecoſtes uſque ad Dominicam Publicani & Phariſæi, deſcriptæ fuerint. Ita enim fert integer Græcæ Eccleſiæ Ritus, quem Rutheni etiam ſequuntur, quemadmodum ex erudito cl. Viri Leonis Allatii de Dominicis & Hebdomadibus Græcorum tractatu, & ex Eccleſiaſticis ipſis Græcorum Ruſſorumque Libris planum compertumque eſt.

Digitized by Google

CAPUT II.

Tabularum Capponianarum cum Ruthenicis Ephemeridibus a Papebrochio editis comparatio.

I.
Capponianæ Tabulę quantum Bollandianis pręſtent, ac primum quidem Antiquitate, nam Bollandianæ pictæ ſunt an. Chr. 1628. Capponianæ circa ann. 1300.

BOLLANDIANI operis præſtantiſſimi doctiſſimus continuator Papebrochius, Actis Sanctorum Maji, Græco-Moſchas Ephemerides præmittit, Tabulis duodecim inciſas. Inſcriptiones vero, quæ Sanctorum Iconibus ſuperimpoſitæ legebantur, quaſque idem Papebrochius ab interprete Belga Latine verſas ſuis Ephemeridibus præfixit, edidit Ruthenice ac Latine, Romæ ex Typographia Hieronymi Mainardi anno 1733. R. P. Ignatius Kulczynski Ordinis S. Baſilii Magni Procurator Generalis & Rector SS. Sergii & Bacchi ad Montes, in *Appendice ad Specimen Eccleſiæ Ruthenicæ* pag. 83. qui & in eodem Specimine Part. II. a pag. 69. doctas ſcribit *Animadverſiones in Ephemerides Moſchorum figuratas*, *Actis Sanctorum inſertas*, *Tomo primo Maji præmiſſas*, *& per R. P. Danielem Papebrochium Soc. Jeſu variis obſervationibus illuſtratas*. Verum multa ſunt, quæ Tabulas noſtras Capponianas præ illis omnibus commendant. Ac primum quidem Bollandianæ Ephemerides *anno Mundi* 7136. *Indictione XII.* vel potius *XI.*, hoc eſt anno Chriſti 1628. ſculptæ vulgatæque ſunt, quemadmodum ad diem 30. Septembris in fine duarum ultimarum linearum adnotatum legit Papebrochius in Prolegomenis ad Tom. I. Maji pag. 44. Nonnullos etiam in Sanctorum numero repræſentant, qui ſeculo decimo tertio exeunte, vel decimo quarto ineunte floruerunt, uti ſunt *Paraſcevia*, quæ die 28. Octobris anno 1239. obiit: *Sergius* Abbas die 25. Septembris anno 1292. *Petrus* Metropolita Kiovienſis die 21. Decembris anno 1325. *Antonius*, *Joannes*, & *Euſtachius*, qui die 14. Aprilis circa annum 1328. Martyrio coronati dicuntur: *Alexius* denique Moſcovitarum Metropolita, qui die 13. Februarii anno 1372. deceſsit. At noſtræ Tabulæ antiquiores ſunt: nullum enim Sanctorum exhibent, qui poſt milleſimum tercenteſimum Chriſti annum vixerit; nec ullum feſtum commemorant, quod ſit poſt ſeculum illud inſtitutum: quemadmodum ex iis, quæ ſuo loco obſervabimus, planum fit. Omnium ſiquidem recentiſſimi, qui decimo, undecimo, & tertiodecimo ſeculo inſtituti ſunt Feſti

dies,

dies, in noſtris Tabulis hi occurrunt: videlicet, I. *die* 1. *Octobris, Patrocinium B. Virginis Deiparæ Mariæ*, anno Chriſti 911. ſub Leone Sapiente Imperatore. II. *die* 16. *Auguſti*, *Translatio non manufactæ Imaginis Domini noſtri Jeſu Chriſti ex Urbe Edeſſa Conſtantinopolim*, ſub Romano Lacapeno Imperatore anno 944. III. *die* 30. *Januarii*, *Commemoratio SS. Gregorii Theologi*, *Baſilii Magni*, & *Joannis Chryſoſtomi*, ſub Alexio Comneno circa annum 1086. vel 1100. IV. denique *die* 12. *Decembris S. Sabæ Serviæ Archiepiſcopi*, qui obiit anno Chriſti 1250. Quæ omnia, ut mihi videtur, abunde declarant, paulo poſt ann. 1250. Tabulas noſtras deſcriptas depictaſque fuiſſe: alioquin non eſſet, cur Sanctos recentiores, aut inſtitutas poſteriori ævo feſtivitates, non exhiberent.

II. Deinde Bollandianæ Tabulæ & Ephemerides Culcinianæ, Sanctos Ruthenos tum veteres, tum recentes exhibent. At Caponianæ, præter S. Cyrillum, & S. Sabam, nullum alium commemorant qui non ſit in Calendario Eccleſiæ Græcæ olim deſcriptus.

Præterea, quæ a Bollandianis Patribus, & a P. Ignatio Kulczynski vulgatæ ſunt Græco-Moſchæ Tabulæ & Ephemerides Ruthenicæ, non recentes modo, quos ſupra enumeravimus, ſed antiquos etiam continent Ruthenicæ Eccleſiæ Sanctos, ut *Cyrillum Philoſophum* & Slavorum Apoſtolum die 14. Februarii: *Helenam*, alias Olgam, Reginam, *Volodimirum* Ruſſorum Principem, *Boryſum* & *Glebam* Volodimiri filios, diebus 11. 17. & 24. Julii: nec non *Cleopatram* Sanctimonialem, *Hilarionem* Epiſcopum Mehlenſem, *Athanaſium* Metropolitam, diebus 20. 21. & 24. Octobris: *Barlaamum* denique Novogrodenſem die 16. Novembris. Noſtræ autem Ephemerides, quamvis ſermone Ruthenico, ac proinde ad uſum Eccleſiæ Ruthenorum confectæ, nullum Ruthenum aut Slavonicum Sanctum, excepto Cyrillo Slavicarum Literarum inventore, eodemque Moraviæ & Bulgariæ Apoſtolo, & S. Saba Serviæ primo, ut ajunt, Patriarcha, commemorant.

III. Orthodoxus Græcorum Ruſſorumque Ritus per ea tempora, quibus Tabulæ noſtræ ſunt depictæ, oſtenditur.

Sed quod Tabulis noſtris ſplendorem magis pretiumque conciliat, Orthodoxæ eſt Græcæ Eccleſiæ Ritus in celebrandis per anni circulum Chriſti Domini, Deiparæ, Sanctorumque Feſtivitatibus exacte accurateque deſcriptus: ex quo nobis perſpicuum redditur, quænam fuerit per ea tempora, quibus Tabulæ iſtæ pictæ ſunt, hoc eſt, exeunte tertiodecimo Chriſti ſeculo, tum Græcorum, tum Ruſſorum, in Divinis officiis diſciplina. Ex his ſane Tabulis, tum etiam ex Menologio Baſiliano, vetuſtiſque Græcorum Menologiis & Kalendariis, quæ in Vaticana, aliiſque Bibliothecis exſtant, quæque nos ſuo loco in lucem proferemus, non inani conjectura colligimus, ſero tandem in Ec-

cleſiæ

Digitized by Google

cleſiæ Græcæ Kalendarium irrepſiſſe Photii, Gregorii Palamæ, aliorumque Schiſmaticorum nomina, quæ in recentibus tantum libris apparent. Non enim veroſimile eſt, aut ex infinitis propemodum hujus generis Eccleſiaſticis Codicibus illos tantum ad nos perveniſſe, quibus Orthodoxi Græci uſque ad ſeculum tertiumdecimum uſi fuiſſent: aut, ſi pro Sanctis antiquiores hoc ſeculo Schiſmaticos ii coluiſſent, ipſorum memoriam in Menæis, in Kalendariis, in Ephemeridibus, adnotatam non fuiſſe. Poſt redintegratum igitur, ac longe lateque propagatum, Michaëlis Cerularii, & ſequentium Byzantii Patriarcharum opera, Græcorum Schiſma, tum primum videntur infenſi illi Romanæ Apoſtolicæ Sedi Antiſtites, primo quidem Summi Pontificis nomen è Sacris Diptychis, Petro Antiocheno teſte in Epiſtola ad eundem Michaelem Cerularium anno Chriſti milleſimo quinquageſimo quarto data, quæ a Baronio ad ann. 1154. num. 37. refertur, expungendum curaſſe; tum vero celebriores factionis ſuæ homines in Tabulas Sanctorum referre cœpiſſe.

IV. Secus dicendum de Papebrochianis Ephemeridibus, quæ nonnullos in Sanctorum numero exhibent, aut dubiæ fidei, aut certe Schiſmaticos.

Hinc in noſtris quidem Tabulis, quæ exeunte ſeculo, ut diximus, tertiodecimo, ſunt confectæ, nullum legitur Schiſmaticorum hujuſmodi nomen, nulla Hæreticorum memoria: ſecus in Papebrochianis Ephemeridibus occurrunt in Sànctorum numerum relati nonnulli, quos neque Kulcinius inter Sanctos Ruthenos agnoſcit, neque Græcorum Menologium exhibet, ut puta *Ignatius* Epiſcopus ad diem 28. Maji: *Dionyſius* Monachus die 1. Junii: *Cyrillus* Monachus die 9. Junii: præterea quidam Ruthenorum Antiſtites ſeu Monachi ſive Principes, inter Sanctos recenſentur, qui, quum poſt invectum in Græcos & Ruſſos Photianum & Cerularianum Schiſma vixerint, ſuſpectæ fidei ſunt, imo pro Schiſmaticis diſerte habentur a Poſſevino, tametſi Papebrochius & Kulcinius ab hac illos labe purgare contenduut, ut infra ſermo erit; ſunt autem *Sergius Radoznenſis* die 25. Septembris, quem Poſſevinus circa annum Chriſti 1562. obiiſſe ſcribit; is autem qui teſte Papebrochio vitam ipſius ſcripſit, teſtatur eum deceſſiſſe anno Mundi 6800., hoc eſt, Chriſti 1292. *Petrus Metropolita* ad diem 21. Decembris, qui circa annum Chr. 1300. teſte Herberſtenio, Duci Moſchorum Joanni Danielis filio ſuaſit, transferre Moſcuam Imperii Sedem, exemplum ſequutis poſteris. *Alexius Metropolita*, die 12. Februarii, & 20. Maji, qui anno Chriſti 1364. a Philotheo Patriarcha Conſtantinopol. conſecratus

Digitized by Google

cratus dicitur. *Jonas Metropolita*, ſive is qui poſt Geraſimum Photii Schiſmatici Ruſſorum Metropolitæ Succeſſorem, adverſus Iſidorum S. R. E. Cardinalem, & Gregorium Orthodoxum Ruſſiæ Inferioris Archiepiſcopum, in Ruſſia Superiori pro Metropolitano vivens, & pro Sancto poſt obitum a Schiſmaticis Ruſſis eſt habitus; ſive alter ejuſdem nominis *Jonas*, cognomento *Hlezna*, qui ab anno Chr. 1482. ad annum 1490. ſedit, & a Kulcinio tamquam Sanctus ad diem 30. Martii ponitur; quum Ruthenos Antiſtites poſt Iſidori Cardinalis, & Gregorii Metropolitæ tempora, hoc eſt, ab anno Chriſti 1474. uſque ad annum 1594., quo ſub Clemente VIII. Summo Pontifice ad unitatem Fideī Catholicæ redierunt, in teterrimo ſchiſmate vixiſſe, ex eorúndem Literis Eminentiſſimus Baronius in Appendice ad Tom. VII. Annalium oſtendat.

V. Tabulæ Capponianæ depictæ videntur in aliquo ex Monaſteriis Montis Atho, quæ a Joanne Comneno deſcribuntur.

Quamobrem haud improbabili argumento conjicimus, Tabulas noſtras in Græcia pictas fuiſſe, ubi Sancti illi Rutheni, vel nondum probati, vel ſaltem in Kalendarium, ſeu Menologium Græcorum relati non fuerant. Sacros enim Græcæ Eccleſiæ Faſtos, a qua Ruſſi Fidem Ritumque acceperunt, quomodo in Conſtantinopolitana Eccleſia ſervabantur, ſic deſcribere Græci Pictores voluerunt; additis ſolum *Cyrilli* Slavicæ gentis Apoſtoli, & *Sabæ* Servorum Patriarchæ nominibus, in gratiam fortaſſe Servorum, aut Ruſſorum, Principis, ſive Metropolitæ, cui Tabulæ illæ oblatæ fuiſſe videntur. Conjecturam noſtram confirmat fundatum a priſcis temporibus in *Monte Atho*, haud procul ab urbe Theſſalonica, pro *Bulgarorum* & *Servorum* natione monaſterium, & aliud recentius pro *Ruſſis*: quo in monaſterio, *Servorum* ſcilicet, ac *Bulgarorum*, eæ Ephemerides Ruthenicæ ſive Slavicæ, fuerint olim elaboratæ.

Etenim hoc in more Monachorum Græcorum Montis Atho poſitum eſt, ut ſive ſcribendo, ſive pingendo, ſive ſculpendo, Menologia hujuſmodi, Kalendaria, Diptycha, ſeu Ephemerides Sanctorum, mira arte conficiant, iiſque vel dono datis, vel juſto pretio venditis, victum ſibi veſtitumque comparent. Luculentum hujus rei teſtimonium nobis ſuppeditat *Joannes Comnenus* Medicus in *Deſcriptione Sancti Montis Atho*, quæ primum Græca vulgari lingua prodierat typis *Anthimi* Hieromonachi ex Iberia in *Monaſterio Synagobi* in *Ungaro-Ulachia anno* 1701. deinde Græcè & Latinè lucem aſpexit opera & ſtudio cl. Viri *Bernar-*

Digitized by Google

di de Montfaucon Pariſiis 1708. *in Palæographia Græca* lib. 7. a pag. 433. Sic autem ſcribit *Joannes Comnenus* de opere manuum Monachorum Montis Atho pag. 457. *De Aſceteriis ac Templo S. Annæ. Incolæ vero Eremitæ, & Aſcetæ labore manuum victum parant: & alii quidem ſunt calligraphi, alii libros compingunt, alii Pſaltæ ſunt: hi thecas Reliquiarum vel Cruces inſculpunt: illi Camelaucia ſive Theriſtra plectant: alii Cochlearia, alii Roſaria conficiunt, ex iiſque victitant. Quod reliquum temporis habent, orationi impendunt.* Cruces, quas Monachi illi inſculpunt, buxeæ plerumque ſunt, aut ex alio ligno, continentque minutiſſimas Chriſti, Deiparæ, & Sanctorum Imagines, non quidem pictas, ſed anaglyphas & exſtantes, quas vulgo dicimus *di rilievo*: cujuſmodi Cruces, ſeu Imagines in crucibus incluſæ, paſſim apud Græcos viſuntur, & nonnullas ego penes me habeo, a Monachis Græcis tunc mihi traditas, quum in eo quod in Syriam ſuſceperam anno Chr. 1736. itinere, per inſulas Græciæ pertranſirem.

Quod vero Joannes Comnenus *de Monachis S. Annæ* ſcribit, hoc de cæteris ſacri illius Montis Aſcetis eſt intelligendum: ubique enim labore manuum ſibi victum parant Monachi illi Athonitæ, ubique ſunt calligraphi, librorumve compactores, ubique cruces inſculpunt, camelaucia plectunt, cochlearia bùxea conficiunt, coronas è buxo vel olea elaborant. Ad hæc Imagines Chriſti, Deiparæ, Sanctorum; non ſolum è buxo aliove ligno inſculpunt, ſed etiam in tabulis penicillo coloribus pingunt, ac præſertim eorum Sanctorum, quibus eſt Monaſterium inſcriptum, ut puta, *S. Athanaſii* Athonitæ: *S. Annæ: Annunciationis Deiparæ, Batopedii, & Philothei: Deiparæ* τῶν εἰσοδίων, *Chilantarii: Dormitionis Deiparæ, Iberorum, & Protati: S. Dionyſii: Pantocratoris: SS. Quadraginta, Xeropotami: Transfigurationis Domini, Cutlumuſæ: Nativitatis Chriſti, Simonis Petræ: S. Georgii, Zographi ſive Pictoris, & Xenophontis: SS. Michaelis, & Gabrielis, Dochiarii: S. Pauli, Bulgarorum & Servorum: S. Nicolai, Gregorii junioris, & Stauronicetæ: SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, Caracali: Aſcenſionis Chriſti, Eſphigmeni: S. Panteleemonis, Ruſſorum: S. Stephani, Caſtamoniti.* Tam enim ſunt Græci omnes erga Sacrarum Imaginum cultum affecti, ut non antiquas modo Icones in Templis venerentur, ſed novas etiam in dies ſive in Eccleſiis, ſive in Ædibus privatis colen-

das

das appendant, ſive etiam ſecum in itinere, thecis incluſas, & è collo pendentes geſtent.

CAPUT III.

Diverſæ Picturarum ſpecies apud antiquos Orientales Chriſtianos.

I. Imaginum cultus, & multiplex picturarum genus ex Sanctis Patribus in Concilio Nicæn. II. laudatis.

QUONIAM vero Cœnobiorum Montis Atho facta eſt mentio, juvat paulo fuſius ex eodem Joanne Comneno tum Græcas, tum Moſcoviticas, quæ in iis ſunt Imagines enumerando ob oculos ponere: ſunt enim earum nonnullæ, Tabulis noſtris Capponianis ſimillimæ, aliæ coloribus depictas aut muſivo opere confectas, ſive argento cælatas, Chriſti Domini, Deiparæ, Apoſtolorum, & Sanctorum Effigies exhibent: aliæ hiſtoriam Evangelicam, reſque a Sanctis geſtas repræſentant: quædam denique Imperatorum, Auguſtarum, Principum, & eorum qui Monaſteria aut Eccleſias fundarunt ſive exornarunt, imagines & nomina, & inſcriptiones. Quæ omnia multiplex picturarum genus non ab antiquis tantum, ſed etiam a Græcis recentioribus excultum fuiſſe demonſtrant; idque etiamnum in uſu eſſe in Græcia, quod olim temporibus ſuis uſurpatum in Templis, in parietibus Eccleſiarum, in veſtibus ſacris, in codicibus Evangeliorum, docent Græci ipſi Scriptores Eccleſiaſtici. In Concilio Nicæno II. collecta ſunt quamplurima iſtiuſmodi Patrum teſtimonia, quæ Joanni Comneno præmittenda cenſeo, ut ex iis pateat, unam eamdemque hac in re ſemper fuiſſe Eccleſiæ Orientis diſciplinam.

II. S. Joannes Chryſoſtomus.

Hæc igitur, quæ ad rem noſtram magis faciunt, accipe. S. Joannes Chryſoſtomus Encomio in S. Meletium Epiſcopum Antiochenum, Act. 4. Concil. Nic. II. edit. Venet. anni 1729. tom. 8. pag. 850. „ Non autem circa nomen tam magnum affectum paſſi eſtis tantummodo, verum etiam & circa ipſam ejus „ corporis formam. Quod ergo in nominibus feciſtis, hoc & ſem„ per illius Iconem geſſiſtis. Etenim in anulorum circulis, & in „ calicibus, & phialis, & in thalamorum parietibus, & ubique, „ Iconam Sanctam illam exaraverunt multi, ut non ſolum audi„ rent ſanctum vocabulum illud, ſed & viderent corporis ejus „ ubique figuram „. Idem in ſermone, quod veteris & novi Teſtamenti unus ſit Legislator: „ Ego & cera perfuſam dilexi

„ picturam pietate repletam. Vidi enim Angelum in Icona pel-
„ lentem barbarorum cuneos: vidi conculcatas barbarorum na-
„ tiones, & David veraciter dicentem: Domine in civitate tua
III. S. Gregorius Niſſenus. „ imaginem eorum ad nihilum rediges „. S. Gregorius Nyſſe-
nus in Sermone de Deitate Filii & Spiritus, & in Abraham,
pag, 851. „ Vidi ſæpe in pictura Imaginem paſsionis, & non ſine
„ lacrymis aſpectum tranſivi, dum evidenter ars ante vultum af-
„ ferret hiſtoriam. Cæterum ponitur Iſaac apud ipſum Altare ſu-
„ per genu locatus, & ligatas habent manus retrorſum. At ille
„ aſcendens poſt tergum pueri, ſuffragini innixus, læva manu
„ comam tueri ad ſe reflectit, & incurvatur vultui miſerabiliter
„ ad ipſum reſpicienti, & dexteram, armatus gladio, ad occiſio-
„ nem dirigit, & tangit jam corpus gladii acie: & tunc ei fit di-
IV. S. Cyrillus Alexandrinus. „ vinitus vox prohibens opus „. Hæc Nyſſenus de Iſaaco. San-
ctus vero Cyrillus Alexandrinus de Abrahamo in Epiſt. ad Aca-
cium Scythopoleos Epiſcopum pag. 854. „ Ergo ſi quidam no-
„ ſtrum deſiderat videre depictam in tabula hiſtoriam de Abra-
„ ham: quomodo ſcilicet eum deſignaverit pictor? utrumnam
„ ſimul, an ſigillatim geſſerit quæ de illo dicuntur? ſiquidem,
„ nonnulli in alia atque alia ſpecie diverſis eundem locis depin-
„ gunt: ut puta aliquando ſedentem quidem aſino, aſſumpto
„ puero ſequentibus famulis: aliquando autem remanente rur-
„ ſus aſino deorſum unacum famulis, onerantem Iſaac, & haben-
„ tem præ manibus gladium ſimul & ignem. Nec non & alibi
„ eundem in ſpecie iterum alia compedientem ſuper ligna ado-
„ leſcentem, & armaſſe gladio dexteram, ut necem inferat „.
V. S. Nilus. S. Nilus in Epiſt. ad Olympiodorum Præfectum pag. 875. docet,
quæ ſint in Eccleſia Imagines depingendæ. „ Scribis mihi, ſi pu-
„ tas, decorum ſit tibi extracturo Templum maximum ad hono-
„ rem tam Sanctorum Martyrum, quam Chriſti, quem ipſi per
„ certamina & dolores ac ſudores teſtificati ſunt, vel Imagines
„ etiam ponere in Sacrario & variis animalium venationibus pa-
„ rietes implere a dextris & a ſiniſtris; ita ut videantur, in ter-
„ ra quidem extenſa lina, & lepores & capræ, & cætera anima-
„ lia fugere: porro illi capere feſtinantes, tum catellis alacriter
„ inſequi: in mari vero laxari retia, & omne genus piſcium ca-
„ pi, & ad aridam piſcatoris manibus ferri: inſuper & gypſo fin-
„ gi omnes ſpecies, oſtendi ad deſiderium oculorum in domo
„ Dei: ſed & in communi domo mille cruces infigi, & picturas

„ volu-

„ volucrum ac jumentorum, & repentium, ac diverſorum ger-
„ minum fieri. Ego ad ea quæ ſcripta ſunt, dixerim; quia nimi-
„ rum infantium eſt, & parvulos decet, his, quæ prædicta ſunt,
„ ſeducere fidelium oculum: firmi vero & virilis ſenſus pro-
„ prium eſt, in Sacrario quidem ad Orientem divini Templi
„ unam & ſolam Crucem formare: per unam enim & ſalutarem
„ Crucem ſalvatur hominum genus, & deſperatis quidem ſpes
„ ubique prædicatur. Hiſtoriis autem veteris & novi Teſtamen-
„ ti replere hinc & inde manu optimi Pictoris Templum Sancto-
„ rum, quatenus qui neſciunt literas, neque poſſunt legere di-
„ vinas Scripturas, contemplatione picturæ memoriam ſumant
„ *fortis facti eorum, qui vero Deo proprie ſervierunt*, & ad
„ *æmulationem erigantur glorioſarum & memorabilium actio-*
„ *num, pro eo quod terram pro cœlo commutaverint*, quæ non
„ videntur, viſibilibus præponentes. Porro in communi domo
„ multis ac diverſis domunculis inſignita, ſufficere unicuique
„ manſiunculæ infixam pretioſam Crucem, & ſuperflua dimitti
„ neceſſarium æſtimo „. S. Sophronius Hieroſolymorum Ar-
chiepiſcopus Encomio in SS. Cyrum & Joannem, Eccleſiam de-
ſcribit Alexandriæ in eorum honorem erectam, pag. 898. „ Alii
„ quidem (*inquiens*) aliter Sanctos honorificent, multifarie do-
„ na eorum divulgantes, & beneficia multimode prædicantes:
„ alii quidem Templorum excelſorum erectionibus, alii vero
„ variorum marmorum ornamentis, alii autem deauratorum mu-
„ ſivorum compoſitionibus: alii ſplendidis Pictorum artificiis, &
„ aureis, alii etiam argenteis monumentis: porro alii ſericis &
„ bombycinis texturis: & ut ſemel abſolute dicamus, omnes in
„ honorem Martyrum ſatagant, ut unicuique facultas & volun-
„ tas ſuppeditat „. Et pag. 899. „ Alexandriam Ægypti &
„ Lybiæ audio Metropolim „. Et poſt alia. „ Venientes ergo
„ ad Templum quoddam perfectum (*Tetrapylum magnum in-*
„ *fra vocat*) ſpecie quidem terribile & præclarum, altitudine
„ vero ad cœlum ipſum pertingens: quod intrantes, maximam
„ Imaginem & admirabilem videbamus, in medio quidem Do-
„ minum Chriſtum pictum coloribus habentem, Chriſti autem
„ Matrem & Dominam noſtram Dei genitricem & ſemper Virgi-
„ nem Mariam ſiniſtrorſum, & dextrorſum Joannem Baptiſtam
„ & Præcurſorem ejuſdem Salvatoris, qui ex utero eum exulta-
„ tionibus prænunciavit (nam & loquens quum eſſet intus, non
„ audie-

VI.
S. Sophronius Patriarcha Hieroſol.

„ audiebatur:) & quidam ex Apoſtolorum, & Prophetarum glorioſo choro, & Martyrum cœtu: cum quibus & aderant ipſi Cyrus & Joannes Martyres, qui ante Imaginem ſtantes, Domino procidebant, genua incurvantes, & capita in pavimentum ferentes, & pro juvenis medela intercedentes „. Ex miraculis SS. Coſmæ & Damiani pag. 903. „ Deſperavit ergo ſe vir, & accepit a multis conſilium, ut ad Sanctorum Dei famulorum Coſmæ & Damiani ſanctificatam pergeret domum „. Et poſt pauca. „ Porro quum permanſiſſet anno, & nullam viſitationem fuiſſet adeptus, in fine egreſſus limine, quod appoſitum erat domui Sanctorum, & intuens in Imaginem Salvatoris, quæ poſita erat in dexteriori porticu (picta vero erat in ea tam Sancta Maria Dei genitrix, quàm Sancti famuli Chriſti Coſmas & Damianus, & quidam ex magnis viris, Leontius nomine:) deprecationibus factis prolixis, flevit per multas horas amare: atque obſecratis Sanctis, abiit in locum cubiculi ſui. Et aſpicit per noctem venientes ad ſe famulos Chriſti Coſmam & Damianum, mediam habentes gratia plenam Virginem, & dicentem ipſis: Ecce iſte eſt, adjuvate eum velociter „. Ex martyrio S. Procopii, qui ſub Diocletiano paſſus eſt, pag. 930. „ Neanias autem gaudio magno percepto in fide roboratus eſt, ſimiliter omnes qui cum eo erant: & eadem noctis hora reverſus eſt cum militibus, & venit Scythopolim: & advocatis occulte omnibus auri & argenti artificibus, interrogabat eos, dicens: Poteſtis mihi facere vas, quod ego vobis expono? Qui timentes auſteritatem viri, conſilio facto ſtatuerunt coram eo unum, qui erat major eorum, artificem nomine Marcum, dicentes: Iſte faciet, Domine, voluntatem tuam „. Et poſt pauca. „ Marcus autem non parebat ei. Neanias vero perſuaſit illi, dicens: quia uſque ad mortem, non indicabo Imperatori ſecretum. Qui credens, per noctem in ſecreto operatus eſt Crucem de argento & auro. Et factum eſt, ut conſummata & erecta Cruce, apparerent tres in ea Imagines: & erat ſuperſcriptum Hebraica dictione ſurſum in principio, Emmanuel: & in utriſque initiis, Michael, & Gabriel. Voluit ergo Marcus reveritus delere imagines, & non potuit: manus enim ejus manebat veluti arida. Quum autem gallus vocem dediſſet, venit Dux, qui dicebatur Neanias, ad domum Marci, ut tolleret Crucem: & videns eam, adora-

VII. De Miraculis SS. Coſmæ & Damiani.

VIII. De S. Neania ſeu Procopio.

„ vit

„ vit illam, & dicit Marco: quæ ſunt hæ facies, & quæ ſuper-
„ ſcriptio? Dicit ei: Domine in ea hora, qua conſummatum eſt
„ opus, ortæ ſunt Iconæ iſtæ, & neſcio cujus, vel quæ ſit ſuper-
„ ſcriptio. Porro Neanias cognovit quamdam virtutem in ea eſ-
„ ſe. Et adorata Cruce, involvit purpura, & ivit viam ſuam
„ gaudens, datis artifici Marco pretiis pluribus „. Aſterius Amaſeæ in Ponto Epiſcopus, qui circa annum Chriſti 401. claruit, Encomio in S. Euphemiam Martyrem pag. 858., depictam ejus paſſionem graphice deſcribit. „ Illinc, *inquit*, ad Dei Templum
„ profectus ſum, oraturus in vocatione. Quum autem & hoc
„ conſecutus, in obſcuro porticus domorum incederem, vidi il-
„ lic picturam quamdam, & me in ſummitatem viſio cepit: ut
„ Euphanoris autem diceres eſſe diligentiam artificii, vel cujuſ-
„ que illorum veterum, qui picturæ plurimum dignitatis conci-
„ liarunt, quum modica eſſet, etiam tabulas animatas operan-
„ tes „. *Et poſt pauca*. „ Mulier quædam virgo ſacra & incor-
„ rupta, Deo pudicitiam vovens, Euphemiam vocant eam....
„ Pictor autem pie agens, & ipſe per artem pro viribus totam
„ hiſtoriam ejus deſignans in ſindone, juxta thecam ſacram po-
„ ſuit viſionem. Habet autem ita ſe illud amabile artificium.
„ Excelſus ſuper thronum ſtabilis eſt judex, amare ac maligne
„ aſpiciens in virginem.... Adſunt autem ſatellites principa-
„ tus, & milites multi.... Stabat autem virgo in aquilo indu-
„ mento ἐν φαιῷ χιτῶνι ac tunica, philoſophiam deſignans, &,
„ ut viſum eſt pictori, etiam vultu urbano.... Ducunt autem
„ ad Principem duo milites, unus quidem illam ante trahens,
„ alter autem poſt tergum urgens virginis temperatum pudore
„ atque conſtantia morem „. Cætera. Atque hæc ex Actis Concilii Nicæni II. ſunt deſumta: quibus multa in hanc rem addi poſſunt de antiquo, & multiplici in Eccleſiis Orientis & Occidentis Picturarum uſu: ſed quoniam in Opere noſtro de Sacris Imaginibus fuſius hoc de argumento diſſeruimus, placet nunc laudatis Patrum teſtimoniis pauca adjicere.

IX. Aſterius Amaſeæ Epiſcopus.

X. Diverſæ Picturarum ſpecies in auro, argento, veſtibus, & vaſis ſacris.

Idem igitur Aſterius, qui S. Euphemiam in tela depictam deſcripſit, in veſtibus etiam picturas ſuo ævo fieri conſuetas enarrat in *Homilia de Divite & Lazaro* apud Ciampinum Par. 1. Veterum Monimentorum cap. 13. pag. 93. ubi uſum hujuſmodi carpens: „ Nec vero, *inquit*, conſtituerunt hic ſtultæ ſolertiæ fines;
„ ſed una quadam & ſupervacua arte texendi inventa, quæ ſta-
„ minis

„ minis atque ſubtegminis contextu pictoriam facultatem imita-
„ tur, & omnium formas animalium in veſtibus exprimit. Flo-
„ ridam & infinitis imaginibus variegatam veſtem tum ſibi, tum
„ uxoribus & liberis ſtudioſe comparant: ludentes etiam in re-
„ liquis puerili more, nihilque ſedulo vel ſerio agentes, per im-
„ modicas divitias, abutentes vita, non utentes; adverſantes
„ denique Paulo, pugnanteſque iis, quæ numinis inſtinctu pro-
„ fatus eſt, non dictis, ſed factis. Quæ enim ille verbo proſcri-
„ pſit, hæc iſti mordicus retinent, & ipſa re confirmant. Quan-
„ documque igitur amicti prodeunt, quaſi depicti inter ſe, di-
„ gitiſque commonſtrantes in veſtibus picturam. Proſequuntur
„ etiam ad multum ſpatii, neque temere recedunt: ſunt ibi leo-
„ nes, pantheræ, urſi, tauri, canes, ſilvæ, ſaxa, ac venatores,
„ & omnia denique, circa quæ pictorum verſatur induſtria, ad
„ imitationem naturæ expreſſa. Neceſſe quippe erat, ut vide-
„ tur, parietes non ſolum atque domos ita adornari; verum etiam
„ ipſas tunicas & pallia eis ſuperjecta. Qui vero, quæque ex di-
„ vitibus illis religioſiores ſunt, ex hiſtoria Evangelica textori-
„ bus argumenta ſuppeditant: ipſum dico Chriſtum cum Diſci-
„ pulis omnibus, & unumquodque miraculorum, hoc ipſo quo
„ narratur modo. Videbis nuptias Galilææ, & hydrias; Para-
„ lyticum humeris lectum ferentem: Cæcum qui luto curatur:
„ Mulieremquæ ſanguinis profluvio laborat, fimbriam prehen-
„ dentem: Peccatricem ad pedes Jeſu accedentem: Lazarum è
„ ſepulcro ad vitam revertentem. Et hæc dum faciunt, pie ſe
„ facere, & veſtimenta Deo grata induere arbitrantur.

XI. Ex Nicephoro Patriarcha Conſtantinopolitano.

Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui in locum S. Taraſii anno Chr. 800. creatus, & anno 815. ob propugnatum ſacrarum Imaginum cultum depoſitus, atque inde *Homologetes* ſive Confeſſor merito audit, *in Oratione de immaculata Chriſtianorum Fide* (cujus orationis capita 83. recenſet cl. Anſelmus Bandurius in Conſpectu operum ejuſdem S. Nicephori Tom. 1. apud Fabricium in Biblioth. Græc. Tom. 6. pag. 643.) hæc habet apud cl. Allatium de Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis perpetua conſenſione lib. 3. cap. 15. pag. 1202. „ Ad hæc ſacra cimelia
„ invadunt (Iconomachi) in quibus ſacra & vivifica Chriſti pe-
„ raguntur myſteria, nec non & veſtes, quotquot venerandis
„ hiſce picturis decore exornantur: adhuc etiam tabulas, quæ
„ in Evangelicis Libris adorantur. Deſtruunt itaque Evange-
„ lium.

„ lium. Ecquid etenim apud eos videre eſt, niſi loco ſuo dimo-
„ tum & abolitum Evangelium? nam in quo different, quæ in-
„ tus exarata ſunt, ab iis, quæ extra depicta, *τῶν ἐκτὸς ἱστορη-*
„ *μένων*, quum eadem ſententia & argumentum in utriſque con-
„ ſpiciatur? Propterea que ſi unum venerandum eſt, & aliud
„ venerandum erit, vel unum cum alio perditum iri neceſſe eſt.
„ Jam vero intuemur complures ex his libris venerandis, ex an-
„ tiquioribus etiam, & multum ante tempus a piis & Dei aman-
„ tibus hominibus, ut teſtimonio hominum comprobatur, con-
„ ſcriptis; qui dum aperiuntur, in una parte ob ſcriptoriæ artis
„ concinnitatem, divinæ nobis hiſtoriæ præcepta inſinuant; in
„ parte vero alia, propter pictoriæ excellens artificium, *διὰ τῆς*
„ *ζωγραφικῆς εὐτεχνίας*, res nobis eaſdem oſtendunt. *Et poſt*
„ *pauca*: non eos (*Iconomachos ſcilicet*) ſacrorum Vaſorum mul-
„ titudo, quæ verbis exprimi nequit, & ingenio hominum con-
„ quiri, ſacris hiſce Imaginibus decore nimis elaborata, emolli-
„ vit. *Et Antirrhetico III.* Quæ enim ab initio & a Chriſtianis,
„ tum in auro, tum in argento, fabrefacta ſunt, vocanturque
„ Phylacteria, & quæ in collo appenſa & per pectus demiſſa por-
„ tamus nos Chriſtiani, cuſtodiendam ac muniendam vitam no-
„ ſtram, & ſervandas animas & corpora noſtra (hinc enim illis &
„ nomen appoſitum eſt, quod ſanant morbos, & impurorum Dæ-
„ monum impetus arcent) ea nos poſſidere arbitramur. In illis
„ paſſio Chriſti, & miracula, & vitam afferens reſurrectio, ut
„ plurimum depicta conſpiciuntur. Et horum innumera copia
„ penes Chriſtianos eſt. *Et paucis interjectis.* Quandoquidem
„ & in ſacris ædibus res ſacræ repoſitæ ſunt, ſimiliter & quæ in
„ divina Menſa & in aliis Templi partibus expanduntur, tam in
„ veſtibus, quam in alia materia depicta, tamquam res ſacræ, &
„ ab ipſis Chriſtianis adoratæ, a principio confectæ ſunt.

XII. Veſtes pictæ ex veterum teſtimoniis.

Nimius eſſem, ſi vellem omnia Græcorum Patrum teſtimonia de diverſo Picturarum ſacrarum genere, & uſu congerere. At quæ hactenus ſunt producta, manifeſtum faciunt, non tantum pictas coloribus Imagines ab antiquis Græcis fuiſſe adhibitas; ſed etiam auro vel argento fabrefactas, atque adeo extantes: item ſacris veſtibus intextas, & tabulis Evangeliorum impoſitas, inſtar Diptychorum, ac proinde vel ex ebore, vel ex auro argentove confectas: cujuſmodi etiamnum in operculis ſacrorum Codicum viſuntur. Et de picturarum quidem extantium uſu, etiam apud

Digitized by Google

Græcos recentiores noſtra ætate ſervato, infra ſermo erit. Ad pictas vero veſtes quod ſpectat, ut nunc omittam Homerum, qui variegatam animalium figuris tunicam Ulyſſi tribuit: ut taceam de Maſſagetis, quos Herodotus herbarum ſucco pinxiſſe animalia in veſtibus tradit. Ut ſileam Ariſtotelem (*a*), in opere de Admirandis Auditionibus de Alciſthene Sybarita hæc ſcribentem: ,, Alciſtheni Sybaritæ tradunt, veſtem tanta magnificentia con- ,, fectam eſſe, ut quum in Laciniæ Junonis Panegyri, ad quam ,, tota confluere ſolet Italia, propoſuiſſet ſpectandam, omnium ,, oculos a reliquis in ſe converterit. Hanc ajunt Carthaginien- ,, ſibus emptam a Dionyſio Seniore tum regnante, centum vi- ,, ginti talentorum pretio. Purpurea erat tota, amplitudine ,, quindecim cubitorum, animalculis intertextis diſtincta. Su- ,, perne quidem Suſis, inferne vero Perſicis. In medio autem ,, Jupiter, Juno, Themis, Minerva, Apollo, Venus elucebant. ,, Ad latera Alciſthenes, utrinque autem Sybaris ,,. Ut hæc, inquam, nimis vetuſta ſilentio prætercam, ſub ipſis Imperatoribus legimus idipſum veſtium genus uſurpatum. Et quidem apud Vopiſcum in Carino de pallio tyrianthino, cui Meſſallæ nomen & uxoris inſcriptum: ,, Inſcriptum eſt adhuc in choraulæ pallio ,, tyrianthino, quo ille velut ſpolio nobilitatis exultat, Meſſal- ,, læ nomen, & uxoris ,,. In gratiarum actione, ex epiſtola Gratiani Auguſti: *Palmatam tibi miſi, in qua divus Conſtantinus parens noſter intextus eſt*. Denique facit ad hoc etiam eorum teſtimonium, qui in veſtibus nomen, vel Monogramma inſcriptum tradunt. Plinius lib. 35. cap. 9. de Zeuxi. *Opes quoque tantas acquiſivit, ut in oſtentatione earum, Olympiæ aureis literis in palliorum teſſeris intextum nomen ſuum oſtentarit*. Apulejus lib. 6. de Aſino aureo: *Videt dona ſpecioſa, & lacinias auro literatas, ramis arborum poſtibuſque ſuffixas, quæ cum gratia facti, nomen Deæ, cui fuerant dicata, teſtabantur*. Hinc Anaſtaſius in Leone IV. *Atque ipſum ſuper Altare fecit veſtem auro textam, candi-*

dis

---

a Fortunius Licetus in Hydrologia Peripatetica diſp. 9. citat Auctores ambigentes, an Libellus *de admirandis Auditionibus*, ſit *Ariſtotelis fœtus*. Hujus tamen Alciſthenis veſtimenti meminit Athenæus in Dipnoſophiſtarum Libris, & Tzetzes in Chiliadibus, ubi tamen pro *Alciſthene*, *Antiſthenem* habet. *Tale*, inquit, *veſtimentum fuit Antiſthenis. Erat Suſium purpureum, quinque & decem cubitorum, habens Animalia, & Deos, & Perſica, & Suſa, Margaritis ornata, & Lapidibus pretioſis. Manica vero una quidem habuit Antiſthenem, in altera autem Sybarim civitatem Antiſthenis. Hoc autem Dionyſius prior ille quum potitus eſſet, centum & viginti talentis nummorum Carthaginenſibus vendit. Plutarchus arbitror ſcribit*. Non Plutarchus. Sed Ariſtoteles, & Athenæus.

Digitized by Google

dis per totum margaritis fulgentem, & in dextra lævaque tabulas gemmatas habentem, cum aureis per circuitum orbiculis, quibus inſigne ipſius Præſulis nomen eſt deſcriptum. Et Boëthius lib. 1. de Conſolatione imaginatur per viſum Philoſophiam ſibi ſe contemplandam exhibuiſſe, cujus habitum notis quibuſdam exculptum, atque inſignitum fuiſſe deſcribit. *Veſtes erant* (inquit) *tenuiſſimis &c. harum in extremo margine* P, *ſcilicet* Π *Græcum, in ſupremo* T, *ſeu* Θ, *legebatur intextum, atque inter utraſque literas in ſcalarum modum gradus quidam inſigniti videbantur, quibus ab inferiore ad ſuperius elementum eſſet aſcenſus*.

Per literam Π, (inquit Thomas Yoice Anglus S. R. E. Cardinalis,) *Practicam*; per literam vero Θ, *Theoriam* ſignificari vult Boëthius. Literæ hujuſmodi in veſtibus inſcriptæ occurrunt paſſim in vetuſtioribus Romæ muſivis imaginibus, quæ Aringhio dicuntur *Symbola*, Suareſio, *Literatæ veſtes*, Macro *Gammadiæ*, aliis *Teſſeræ*, & *Monogrammata*, de quibus docte, ut ſolet, diſſerit Ciampinus par. 1. Veterum Monimentorum cap. 13. a pag. 90. ad pag. 103. ubi oſtendit, eas non nomina eſſe *Chriſti*, *Deiparæ*, *Apoſtolorum*, vel *Sanctorum*, quorum veſtibus inſcriptæ ſin, neque nomina ſignificare *muſivariorum*, aut *textorum*, ſive *ſartorum*, qui veſtes hujuſmodi pinxerint, texuerint, compegerint; ſed originem illas ſuam habere ab antiquo more, qui etiamnunc ubique in uſu eſt, ſignandi omnes pannos ſigno imaginis, aut effigiei, ſeu alterius notæ, ut vulgo dicitur, *Merco*, ſeu *Impronta*, officinæ Textoris, utpote cum una, duabus aut tribus literis, vel ſimul nexis, vel inverſo ordine compoſitis, quibus literis aut artificum, aut loci, ubi panni illi fabricabantur, aliquam notam aſſerant. Hactenus de diverſis picturarum ſpeciebus apud antiquos Orientales.

CAPUT IV.

Sacræ Imagines, quæ in Eccleſiis Monaſteriis Montis Atho viſuntur.

I. Monaſterium Sancti Athanaſii.

NUNC pergo ad Imagines ſacras, quæ in Athoniticis Monaſteriis a Joanne Comneno memorantur. Hæc itaque habet Joannes Comnenus, ubi agit de *Monaſterio magnæ Lauræ S. Athanaſii in Monte Atho*, quod nomine *Dormitionis Deiparæ* exornatur,

Digitized by Google

tur, & ab Imperatoribus Nicephoro Phoca & Joanne Tzimiſce, (quorum primus ab anno Chr. 959. ad annum 968. alter ab anno 969. ad annum 975., imperavit) conſtructum eſſe perhibetur, apud Montfauconium in Palæographia Græca pag. 452. „ Habet hoc Monaſterium Sacella 26. cum interius, tum exterius „ poſita, quorum magna pars depicta. *Et pag.* 453. Eſt autem „ Refectorium e regione magni Eccleſiæ oſtii, peramplum ſane „ & ſpatioſiſſimum, totum interius exteriuſque depictum jucun„ diſſima hiſtoria. *Ibidem*. Templum vero majus peramplum, „ eſt, & luminoſum. *Et poſt pauca*. Imagineſque habet multas „ antiquas & ſpecioſas, auro circumillitas, & argenteis aureiſ„ que laminis ornatas, cum lapidibus pretioſis. Extra illas au„ tem duæ ſunt prægrandes, Servatoris noſtri Chriſti una, „ Deiparæ altera, quas argento munivit & exornavit præclarus „ Imperator Andronicus Palæologus. Ad latera Imaginum ſunt „ Imperator & uxor ejus Imperatrix, in argento effićti. Eſt & „ alia Imago S. Athanaſii Athonitæ, argento exornata a magnifi„ centiſſimo Avthente Ungaro-Ulachiæ Neagulo Voevoda: ad „ cujus latera ipſe depictus eſt cum conjuge, ad rei memoriam.

II. Monaſterium Sanctæ Annæ.

De Aſceteriis & templo S. Annæ pag. 459. „ Eſt ibidem, „ Imago Sanctiſſimæ Deiparæ, cui adſtat Sanctus (*Athanaſius* „ *Athonites*) depictus cum baculo in manu, percutiens petram, „ ex qua ſcaturivit aqua.

III. Monaſterium Batopedii.

De Monaſterio Batopedii pag. 465. „ In ſacro Altari ſtat „ mirabilis illa & pretioſa Sanctiſſimæ Deiparæ Imago, quæ an„ nis ſeptuaginta (*ab anno ſcil. mundi* 6370. *Chriſti* 862. *quo Saraceni e Syria in Monaſterium illud irruptionem fecere, uti narratur pag.* 461.) „ fuit in fonte ſub Altari, cum lampade in ejus „ conſpectu ſemper ardente, ut ſupra dictum eſt. Et tot anno„ rum ſpatio nec Imago corrupta eſt, nec lampas ullatenus ex„ tincta: fons vero eſt ſub ſancta menſa. Imago autem ex mixtu„ ra aromatum ſuaveolentium confecta eſt: ſtatque pone ſacram „ menſam ſupra ſacrum Thronum, lampadem illam in conſpectu „ habens. Illic ſunt duæ Imagines Imperatricis Theodoræ. In „ gratiam vero miraculi (*pag.* 463.) ſive inventionis veneran„ dæ Imaginis, in qualibet feria ſecunda hebdomadis fit Proceſ„ ſio in honorem Deiparæ, & in qualibet feria tertia Liturgia, „ celebratur. *Et pag.* 466. Supra Narthecis portam eſt Domi„ nus Chriſtus muſivo opere depictus, ſimiliterque Annunciatio

„ Dei-

„ Deiparæ. In muro Narthecis muſivo item opere delineati ha„ bentur Imperatores quidam hujuſce Monaſterii benefactores. „ Extrinſecus autem in parvo Narthece ad Cænam depicta eſt „ illa Deiparæ Imago, quam Diaconus quidam in Cellerarium „ iratus, quod ſibi vinum non daret ad potandum, in genam de„ xteram proxime oculum gladio percuſſit inſanus; unde, o res „ mira! ſanguis multus emanavit: quam Imaginem exinde, „ ἐσφαγμένην, *jugulatam* vocaverunt. In conſpectu autem ejus „ lampas ardet aſſidue ad hunc uſque diem. Sanguis effuſus „ adhuc in vulnere conſpicitur. *Pag.* 467. In Choro autem, & „ in Altari, ſuſpenſæ viſuntur pluſquam centum Imagines Mo„ ſcoviticæ, omnes argenteæ deauratæ, εἰκονίσματα πλείονα τῶν „ ἑκατὸν ὅλα μοσχόβικα ἀργυροχρυσωμένα. *Ibid.* Illic (*ideſt in* „ *ſacello SS. Nicolai & Demetrii*) eſt quædam Deiparæ Imago „ intra apſidulam depicta, quæ olim Imperatrici (*Placidæ nimi*„ *rum Theodoſii filiæ*) ne in divinum Templum ingrederetur, „ edixit „: anno ſcilicet mundi 5890. Chriſti 382. uti ibidem narratur; *Imago illa vocatur*, Ζωοδόχος, *Zoodochos*, *ſeu vitæ ſuſceptrix*. Pag. 468. „ Sub Catechumenorum loco viſitur alia „ Deiparæ Imago miraculo inſignis, in Sacello, quod vocatur τῆς „ Παραμυθίας, *Conſolationis*, ſcalam conſcendentibus ad dexte„ ram in muro depicta. Quæ aliquando, res mira! vultum con„ vertit ad Hegumenum Monaſterii, ipſique inſidias furum de„ claravit, & incurſionem, quam facturi erant in Monaſterium.

De Monaſterio Chilantarii, quod fundatum fuit ſumtibus Stephani Serviæ & Romaniæ Regis, qui Romani Græcorum Imperatoris gener erat, *pag.* 472. „ Eccleſiæ feneſtræ formas & ima„ gines Solemnitatum & Sanctorum repræſentant. *Et poſt pauca.* „ In ſacro Altari ſunt tres Cruces ligneæ, argento deaurato ob„ ductæ, opus admirabile. Imagines auro & lapillis pretioſis or„ nantur. IV. Monaſterium Chilantarii.

De Monaſterium Iberorum, *pag.* 475. „ Aliud item San„ ctiſſimæ Virginis Monaſterium plumbo tectum, fundatum ab „ Iberiæ Principe Aſota. Ibi eſt Imago Deiparæ, quæ vocatur „ τῆς Πορταΐτισσας, *Portætiſſæ*: quæ Iconomachorum tempore „ ſuopte motu per mare iſtuc profecta eſt. Ante ſanctam illam „ Imaginem ſunt lampades argenteæ quatuordecim jugiter ar„ dentes.... eſt autem Imago auro & lapidibus pretioſis exorna„ ta, quæ ſupra ſe habet tectorium perpulcrum, & in circuitu V. Monaſterium Iberorum.

„ ejus

„ ejus ſuſpenſæ habentur octoginta lampades argenteæ, & ſub „ pedibus dona multa, nempe Imagines & thecæ argenteæ deauratæ. Imago miraculis inſignitur; fert autem in gutture ſignum „ infixi gladii, unde, o prodigium! ſanguis multus effluxit, & „ hactenus conſpicitur. Eſt totum Templum ſtratum marmoribus & porphyrite, habetque circum columnas marmoreas ſpectabiles. Stat vero ſupra columnas quatuor, totumque depictum eſt a perito pictore, ſumtibus ſplendidiſſimi Authentæ „ Ungaro-Ulachiæ Domini Joannis Serbani Voëvodæ Cantacuzeni.

VI. Monaſterium Dionyſii.

De Monaſterio Dionyſii, quod excitavit Trapezuntius Imperator Alexius Comnenus anno Chr. 1380. hortatu Dionyſii, qui frater minor erat Theodoſii tunc Archiepiſcopi Trapezuntini, *pag.* 477. „ Eſt autem illic Imago prædicti Alexii Comneni „ cum veſtimentis propriis & Imperatorio diademate, admodum ſane ſpectabilis „. *Et infra de Petro Ungaro Ulachiæ Voëvoda*, *qui anno* 1580. *Eccleſiam depingi curavit* pag. 478. „ Illic item reperitur Imago Sanctiſſimæ Deiparæ miraculis inſignis, quæ paucis abhinc annis ex omnibus ſuis partibus undique unguentum effudit; ita ut totum argentum, quo illita „ erat, unguento circumquaque perfuſum fuerit, atque in præſentem uſque diem aperte conſpiciatur. *Pag.*480. Hujus Monaſterii poſt Alexium Comnenum Imperatorem fundatores „ fuerunt, Neagulus Baſſarabas Voëvoda, ut diximus, & filius „ ejus Theodoſius, & Petrus Voëvoda, qui quum Monaſterium „ incendio conſumtum fuiſſet, fere totum propriis ſumtibus reſtauravit: Eccleſiam exſtruxit latiorem ſublimioremque, quam „ antea erat, totamque picturis egregiis decoravit.

VII. Monaſterium Pantocratoris.

De Monaſterio Pantocratoris, quod fundavit Alexius exercitus Dux, qui poſtea Græcorum Imperator fuit, & Joannes Primicerius ejuſdem Alexii frater, *pag.* 481. „ Templum habet ſpectabile in honorem Transfigurationis Salvatoris Chriſti, quod „ quatuor marmoreis columnis fulcitur, totumque picturis egregiis exornatur.

VIII. Monaſterium Xeropotami.

De Monaſterio Xeropotami, quod Romanus Imperator in honorem Sanctorum Quadraginta Martyrum fundavit, *pag.* 482. „ Quare piiſſimus Valachiæ Authentes Alexander Voëvoda „ ipſum magnis ſumtibus reſtauravit, Eccleſiam depinxit & decoravit, ut hodieque videtur.

De

IX. Monaſterium Cutlumuſæ.

De Monaſterio Cutlumuſæ, quod Alexius Comnenus Imperator fundavit, *pag.* 483. „ Demum ſplendidiſſimus Valachiæ „ Authentes Neagulus Voëvoda elapſis pluribus annis, ſimiliterque Radulas Voëvoda, Baſſarabæ, Myrtzas Voëvoda, & „ Vintilas Voëvoda, ipſum paulatim totum reſtaurarunt: qui in „ Eccleſia per circuitum depicti ſuſpiciuntur; ita ut poſt primum „ illum pro ſecundis fundatoribus & reſtauratoribus ejus Mona„ ſterii habeantur. Eccleſia honoratur nomine Transfigurationis „ Salvatoris Chriſti: ſuſtentaturque quatuor columnis ædificatis, „ tota picturis elegantibus ornata.

X. Monaſterium Protati.

De Monaſterio Protato, quod in honorem Dormitionis Deiparæ *a Conſtantino magno* ædificatum dicitur, & in quo reſidet *Aga illuc miſſus a Boſtangibaſio Imperatoris Turcarum*, ut obſervet externa Monaſteriorum negotia, & loca a Piratis tueatur, *pag.* 484. „ Exſtat ibi Imago miraculis inſignis, quæ ſemel, o res „ mira! loquuta eſt & dixit, *Pſallant quod dignum eſt*. Habe„ tur item altera Imago Salvatoris Chriſti in Altari, quæ Sacer„ doti dixit, ut feſtinaret ſacram Liturgiam celebrare, propter „ ſeniorem Monachum, qui divinis myſteriis communicare vo„ lebat, & ob aſperum multorum dierum jejunium animo defi„ ciebat, nec poterat ultra ſuſtinere.

XI. Monaſterium Simonis Petræ.

De Monaſterio Simonis Petræ, quod in cacumine Petræ cujuſdam fundavit Simon Aſceta in honorem Nativitatis Chriſti, *pag.* 486. „ In dextro choro ſunt duodecim Imagines Moſcoviti„ tæ, quæ Sanctos ſingulis menſibus coli ſolitos referunt. Εἶναι „ δὲ καὶ εἰς τὸν δεξιὸν χορὸν δώδεκα εἰκονίσματα Μοσκόβικα πε„ ριέχοντα τοὺς ἑορταζομένους ἁγίους ἑκάστου μηνός. *Et poſt pauca*. „ Poſt hunc vero (*ideſt poſt Simonem Monachum*) piiſſimus Ser„ viæ & Romaniæ Rex Joannes Unclis, quum precibus memora„ ti S. Simonis filia ejus gravi & incurabili morbo ſanata eſſet, „ ſancto viro dedit facultates multas, & totam Monaſterii fabri„ cam abſolvit, ac demum ipſe Monachus effectus eſt, ibique „ obdormivit in Domino: depictuſque eſt in Refectorio ad for„ nicem feneſtræ, quæ reſpicit ad mare.

XII. Monaſterium Zographi.

De Monaſterio Zographi ſive Pictoris, quod temporibus Leonis ſapientis Imperatoris, Moyſes, Aaron, & Joannes fratres ab Ochride, genus ducentes a Juſtiniano Imperatore, in honorem S. Georgii Martyris fundarunt, *pag.* 487. „ At ipſum re„ ſtauravit Authentes Moldo-Valachiæ Stephanus Voëvodas,

„ anno

„ anno mundi 7010. (*Chr.* 1502.) qui etiam depictus eſt extra „ Eccleſiam ad rei memoriam. Hujus ſacrum Templum pulcherrimum eſt, honorumque nomine Sancti, & magni Martyris „ Georgii. *Et poſt pauca*. Hujus pictura partim vetus, partim „ nova. Habet autem Imagines peritiſſime elaboratas, maximeque eas, quæ Dominum repræſentant. *Pag.* 488. Illic habentur Imagines duæ S. Georgii, miraculis claræ. Altera „ ἀχειροποίητος, non mortalium manu facta eſt; ſed ab eodem „ ipſo Sancto depicta fuit, qua forma S. Georgius miraculis inſignis repræſentatur. Erat autem prius in quodam Monaſterio „ S. Georgii in Palæſtina; poſtea vero, o prodigium! per ſeipſam ſedes mutavit, venitque ad Sanctum Montem in Monaſterium Zographi, ſive Pictoris, ideoque Zographi vocatum „ eſt. Hæc ipſa Imago eſt, quam narrat Synaxarium per ova frixa „ miraculum effeciſſe. Altera S. Georgii Imago ſuopte motu per „ mare venit ex Arabia, & appulit ad portum Batopedii.

XIII. Monaſterium Dochiarii.

De Monaſterio Dochiarii, quod prius in honorem S. Nicolai Myræ in Lycia Epiſcopi, deinde Archangelorum Michaelis & Gabrielis fundavit Euthymius Cathegumenus, amicus & in aſcetica vita ſocius S. Athanaſii in Monte Atho, temporibus Nicephori Botaniatæ, *pag.* 489. „ Sed quum Archangeli in oppoſita Cherſoneſo, quæ vulgo dicitur Loncus, theſaurum mirabiliter „ oſtendiſſent, quo Patres Picturam Eccleſiæ perfecerunt, multaque alia reſtaurarunt, priſcum *S. Nicolai* nomen ipſi cum „ cœleſtium Principum nomine commutarunt. *Et pag.* 490. „ Alexander vero Authentes Moldo-Valachiæ Voëvoda, ne tanta Archangelorum miracula illic edita in oblivionem venirent, „ religioſo ſtudio motus ex divina providentia totum reſtauravit, & Eccleſiam excitavit a fundamentis anno mundi 7086. „ (*Chriſti* 1578.) totamque interius depinxit, magnificeque „ ornavit, ut jam videmus. Illic vero depictus viſitur cum uxore & filiis. *Ibidem*. In columna dextri chori eſt Imago Archangelorum miraculis clara, in cujus conſpectu jugiter ardent tres „ lampades argenteæ deauratæ ſpecioſiſſimæ. Ad lævam eſt Imago S. Nicolai, in cujus item conſpectu lampas ſemper ardet.

XIV. Monaſterium Pauli.

De Monaſterio Pauli, quod in honorem S. Georgii Martyris condidit Paulus, filius, ut dicitur, Mauricii Imperatoris & Eunuchus, *pag.* 491. „ Pictura ejus vetus eſt, Bulgarico more „ facta. Extra Templum eſt narthex totus depictus eleganter.

„ *Et*

„ *Et pag.* 492. Habet Eccleſia Imagines multas Moſcoviticas eleganter ornatas. Illic habetur Crux admiranda argentea deaurata tota, a Conſtantino Magno facta, cum vetuſtiſſima pictura duodecim ſolemnitatum Dominicarum, inſculpta literis Latinis, ad picturarum inſcriptiones, antiquis characteribus Langobardicis & Gothicis. Eſt & alia Imago parva cum pictura, quoad artificium inimitabili, quam Imperator Theophilus, utpote Iconomachus, conjecit in ignem, & tamen, o res mira! combuſta non eſt, ſed ſervata, & ad hanc uſque diem ſalva & integra manet. *Pag.* 493. Hoc Monaſterium a S. Paulo conſtructum fuit: qui, ut fertur, filius erat Mauricii Imperatoris & Eunuchus: *depictuſque viſitur ibi quaſi fundator*, etiamſi Sacellum dumtaxat excitaverit: nam totum Monaſterium ſtruxit Authentes Symendri in Servia Giuras Deſpotes, depictuſque conſpicitur ibi cum duobus filiis.

De Monaſterio Xenophontis, cujus Templum in honorem S. Georgii conditum eſt, *pag.* 493. „ Templum eſt pulcherrimum .... ac totum undique picturis ornatum eſt. *Et pag.* 494. „ Habet Monaſterium Sacella ſeptem, in quorum uno depicti viſuntur hi Principes, Banus Barbulus, Dantzulas Bornicus, Purbulus, & Radulas. Primus hujus Monaſterii fundator fuit S. Xenophon, a quo nomen accepit. Sub hæc anno mundi 7053. (*id eſt Chr.* 1545.) ipſum reſtaurarunt Ducas Bornicus, & frater ejus Radulas Principes Ungaro-Ulachiæ ſub Dei tutela poſitæ: totamque Eccleſiam pulcre depingi curarunt. Demum præclarus Authentes Valachiæ magnus ille ac præclarus Mataæs Voëvoda Baſſarabas, ſuis ſumtibus Narthecem Eccleſiæ & totum Refectorium picturis exornavit, ubi in monumentum æternum ipſe cum ſua ſponſa depictus viſitur. XV. **Monaſterium Xenophontis.**

De Monaſterio Eſphigmeni, ſeu Simeni, quod fundatum dicitur a Theodoſio juniore ejuſque ſorore Pulcheria, *pag.* 496. „ Habet Templum in honorem Aſcenſionis Chriſti, admirandum, oblongum, columnis duabus ornatum, tholis faſtigiatum, eſtque totum pulcre depictum. Refectorium habet jucundum, egregia picturæ decoratum. XVI. **Monaſterium Simeni.**

De Monaſterio Philothei, *pag.* 497. „ Eſt ibi Templum pulcrum & ſpectabile nomine Annunciationis Sanctiſſimæ Deiparæ. Fundatores ejus fuerunt Arſenius, Philotheus, & Dionyſius, qui ſacrum in Olympo Monaſterium excitavit. Hi ve- XVII. **Monaſterium Philothei.**

Digitized by Google

„ ro ſupra Narthecem depicti viſuntur. Demum anno ab Ada„ mo 7000. (*Chriſti* 1492.) Rex Cachetii Leontius & filius „ ejus Alexander propriis facultatibus pulchriorem in ſtatum re„ ſtaurarunt, Refectorium magnum & elegans excitarunt, to„ tumque depinxerunt: ubi etiam viſuntur ipſorum Imagines.

XVIII. Monaſterium Caſtamoniti.

De Monaſterio Caſtamoniti, quod eſt Conſtantis, ſeu potius Conſtantini Monaſterium in honorem S. Stephani Protomartyris exſtructum, *pag.* 498. „ Templum autem magnum eſt, ac „ ſpectabile, quinque tholis faſtigiatum, plumbo coopertum, „ ac depictum.

XIX. Monaſterium Stauronicetæ.

Demum de Monaſterio Stauronicetæ, quod Jeremias ſenior, Patriarcha Conſtantinopolitanus in honorem S. Nicolai Myræ Archiepiſcopi fundavit, *pag.* 498. „ Cujus (*Sancti Ni*„ *colai*) ſacra Imago tota argentea deaurata eſt, ita ut ſolus vul„ tus appareat. Hæc autem Imago e mari exiit, poſtquam illo a „ quibuſdam conjecta fuerat Iconomachorum tempore. Et quia „ multo tempore in mari fuit, nata eſt in fronte ejus oſtrea par„ va, quæ hactenus conſpicitur: quapropter a populo Stridas „ vocatur. Eſt autem Imago tota muſivo opere aureis teſſellis „ concinnata. *Et pag.* 499. Exſtat ibi Templum, parvum qui„ dem, ſed artificio, & picturis elegans..... *Et poſt pauca.* „ Refectorium Patrum picturis concinne ornatur. Ibi repræſen„ tatur radix Jeſſæ tam eleganter, ut nihil ſimile reperiatur. „ Depicti ſunt item veteres Philoſophi cum Sybilla, qui de futu„ ra Domini noſtri Incarnatione clare vaticinati ſunt.

CAPUT V.

In Eccleſiis Græcorum Imagines non ſolum pictæ, ſed etiam ſculptæ & extantes: nec tantum Chriſti Domini, Deiparæ Virginis, Angelorum, & Sanctorum; verum etiam Dei Patris & Spiritus Sancti. Præterea Regum, Principum, & Benefactorum, & Biblicarum hiſtoriarum.

I. In Templis & Monaſteriis Grecorũ, præter Sanctorum Imagines, etiam Principum, & Be-

HÆc fuſius ex Joanne Comneno deſcribere placuit, tum quia Lectoribus non ſunt obvia; tum quia propoſitæ nobis de ſacris Græcorum Ruſſorumque Ephemeridibus diſſertatiobi

tioni lucem maximam afferunt; ex iis enim quæ ad rem noſtram faciunt, tria potiſſimum colligimus.

Primum quidem, in Templis & Monaſteriis Græcorum, tum priſco tempore, tum recentiori ævo depictas exhiberi, non modo Sanctorum Imagines, quæ colantur cultu Sanctis debito; ſed etiam Regum, Reginarum; Principum, Benefactorum, qui Eccleſias illas aut Monaſteria fundarunt, ſive inſtaurarunt, ad recolendam piam eorum memoriam; necnon veteris & novi Teſtamenti hiſtorias & ſymbola, quæ ad noſtræ fidei myſteria quoquomodo referuntur. Sic in Monaſterio S. Athanaſii Athonitæ depicti ſunt Andronicus Palæologus Imperator & uxor ejus Auguſta, fortaſſe Irene, ſive Anna: tam enim ſenior, quam junior Andronicus Palæologus, binas eo nomine uxores habuit, teſte Cangio in Familiis Byzantinis pag. 235. & 238. edit. Pariſ. Primus autem obiit 13. Februarii 1332. alter 25. Junii 1361. Depicti ſunt etiam Neagulus Baſſaraba Authentes Voëvoda Ungaro-Valachiæ cum conjuge ſua: Benefactores autem dicuntur Nicephorus Phocas & Joannes Tzimiſces: necnon Dionyſius ex Andro, Conſtantinopolitanus Patriarcha, & Joannes Conſtantinus Baſſaraba Voëvoda Authentes totius Ungaro Valachiæ. Cyriacum ſeu Templum Dominicum S. Annæ, quum olim anguſtum fuiſſet, idem Dionyſius Andrius Patriarcha Conſtantinopolitanus perhibetur ſumtibus multis ipſum dilataſſe & exornaſſe: & multa alia bona ſancto Monti Atho contuliſſe. Monaſterium Batopedii, inquit Joannes Comnenus, nomine Annunciationis Deiparæ, diverſorum Imperatorum ædificium eſt. Primus omnium fuit Conſtantinus magnus: poſt aliquot autem annos ab ejus fundatione, quum ipſum Julianus Apoſtata diruiſſet, a magno Theodoſio Imperatore ob miraculum erga filium ejus Arcadium perpetratum, inſtauratur. Hiſtoria muſiva in Eccleſia depicta fuit. Quum vero anno Chr. 862. Saraceni in illud irruiſſent, tres nobiles viri Athanaſius, Nicolaus, & Antonius, Hadrianopoli ad montem Atho accedentes, Sancti Athanaſii ſuaſu, proprio peculio illud in priſtinum ſtatum reduxerunt, ibique Monachi fuerunt; quorum reliquiæ in Eccleſiæ Narthece repoſitæ ſunt, eorumque feſtum bis celebratur in anno; videlicet, die 17. Decembris, & feria 5. Pentecoſtes. Præterea S. Sabas, qui cum patre ſuo Simeone Monaſterium Chilantarii fundavit, in hoc ipſo Batopedii Monaſterio ſex Sacella ſtruxit; ideo ut novi

Benefactorum, & Biblicarum hiſtoriarum depictæ conſpiciuntur.

Digitized by Google

fundatores habentur, eorumque feſtum celebratur die 14. Januarii. Ornamenta eidem Monaſterio contulerunt Imperatores Manuel Comnenus, & Andronicus Palæologus. In capitellis columnarum marmorearum, quibus Phiala ornatur, inſculpta ſunt nomina Imperatorum Joaſaph & Matthæi Cantacuzenorum, & Manuelis Comneni. Ibidem ſunt duæ Imagines Theodoræ Imperatricis. In muro Narthecis muſivo opere depicti ſunt Imperatores quidam hujuſce Monaſterii Benefactores. Ex laudabili vero conſuetudine, ejuſdem Monaſterii Patres, a menſa excedentes, in Eccleſiam præcedentibus cereis recto ordine procedunt, & illic gratias agunt, Abſolutionemque dicunt pro omnibus Chriſtianis; quotquot bona contulerunt & conferunt Monaſterio & Patribus, aſceticam vitam illic agentibus. Monaſterii Chilantarii, cujus Templum nomine Deiparæ τῶν εἰσοδίων, ideſt, *Præſentationis ejus in Templum*, ornatur, fundatores Stephanus Serviæ & Romaniæ Rex, Romani Imperatoris gener, S. Sabas, & Simeon pater ejus ex Servia. Monaſterium Iberorum, cujus Templum nomine Dormitionis Deiparæ inſignitur, fundatum fuit primum quidem ab Imperatrice, Romani Imperatoris uxore, & a filiis ejus; deinde vero ſplendidius, & magnificentius a Tornicio, qui tunc Dux exercitus erat, & ibi Monachus effectus eſt. Renovatum deinde magnifice fuit a Regibus & Principibus Iberiæ. Intra id Monaſterium eſt & aliud Templum Deiparæ fundatum ab Iberiæ Principe Aſota, totum depictum a perito pictore, ſumtibus Joannis Serbani Voëvodæ Cantacuzeni, Authentæ Ungaro-Valachiæ. Monaſterium S. Dionyſii, cujus Eccleſia S. Joanni Baptiſtæ dicata eſt, anno Chr. 1380. hortatu S. Dionyſii, qui frater minor erat Theodoſii, tunc Archiepiſcopi Trapezuntini: eſt illic Imago prædicti Alexii Comneni, cum veſtimentis propriis, & Imperatorio diademate. Hoc exornavit deinde Neagulus Baſſarabas Voëvoda Ungaro-Valachiæ, quartus poſt Radulam Voëvodam: tum filius ejus Theodoſius: tum Petrus Voëvoda Authentes Ungaro-Valachiæ anno Chriſti 1580. Eccleſiam depingi curavit. Demum Pachomius Monachus, qui olim fuerat Alexander Authentes Valachiæ, & Domna Roxandra uxor ejuſdem Alexandri Voëvodæ, filia antedicti Petri Voëvodæ, Noſocomium pro infirmis & Refectorium excitavit, quod interius exteriuſque picturis decoravit. His adnumerantur tamquam fundatores & benefactores, Silvanus Monachus, a Petro

Voë-

Digitized by Google

Voëvoda, ut operi conſtruendo advigilaret, illuc miſſus: & Macarius Heracleæ in Thracia Metropolita, qui abdicato Epiſcopatu, ibi Monachum egit: & Lazarus & Boius fratres, qui proprio ſumtu horreum ædificarunt: & Manuel, Thomaſque fratres, qui villam Orphanii & navale conſtruxerunt: *Quorum omnium in ſacris myſteriis memoria recolitur, & in æternum celebrabitur*. Monaſterium Pantocratoris fundatum fuit ab Alexio exercitus Duce, qui poſtea Imperator fuit, & a Joanne Primicerio, ejuſdem Alexii fratre; inſtauratum autem a magno Logotheta Barbulo, & Gabriele, principibus viris in Valachia: Templum Transfigurationi Chriſti dicatum eſt. Monaſterium Xeropotami, cujus Eccleſia nomine SS. Quadraginta Martyrum honoratur, fundatum fuit a Romano Imperatore; inſtauratum autem & picturis decoratum ab Alexandro Voëvoda Authenta Valachiæ. Monaſterium Cutlumuſæ, cujus Eccleſia nomine Transfigurationis Chriſti decoratur, fundavit Alexius Comnenus Imperator: inſtaurarunt autem Valachiæ Authentes Neagulus Voëvoda, & Radulas Voëvoda, Baſſarabæ, & Myrtzas Voëvoda, & Vintilas Voëvoda, qui in Eccleſia per circuitum depicti ſuſpiciuntur. Monaſterium Protati, cujus Eccleſia nomine Dormitionis Deiparæ inſignitur, opus eſt Conſtantini Magni; verum poſtea Julianus Apoſtata ipſum interius incendit. Illic eſt Monachorum forum, & in circuitu variæ artificum officinæ, vocaturque locus Caræs. Eo frequenter conveniunt Monachi, Hegumeni: & Senes ad Synaxin, maximeque ſingulis Sabbatis; ac de communibus omnium Monaſteriorum negotiis & neceſſitatibus mutuo deliberant, ac diſſidia quæ accidunt inter Patres componunt, vectigaliaque & onera graviora a magiſtratu Theſſalonicenſi ſibi impoſita ſolvunt. Ibi reſidet Aga iſtuc miſſus a Boſtangibaſio Imperatoris; eſtque quaſi parva quædam, ſed ſufficiens, Monachorum Civitas. Monaſterium Simonis Petræ, cujus Templum nomine Nativitatis Chriſti honoratur, fundavit S. Simon, qui proxime hunc locum vitam aſceticam duxit. Poſt hunc Serviæ & Romaniæ Rex Joannes Unclis, quum precibus ejuſdem Simonis, filia ejus a gravi morbo liberata eſſet, ſancto viro dedit facultates multas, & totam Monaſterii fabricam abſolvit, ac demum ipſe Monachus effectus eſt, ibique obdormivit in Domino: depictuſque eſt in Refectorio ad fornicem feneſtræ, quæ reſpicit ad mare. Monaſterium Zographi ſive Pictoris, cujus

cujus Eccleſia S. Georgii nomine nuncupatur, opus eſt trium principum ab Ochride, fratrum carnalium, genuſque ducentium a Juſtiniano Imperatore, quorum nomina Moyſes, Aaron, & Joannes, qui deinde ibi monaſticum ſtatum amplexi ſunt ſub Leone ſapiente: inſtauravit deinde Authentes Moldo-Valachiæ Stephanus Voëvoda anno mundi 7010. Chriſti 1502. qui etiam depictus eſt extra Eccleſiam ad rei memoriam. Monaſterium Dochiarii, cujus Eccleſia prius S. Nicolai Myræ in Lycia Epiſcopi, deinde SS. Archangelorum Michaelis & Gabrielis nomine inſignita eſt, fundavit S. Euthymius Cathegumenus, qui extitit imperante Nicephoro Botaniate, amicus & in aſcetica vita ſocius S. Athanaſii hoc in Monte Atho: deinde quidam Nicolaus Patricius, princeps magnus proxime Græcorum Imperatorem, conſobrinus memorati Euthymii, qui denique in ipſo Monaſterio monaſticam vitam amplexus, & Neophytus vocatus, ac poſt Euthymii obitum in ejus locum Hegumenus fuit. Poſtremo puer quidam, quem in mare projectum Archangeli eripuerunt, Barnabas nomine, qui Monachus effectus, poſtea Monaſterio Hegumenus præfuit. Alexander vero Authentes Moldo-Valachiæ Voëvoda: ne Archangelorum miracula illic edita in oblivionem venirent, totum inſtauravit, & Eccleſiam a fundamentis anno mundi 7086. Chriſti 1578. excitavit, picturiſque depinxit; illic vero depictus viſitur cum uxore & filiis. Monaſterium S. Pauli, honoratum nomine S. Georgii Martyris, fundatum fuit a Paulo, qui, ut fertur, filius erat Mauricii Imperatoris & Eunuchus, depictuſque viſitur ibi quaſi fundator, etiamſi Sacellum dumtaxat excitaverit. Nam totum Monaſterium ſtruxit Authentes Symendri in Servia Giuras Deſpotes, depictuſque ibi conſpicitur cum duobus filiis: Domina autem Maro ejuſdem Giuræ filia, quam Agarenorum Imperator Mahumetes poſtea in uxorem duxit, quando Conſtantinopolim ſubjecit, eidem Monaſterio dedit partem donorum a Magis oblatorum, quæ ſuavem emittunt odorem. Authentes totius Ungaro-Valachiæ Joannes Conſtantinus Baſſarabas Voëvoda Brancobanus, a fundamentis ibi turrim excitavit, Refectorium condidit, & ad ſui memoriam Sacellum ibi conſtruxit. Monaſterium Xenophontis, cujus Eccleſia S. Georgio dicata eſt, fundavit S. Xenophon, a quo nomen accepit. Inſtaurarunt anno mundi 7053. Chriſti 1545. Ducas Bornicus, & frater ejus Radulas Principes Ungaro-Valachiæ, totamque Eccle-

Digitized by Google

cleſiam depingi curarunt: demum Authentes Valachiæ Mateæs Voëvoda Baſſarabas Narthecem Eccleſiæ & totum Refectorium picturis exornavit; ubi in monumentum æternum ipſe cum ſponſa ſua depictus viſitur. Habet Monaſterium Sacella ſeptem, in quorum uno depicti viſuntur hi Principes, Banus Barbulus, Dantzulas Bornicus, Purbulus, & Radulas. Monaſterium Gregorii, cujus Templum in honorem S. Nicolai Thaumaturgi eſt conſtructum, fundavit S. Gregorius junior, a quo nomen accepit: demum Authentes Moldo-Valachiæ Alexander, pater Bogdani Voëvodæ, ipſum inſtauravit anno mundi 7005. Chriſti 1497. Monaſterium Caracali, cujus Eccleſia SS. Apoſtolis Petro & Paulo dicata eſt, fundavit Antonius Caracalus Romanus. Poſtremo Authentes *Moldaviæ Petrus Voëvoda*, quum ipſum inſtaurare vellet, miſit Protoſpatharium ſuum Petrum cum pecunia multa, juſſitque pulchro in ſitu fundari Monaſterium. Spatharius vero quæſtus cauſa, turrim tantum juxta mare ſtruxit, & in Bogdaniam reverſus eſt. Re comperta Authentes, factum hujuſmodi indigne tulit, ipſique caput præcidere volebat. Spatharius vero necis vitandæ cauſa, pollicitus eſt ſe Monaſterium proprio peculio excitaturum eſſe: atque ita dimiſſus fuit. Profectus ad Montem, Monaſterium quo loco jam ſitum eſt, exſtruxit, remigravitque deinde lætus in Bogdaniam: quem cum honore Authentes excepit. Demum uno conſenſu Authentes ille cum Spathario in Montem Sanctum venerunt, monaſticumque ſtatum amplexi, ambo Pachomii nomine vocati ſunt, ac reſiduum vitæ ſuæ in eodem ipſo Monaſterio pie tranſegerunt, ubi etiam in Domino quieverunt. Monaſterium Simeni, vel, ut accuratius loquamur, Eſphigmeni, cujus Templum in honorem Aſcenſionis Chriſti conſecratum eſt, fundavit Theodoſius junior, & ſoror ejus Imperatrix Sancta Pulcheria Virgo. Monaſterium Philothei, cujus Templum nomine Annunciationis Deiparæ dedicatum eſt, fundarunt Arſenius, Philotheus, & Dionyſius, qui ſacrum in Olympo Monaſterium excitavit: demum anno mundi 7000. Chriſti 1492. Rex Cachetii Leontius & filius ejus Alexander inſtaurarunt, Refectorium excitantes, totumque depingentes, ubi etiam viſuntur ipſorum Imagines. Monaſterium Ruſſorum, cujus Eccleſia S. Pantaleemoni Martyri dicata eſt, excitavit Knezes Serviæ Lazarus, qui ob incorruptam virtutem Sanctus poſtea fuit. Monaſterium Caſtamoniti in honorem S. Stephani Protomar-

Digitized by Google

martyris conſecratum, fundavit Conſtantinus magnus Imper., de cujus nomine dicitur Caſtamoniti, ideſt Monaſterium Conſtantis, ſeu potius Conſtantini: inſtauravit poſtea Manuel Palæologus Imp. Monaſterium Stauronicetæ, cujus Templum S. Nicolao Myræ in Lycia Archiepiſcopo eſt conſecratum, condidit Jeremias ſenior Patriarcha Conſtantinopolitanus: Aquam vero ad potum deduxit Authentes Ungaro-Valachiæ Serbanus Cantacuzenus Voëvoda.

Hæc de Monaſteriis Athoniticis. Si Templa & Monaſteria Conſtantinopoli olim fundata, adhuc exiſterent, pictas in iis fundatorum imagines non minus cerneremus, quam in Monte Atho. Cætera tamen licet ex iis metiri, quæ nobis Scriptorum diligentia ſervavit. Cangius in Familiis Byzantinis pag. 233. edit. Pariſ. de Michaele Palæologo, Theodora ejus uxore, & Conſtantino filio hæc habet ex Leunclavio in Pandect. Turc. cap. 51. *Qui quidem tituli adſcripti leguntur ejuſdem Michaelis Imagini in Periblepta Deiparæ templo, verſus Occidentalem partem, ubi una cum Theodora Auguſta pictus conſpicitur, inter utrumque parentem collocato filio Conſtantino Porphyrogenito: quas quidem imagines delineari hoc loco curavimus*. Idem Cangius in Conſtantinopoli Chriſtiana lib. 4. cap. 2. num. 30. pag. 93. ex Cruſio in not. ad Malaxum pag. 189. 190. *Pammacariſtæ* Deiparæ Templum deſcribens: *Templum*, inquit, *imaginibus Chriſti, Mariæ, Apoſtolorum &c. Hiſtoriarum Biblicarum, Imperatorum Græcorum undequaque ſplendens*. Et poſt pauca. *In eodem Conditor Templi, ejuſque uxor eleganter depicti ſunt, forma Archiducali, cum inſcriptione*, Μιχαὴλ Δοῦκας Γλαβᾶς Ταρχανειώτης ὁ πρωτοστράτωρ κὴ κτίτωρ. Μαρία Δοῦκαινα Κομνηνὴ Παλαιολογίνα Βλάχαινα ἡ πρωτοστρατορίσσα κὴ κιτόρισσα.

II. Imagines tam pictæ, quam ſculptæ & extantes, a Græcis coluntur.

Alterum; quod in Templis & Monaſteriis Græcorum Athoniticis obſervandum occurrit, picturas hujuſmodi non unius generis eſſe, ſed multiplicis: alias nimirum penicillo coloribus depictas: alias argenteas, aut ligneas, hoc eſt, ex argento, ſive ligno, ſeu ex mixtura aromatum ſuaveolentium confectas, adeoque inſculptas & extantes: alias demum muſivo opere, ideſt, calculis auratis expreſſas. Quapropter Cl. *Leo allatius*, meus in Bibliothecæ Vaticanæ præfectura digniſſimus deceſſor, in præſtantiſſimo illo Libro, quem *de Eccleſiæ Occidentalis atque Orientalis perpetua conſenſione* inſcripſit, jure meritoque deridendum potius, quam confutandum cenſet *Davidem Chytræum*, Lutheranæ Sectæ pro-

Digitized by Google

profeſſorem, qui in libello *de ſtatu Eccleſiarum ſuo tempore in Græcia, Aſia, Africa &c. Vuittembergæ edito*, ut Græcos oſtenderet in Confeſſionem Lutheranorum, ſive aliorum Neotericorum conceſſiſſe, *illos*, ait, *Imagines habere pictas, non ſculptas*. Ejuſdem erroris Græcos recentiores accuſant alii Orthodoxi Scriptores, perinde ac ſi ſacras quidem Imagines coloribus penicillo pictas expreſſaſque, colendas utique eſſe affirment ac venerandas; verum eaſdem ſaxo, ligno, argento, aliave materia ſculptas ſive ſcalptas, & extantes, neutiquam ſalva religione coli poſſe. Cujus erroris, etiamnum inter nonnullos Italo-Græcos vigentis, clariſſimum Benedicti XIII. Pont. Max. teſtimonium legere eſt in ejuſdem literis ad Angelum Mariam Quirinum, Antiſtitem tunc Corcyrenſem, mox Brixianum, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, non magis Purpura, quam literis clariſſimum, deque noſtra Bibliotheca Vaticana, cui digniſſime præeſt, optime merentem, datis, ad calcem (a) libri, cui titulus, *Primordia Corcyræ*, in hæc verba: *Nelle Dioceſi dello ſteſſo Metropolita* (ideſt, Cardinalis Vincentii Mariæ Urſini, tunc Archiepiſcopi Beneventani, deinde Benedicti XIII. Sanctiſſimi Romanæ Eccleſiæ Pontificis) *dal Predeceſſore, non ſi sà con qual prudenza, morto il Prete Greco, ſe ne eſtinſe il Rito; conferendo la Parrocchia al Prete Latino. E da quel tempo dell' eſtinzione di quel venerabile e ſagratiſſimo Rito, ſino ai tempi di chi ſcrive, i Parrocchiani Greci ſono in errori graviſſimi, come fra gli altri, 1. non vogliono in caſa ſagre Imagini, ne Crociſiſſi di rilievo &c.* Hæc Sanctiſſimus ille Pontifex ad doctiſſimum Cardinalem. Non a Latino Parocho id erroris hauſerant Italo-Græci Beneventanæ Diœceſeos, uti videtur innuere Pontifex; ſed quum ipſe in eorum dogmata inquireret, tunc primum deprehendit illos tam inepte de ſculptis Imaginibus ſentire.

Ignarum quoque vulgus per Græciam vidimus, dum illac tranſiremus, non modo in ſculptas ſcalptaſque ſive extantes Imagines debacchari, ſed etiam in pictas ſeu typis impreſſas, quæ a Latina manu prodierint. Verum ſi vulgi inſipientis, aut furioſi cujuſpiam hominis ſententiam exquirimus, de præcipuis antiquæ noſtræ Fidei articulis, non de ſolis Imaginibus actum eſſet; neque enim in ſola Græcia, verum etiam in media Italia, reperire eſt ſtolidos hujuſmodi, qui præter, aut contra communem Eccle-

E ſiæ

a Brixiæ apud Rizzardum 1738. in Append. pag. XVIII.

ſiæ doctrinam, interrogati, reſpondent, opinantur, definiunt, de Deo, de Sanctis, de Sacramentis, de abſtruſis obviiſque Theologiæ quæſtionibus. Quemadmodum autem anilia quorumdam deliramenta traditis ab Eccleſia Latina ſacris doctrinis non officiunt, neque ad ipſam Romanam Eccleſiam, quæ omnium Eccleſiarum mater eſt & magiſtra, referuntur; ita de Græcis, ut arbitror, eſt ſentiendum.

III. Allatii teſtimoniũ de cultu Imaginũ ſculptarum apud Græcos.

Audiamus Allatium in ſubjecta materia de Imaginibus lib. 3. *de Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis perpetua conſenſione, cap.* 15. *num.* XI. Davidi Chytræo ita reſpondentem. „ Tradit præterea „ Chytræus, Græcos Imagines habere pictas, non ſculptas. De „ pictis verum; debebat addere: quas & colunt & venerantur; „ non nunc primum malis peſſimorum hominum artibus excogitatas, ſed ab ipſa Evangelii prædicatione, Apoſtolorum traditione, & ſubſequentium Patrum conſenſione; non privatim in ædibus, ſed publice in Eccleſiis, & earum muris & aliis partibus, & in ipſis ſacris vaſis ac libris conſignatas „. *Hoc ipſum quum productis Patrum teſtimoniis a num.* XI. *ad* XV. *demonſtraſſet*, *ſubjungit num.* XVI. *de ſculptis Imaginibus*. „ Sed non diu „ ſtat, *inquit Allatius*, verum pergit ludere Chytræus, demitque Græcis ſculptarum Imaginum adorationem. Sculptarum „ Imaginum duo ſunt genera: alterum, quod per ſe ſtat, omni „ ex parte excavatum, & ſuo corpore ab aliis rebus ſejuncto commendabile, quales ſunt antiquorum ſtatuæ ex marmore, metallo, aut alia materia confectæ: alterum eſt, quod in lapide „ ipſo, aut ſolido corpore inciditur, non tamen ab eo diviſum, „ ſed parte ea, quam videri voluit artifex, protuberans plus minuſve, ut eidem artifici placuit. Utrumque hoc genus ſculptarum Imaginum a Græcis in veneratione haberi, ipſa experientia docet. Et, ut de Crucibus taceam, quas fere omnes non „ pictas, ſed lignis in eum modum efformatis, maxima in veneratione habent, & adorandas exponunt; &, dum ſupplices „ aliquid a Deo exorant, circumferunt; neque his contenti, in „ nonnullis Chriſtum ipſum appenſum, a Cruce ſeparatum, ut „ in Italia fieri ſolet, ſumma animi demiſſione, cum ipſa Cruce „ colunt. Adde, in officio Paraſceves, dum Chriſtum ipſum veluti ad ſepulturam comitantur, Chriſti corpus undequaque efformatum ſculptumque circumducere per urbes & adorare. „ Verum tamen eſt rara hæc eſſe, nec ita frequentia: quod in

„ alte-

,, altero ſculpturæ genere aliter ſe habet: nam ubique tabellæ,
,, modo ex metallo, ſæpiſſime etiam ex ligno, exculptis Sancto-
,, rum Imaginibus, nullo non in loco adorationi objiciuntur.
,, Eas montis Athi Monachi concinno & admirabili artificio inter
,, alios in tabulis ligneis ſculpunt, & aliis communicant. Vidi
,, ipſe, in parvula tabella, omnia vitæ Chriſti myſteria adeo ſub-
,, tiliter effigiata, cum literis non minus delicate exciſis, quibus
,, myſteria indicantur, ut non tantum mihi, ſed aliis etiam ſpe-
,, ctatoribus, dubium fuerit, quodnam admirabilius eſſet, an li-
,, gni natura, quæ minutiſſimas illas inciſas lineolas ferre poſſet,
,, an manuum induſtria, quæ adeo leviter in incidendo movere-
,, tur, an acies oculorum *inciſoris*, qui ſine confuſione adeo mi-
,, nuta commenſuraret, an tandem inſtrumentorum acies & vi-
,, gor, quæ ſine aliorum jactura, tam altos ſulcos ſpiſſoſque im-
,, preſſerit, & ſtrigium cava, & ſtriarum angulos circumduxerit.
,, Cruces etiam, quas vel domi tenent, vel appenſas collo ge-
,, ſtant, eodem incidendi artificio factæ ſunt. Similibus Imagi-
,, nibus plenæ ſunt urbes, plena templa, plenæ ipſæ privatorum
,, ædes, & tu, Chytræe, audes tam aperte mentiri, aſſerere-
,, que, Græcos non habere ſculptas Imagines? Petrus Bellonius
,, Obſervat. lib. 1. Cap. XLI. narrat, Græcos cereis & accenſis
,, lampadibus in ſuis templis ſtatuas atque picturas inſtar Latino-
,, rum habere ,,. Vidi ego, dum in inſula Chio moram duce-
rem, non modo in Metropolitana Græcorum Eccleſia Chriſtum Dominum argenteæ Cruci affixum, verum etiam in celeberrimo Monaſterio, quod *ἁγία μονὴ* appellatur, ad aram principem ſtantes argenteas Chriſti, & Apoſtolorum ſtatuas.

IV. Kieslingii calumniæ de Græcis, & Latinis Imaginibus referuntur, & refelluntur.

Tertium quod in Templis & Monaſteriis Athoniticis obſervandum occurrit, Græcis falſo affingi a Johanne Rudolpho Kieslingio, in Academia Lipſienſi Profeſſore, in opere impreſſo Lipſiæ 1742. cui titulus: *Exercitationes Theologico-Hiſtoricæ, in quibus Venerabilis D. Joannis Chryſoſtomi Trombellii diſſertationes de cultu Sanctorum, modeſte diluuntur*: dum ſcribit pag. 397. apud Græcos nullam eſſe *Dei Imaginem*; & pictas ſolum ab iis Imagines coli, non fuſiles, non ligneas. Verba Kieslingii recito. ,, Rem autem ſi accurate perpendamus, concedere debemus,
,, turbatam a Romana Eccleſia Græcam, in hoc Sanctorum Ima-
,, ginumque cultu, eidem non omnem denegari fidem, ut certo
,, tamen reſpectu circa ipſas Imagines ab ea diſſidere. Primo

„ enim admittit Eccleſia Græca Imagines Chriſti, & Angelo-
„ rum, qui humana induti forma mortalibus apparuerunt: inde
„ eorum Sanctorum, qui vere extitere, ſimulacra apud Græcos
„ videbis obvia. Aſt inconſpicui & immenſi Dei Imaginem de-
„ prehendes nullam, religioni enim ſibi ducunt, Deum formæ
„ expertem, efformare. Romanenſes autem ſibi omnia, quæ
„ ſuggerit ſuperſtitio, libere arbitrantur, & Deum immortalem
„ pro lubitu effingunt. Porro id Romanenſibus in vitio ponunt,
„ quod illi ſine omni diſcrimine, & fuſiles & ligneas recipiunt
„ Sanctorum Imagines, quum ipſi pictas tantum colendas eſſe
„ ſtatuant; fuſiles autem & ligneas rejiciant, & idolis annume-
„ rent. In cultu ipſo parum a Romanenſibus differunt: nam
„ coram Imaginibus procidunt, eas adorant, & oſculantur, &
„ iiſdem, quæ Romana Eccleſia ad emolliendum Sanctorum
„ cultum profert, utuntur pigmentis; niſi forte hoc exceperis,
„ quod miraculorum apud ipſos opinio non tam magna, quam
„ in Romana ſit Eccleſia„. Hæc una eſt ex infinitis cenſuris, quibus Trombellianas diſſertationes *modeſte*, uti in præfixo operis titulo, *diluere* ſe Kieslingius affirmat. Eodem igitur *modeſtiæ* titulo noſtras nos in allatum Kieslingii locum obſervationes ut exornemus, ſeptem ejuſdem Kieslingii aſſertiones in examen huc revocamus.

V. Eccleſia Græca à Romana non turbata, uti Kieslingius calumniatur, ſed erudita, & ab erroribus revocata.

Prima aſſertio. Græcam Eccleſiam Kieslingius a Romana *turbatam* vocat. At oportet, Kieslingium, doctum cæteroquin virum, neque Latinos, neque Græcos Scriptores conſuluiſſe, dum Græcos a Romanis turbatos dicit. Quis enim neſcit, Græcam Eccleſiam (de ſchiſmatica loquor) ſemper novis rebus ſtudentem, ex Epiſcopo Byzantino, qui Heracleenſi Metropolitæ ſubjectus erat, creaſſe Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui primas ante Alexandrinum & Antiochenum haberet, deinde etiam cum Romano Pontifice de Primatu contenderet. Romanuſque Pontifex turbavit Græcum Patriarcham? nonne Græcus Romanum? ſed facile conſentientem me habebit Kieslingius, ſi *turbatam* Græcam a Romana Eccleſia intelligat, hoc eſt, *edoctam* ab erroribus identidem pullulantibus revocatam; cujuſmodi errores in ſubjecto argumento ab Iconomachis in Græcam Eccleſiam invectos, a Romanis Pontificibus fuiſſe feliciter proſcriptos, Græci ipſi tum Patres in Concilio Nicæno II., tum Hiſtorici, & quotquot hanc materiam tractarunt, ingenue teſtantur: Audiat Kies-

Kieslingius, quid in ſecunda Actione de Romano Pontifice dicit Euthymius Sardenſis Epiſcopus, Lydiæ Metropolita: *Prælectas literas Sanctiſſimi Papæ* (Adriani primi) *ſenioris Romæ ſincere ac indubitanter ſequens, polliceor ac profiteor me ita ſapere de ſanctiſſimis Iconis, non quaſi quoddam novum dogma admittens, ſed tanquam certiſſime ſciens de illis traditionem Sanctorum Apoſtolorum, & Sacratiſſimorum Magiſtrorum, qui has reliquerunt in Sancta Dei Eccleſia*. Quod ipſum aſſerunt Gregorius Sinopeæ Epiſcopus, Sabas Studiani Monaſterii Hegumenus, & Iconoclaſtici Conventiculi Refutatio lecta ac probata per Synodum Nicænam ſecundam. Ignatius Diaconus, Nicephori Diſcipulus, in vita Nicephori, hunc Patriarcham ſic loquentem introducit ad Leonem Iconomachum Imperatorem. (Verba utinam intelligeret Chytræus & reliqui illius συμμύστορες, inquit Allatius de perpetua conſenſ. pag. 1206.) *Quæ enim vobis Roma, primaria Apoſtolorum Domus, in Chriſti venerandæ Imaginis improbationem conſpiravit? At nobiſcum in illius veneratione conſpirat, & una gaudet. Quæ Alexandria, Marci Evangeliſtæ venerandum Templum, Dei matris carneam materiæ impreſſam ſimilitudinem in altum erigi aliquando prohibuit? Sed in hoc nobiſcum una operatur & concurrit. Quæ Antiochia, Principis Petri decantatiſſima Sedes, in opprobrium ſacrarum Picturarum convenit? At una nobiſcum earundem reverentiam procurat. Quæ Hieroſolyma, Fratris Domini glorioſum habitaculum, in deſtructionem paternarum traditionum conſenſit? Quis ex veſtro Imperio ſubjectis, volens probanſque Sacerdos, & non vim paſſus ac renuens, vos ſequitur, & hiſce factis aſſenſum præbet? Quænam ex Catholicis Synodis, a quibus Fidei purum Divino Spiritu Symbolum editum eſt, in his una vobiſcum collocuta eſt? Qui enim harum caret conſenſu, Eccleſiæ dogmatum ornatum contexere minime valebit*. En conſenſus quatuor Eccleſiarum Patriarchalium Orientis cum Romana Sede: nam Conſtantinopolitanam Eccleſiam idem ipſe Nicephorus, qui hæc verba ad Imperatorem Leonem habet, referebat: conſenſus, inquam, cum prima omnium Eccleſiarum & magiſtra, in Sacrarum Imaginum cultu, non quidem novitio ac recens invento, ſed ab ipſis Apoſtolis tradito. En literis Romani Pontificis ſubſcribunt Nicæni Patres, ac profitentur, „ita ſa-
„ pere de ſanctiſſimis Iconis, non quaſi quoddam novum dogma
„ admittentes, ſed tamquam certiſſime ſcientes de illis traditio-

Digitized by Google

„ nem Sanctorum Apoſtolorum, & Sacratiſſimorum Magiſtro-
„ rum, qui has reliquerunt in Sancta Dei Eccleſia „. En demum, quomodo Eccleſia Græca a Romana *turbata* eſt, nimirum erudita, inſtructa, in paternis & Apoſtolicis traditionibus retinendis confirmata, juxta illud Evangelii de S. Petro, *& tu converſus aliquando confirma fratres tuos*.

VI. Sacræ Imagines per calumniam a Kieslingio *ſimulacra* vocantur. Quid ſit Imago, Idolū, Simulacrum.

Secunda Kieslingii aſſertio. Græca Eccleſia cum Romana in eo concordat, quod „ admittit Imagines Chriſti, & Angelorum,
„ qui humana induti forma mortalibus apparuerunt: inde San-
„ ctorum ſimulacra apud Græcos videbis obvia „. Verum dicit Kieslingius: nam non ſolum Chriſti Domini Dei noſtri, ſed etiam Deiparæ ſemper Virginis, Sanctorum & Sanctarum, nec non Angelorum Imagines apud Græcos videntur obviæ. Sed primo, addere debebat, *quas imagines Græci colunt & venerantur*: deinde eas Imagines *ſimulacrorum* nomine per ſummam injuriam vocat: nam, etſi nomen *ſimulacri* eſt paulo, quam *Idoli*, communius; (Lactantius ſiquidem lib. 6. de vero cultu, cap. 10. & 13. vocat hominem *Dei ſimulacrum*; & lib. 2. de origine erroris cap. 2. dicit *ſimulacrum* dici a *ſimilitudine*, & proinde omnem veram Imaginem poſſe dici *ſimulacrum*: Tullius quoque *ſimulacrum*, *ſtatuam*, *imaginem* & *idolum* pro una eademque re accipit: ſic *pro Aruſp.* 30. „ Statuæ & Imagines non animorum ſimulacra ſunt,
„ ſed corporum. 2. *de Invent.* 1. Zeuxis Helenæ ſimulacrum
„ pinxit. 4. *in Verr.* 159. Effigies ſimulacrumque Mithridatis.
„ *Pro Dom.* 111. Mulieris ſimulacrum e marmore „) Verius tamen eſt, quod alii dicunt, ſacrarumque Scripturarum loquendi modo conformius, *Simulacrum* dici a *ſimulando*, non a *ſimilitudine*: nam in Scripturis ſimulacra ubique ponuntur pro *Idolis*: ſemper enim, ubi Latinus Interpres poſuit *Simulacra*, ut Act. 15. Pſalm. 113., 1. Joann. ult., & alibi; ibi in Græco eſt εἴδωλα: & B. Auguſtinus in Pſalm. 135. dicit, Latinos ea ſimulacra vocare, quæ a Græcis dicuntur Idola: Hieronymus quoque in capit. 7. Oſeæ ſcribit, ſic opponi Simulacrum Deo, ſicut opponitur mendacium veritati, quia ſimulacrum Deum falſum refert. Ita Ven. Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Reliquiis & Imaginibus Sanctorum cap. 5. ubi etiam diſcrimen notat inter nomen *Imaginis* & *Idoli*. Imago, inquit, eſt vera rei ſimilitudo, ut quum pingimus hominem, equum &c. Imago enim ab imitando dicta eſt. Idolum autem eſt falſa ſimilitudo, ideſt, repræſentat id, quod reve-

revera non eſt, ut quum Gentiles proponebant Statuas Veneris, aut Minervæ; illa ſigna erant Idola, quia repræſentabant Deos generis feminini, quales Dii nec ſunt, nec eſſe poſſunt: atque ita nec vere repræſentabant, ſed erant falſæ imagines: id enim quod non eſt, repræſentari non poteſt. Ex quo intelligimus, Imagines Chriſti & Sanctorum non eſſe Idola. Sed nec Trinitatis aut Angelorum Imagines ſunt Idola, quia non ſunt factæ ad repræſentandum naturam Trinitatis vel Angelorum, ſed ad exprimendam formam, in qua apparuerunt, vel certe eorum proprietates: ac proinde Sacra Scriptura nuſquam tribuit nomen Idoli, ulli veræ Imagini, ſed ſolum ſimulacris Gentilium, quæ falſos Deos referebant. Hæc ille, & quidem veriſſime. Nam apud veteres quidem Latinos & Græcos pro una eademque re uſurpatas legimus hac voces *Imago*, *Idolum*, *Simulacrum*, *Spectrum*, ſicut Tullius ait 1. de Fin. 21. *Atomi*, *inane*, *Imagines*, *quæ Idola nominantur*: & epiſt. lib. 15. ep. 16. „ Quæ ille Gargetius „ etiam ante Democritus εἴδωλα, hic ſpectra nominat „: & pro Sext. 30. ſe imaginem judiciorum, aut ſimulacrum aliquod in Civitate futurum putaſſe: unde Homerus in XI. Odyſſeæ, & Lucianus in Dialogo de mortuis, animas mortuorum vocant εἴδωλα, & Maro in 6. Æneid.

Et ni docta comes tenues ſine corpore vitas
Admoneat volitare cava ſub imagine formæ;
Irruat, & fruſtra ferro diverberet umbras.

Ubi quæ Homerus & Lucianus vocant εἴδωλα, appellat ipſe *umbras*, & *cavas imagines*, ideſt, vanas & inanes. Quoniam tamen *Idolum*, *Spectrum*, & ſimilia, in propria & primaria ſignificatione deſignant Imaginem inanem, inde Scriptores Sacri, & Eccleſiaſtici Doctores, quum de Sanctorum Imaginibus loquuntur, ab iſtis vocibus abſtinent, *Idolum*, *Spectrum*, *Simulacrum*.

Tertia Kieslingii aſſertio. Græca Eccleſia quum Imagines Chriſti & Angelorum, Romanæ conſentiens, admittat, inde „ eorum Sanctorum, qui vere exſtitere, ſimulacra apud Græcos „ videbis obvia „. Jam ſatis diximus de nomine *Simulacri*. Nunc ludit Kieslingius, quum a Græcis ait admitti *eorum Sanctorum Imagines*, *qui vere extiterunt*. Nimirum his verbis ſugillat Romanam Eccleſiam, quaſi hæc veneretur eorum Sanctorum Imagines, qui numquam extiterunt: e contrario, Græci eos

VII. Alia Kieslingii calumnia de Imaginibus Sanctorum, qui vere exſtiterunt apud Græcos ſculptis.

eos colunt Sanctos, eorumque Imagine *admittunt*, *qui vere extiterunt*. Hanc in Romanos calumniam repetit non ſemel. Nam pag. 393. §.xiv. „ Vertant, *inquit*, ſe vero Romanæ Sedis „ mancipia, quorſum libeat, hanc tamen a ſeipſis non amove„ bunt ſuſpicionem, ſe Sanctorum colere, & adorare Simula„ cra, Quæ vero venerantur Sanctorum Simulacra; maximam „ qua partem ſunt entia non exiſtentia: quia neque fictitii illi „ Sancti unquam extiterunt, neque ſi extiterint, veræ hæ ſunt „ ipſorum Imagines. Fruſtra proinde Chriſtophori, Viaris, „ Theophori, & aliorum, quos vere vixiſſe negavimus, Imagi„ nes coluntur. Imagines Sanctorum vanæ ſunt & fictæ „. Idem ſupra pag. 182. & ſeqq. Chriſtophorum, Urſulam, Catharinam, Margaritam, Gaſparem, Melchiorem, Balthaſarem, Veronicam, & Viarem, numquam extitiſſe ait, & pro Sanctis tamen coli, Sed quis non videt, quantum Kieslingius ab æquitatis tramite aberret, dum Græcos hac in re a Romanis diſſidere ſcribit, & a Romanis quidem ait, Imagines coli Sanctorum, qui non exſtiterunt? nonne Græci æque ac Romani, venerantur Sanctos tres Magos, qui Chriſtum infantem adorarunt, Sanctum Chriſtophorum, S. Catharinam, S. Margaritam? nonne horum omnium Imagines habent & colunt? Quodſi Urſulam Græci & Veronicam in ſuo Menologio non habent, mirum non eſt: nam habent ipſi & nonnullos Sanctos, quorum nomina in Romano Martyrologio non ſunt inſcripta. Quod vero ad eum ſpectat, quem ipſe Kieslingius Sanctum *Viarem* vocat, & ab Hiſpanis aliquando cultum; miror, cur Mabillonii teſtimonium proferre non erubuerit: nam eo teſtimonio comprobatur, niſi probatos, a Romanis Sanctos non coli. Hæc verba ſunt Mabillonii tom. 1. Muſ. Ital. Par. 1. pag. 145. apud eundem Kieslingium pag. 185. „ Notatu dignum eſt, quod Urbanus (Pontifex Maximus) ab „ Hiſpanis quibuſdam interpellatus de concedendis Indulgen„ tiis ob cultum cujuſdam Sancti, cui Viar nomen inditum erat, „ negaverit Pontifex id ſe facturum, niſi prius (*a*) reſciret, „ quis, & qualis eſſet ille Sanctus, & quo tandem argumento „ ejus ſanctitas probaretur. Allatus eſt lapis, in quo hæ literæ „ reliquæ erant, S. *Viar*. At periti judicarunt, fragmentum „ eſſe Veteris Inſcriptionis, in qua quidam Præfectu S. VIARum „ laudabatur „ Vides, Kieslingii, a Romanis non permitti cul„ tum,

(*a*) Apud Kieslingium *neſciret*; dolo ne, an typographorum oſcitantia.

tum; niſi ſciatur, quis & qualis ſit ille Sanctus, & quo tandem argumento ejus ſanctitas probetur? Demum, quamquam Acta quorumdam Sanctorum ſint fabulis referta (quod unacum Baronio in notis ad Martyrologium Romanum ultro fatemur:) non tamen inde ſequitur, Sanctos illos vere non extitiſſe. Quot, & quanta ſunt, quæ quomodo, aut quando contigerint, neſcimus, & ſcimus tamen ea vere contigiſſe?

VIII. Imagines Dei, & apud Latinos, & apud Græcos.

Quarta Kieslingii aſſertio. „ Apud Græcos, *inquit*, in„ conſpicui, & immenſi Dei Imaginem deprehendes nullam; „ religioni enim ſibi ducunt, Deum formæ expertem, efforma„ re; Romanenſes autem ſibi omnia, quæ ſuggerit ſuperſtitio, „ licere arbitrantur, & Deum immortalem pro lubitu effin„ gunt „. Ea, qua Kieslingius ſcribit, modeſtia ego quoque hic mihi utendum cenſeo. Duplex Kieslingii mendacium apertiſſimum. Primum quidem, quum de Romanis, ait, exiſtimantibus omnia ſibi licere, quæ ſuggerit ſuperſtitio, & Deum immortalem pro lubitu ab illis effingi. Non effingunt Romani Deum, ſive Patrem, ſive Spiritum Sanctum, quomodocumque, aut pro lubitu: ſed ea dumtaxat forma, qua mortalibus apparere dignatus eſt. Legat, quæſo, Kieslingius, & intelligat, quomodo ſit Deus a Chriſtianis depictus & depingendus: legat, inquam, aurea verba Sanctiſſimi Patris Benedicti XIV. in opere præſtantiſſimo de Servor. Dei Beatific. & Beator. Canonizat. lib.4. Par.2. cap.20. a num.2. ad 4. quæ verba placet hic deſcribere, ut diſcant heterodoxi, quid Romana Eccleſia de Imaginibus Dei ſentiat & doceat. *Quocirca*, inquit, *nedum aliqui Heterodoxi, ſed etiam nonnulli ex noſtris Theologis docuerunt, nec Deum Patrem, nec Sanctiſſimam Trinitatem in Picturis repræſentari debere. At, ſi in forma Hominis ſe Deus conſpiciendum exhibuit Adamo, ut habetur Geneſ.3. 8. Si ſcalæ innixus apparuit Patriarchæ Jacob, & Moyſi uti legitur Geneſ.28. 13. & Exod. 33. 23. Si tamquam Regem throno inſidentem ſe exhibuit Iſaiæ 6. 1. Si demum æternus Pater, ut habetur Daniel.7.9. Danieli apparuit in forma ſenis veſtibus albis induti, capillis tamquam lana munda, & ſuper thronum ignis*: Antiquus dierum ſedit, veſtimentum ejus candidum ſicut nix, & capilli capitis ejus quaſi lana munda, thronus ejus flammæ ignis. *Si denique Spiritus Sanctus in forma Columbæ ſupra Jordanem viſus eſt, ut habetur Matth.3. 16.; nemo eſt qui non videat, bene poſſe Deum depingi ſub eis formis, ſub qui-*

quibus apparere dignatus eſt, *&* *etiam ſub eis*, *quibus eo*, *quo poſſumus*, *modo ejus Majeſtatem* *&* *Omnipotentiam ob oculos ponimus*. *Quamobrem Senator Philippus Buonarruoti* in ſuo celebri Opere de fragmentis antiquorum Vaſorum Vitreorum repertis in Cœmeteriis Urbis, *Tabulam primam*, *&* *Figuram primam explicando*, *pag.*5. *ait*: *Vien figurato quì Iddio nella Mano*, *come ſi vede nelle antiche Pitture*, *e ne' Sarcofagi de' Cimiterj*, *e nel Volume dell' Iſtoria de' Giudici della Vaticana*, *nelle Figure della Geneſi riportate da un Codice manoſcritto Greco antichiſſimo dal Lambecio nel Lib.*3. *della Biblioteca Ceſarea*, *in molti antichi Moſaici delle Chieſe di Roma*, *nel Menologio di Baſilio*, *e finalmente in alcune piccole monete di Coſtantino fatte dopo la ſua morte*, *e che ſono deſcritte da Euſebio*, *nelle quali l'Imperatore è come condotto in Cielo in un Cocchio*, *e vi è in alto una Mano*, *che lo riceve*. *Ed a ragione vien preſa la Mano per ſimbolo di Dio*, *perchè eſſendo egli inviſibile*, *l'opere ſolamente della ſua mano ſi vedono*, *onde ſovente nella Sacra Scrittura l'operazioni del medeſimo ſi chiamano mano*, *mano forte*, *robuſta*, *ed eccelſa*. Subjungit ibidem: *Docent Theologi cum Cardinali Bellarmino Lib.*2. *de Imaginibus Sanctorum cap.*8. *Deum triplici modo depingi poſſe*: *primo reputando*, *eum eſſe in ſe*, *qualis depingitur*, *hoc eſt*, *quod habeat naturam hominis cum ſuis membris*, *&* *idcirco Deum prout eſt in ſe*, *in Pictura repræſentari*; *&* *hac in re contineretur error impius*, *ſacrilegus*, *&* *naturæ divinæ contrarius*; *error videlicet Anthropomorphitarum*, *cujus meminit S. Auguſtinus in lib. de Hæreſibus cap.*88. *&* *de quo agunt Alphonſus de Caſtro lib.*5. *adverſus Hæreſes ſub tit.*Deus; *hæreſ.*2. *&* *noviſſime Joannes Sianda in Lexico Hæreſum*, *verb.*Anthropomorphitæ. *Secundo Deus pingi poteſt*, *ut hiſtoria repræſentatur*; *ex.gr. ſi pingendus eſſet Adamus a Paradiſo expulſus*, *depingi deberet Deus in forma Hominis ambulantis*, *uti legitur in Scriptura*; *&* *in hac Pictura non repræſentatur natura divina*, *ſed factum illud oculis conſpiciendum exponitur*, *quod auribus audientium inſonaret*, *ſi voce exprimeretur*. *Tertio depingitur Deus*, *ut oculis ejus majeſtas proponatur*, *ſimilitudinibus videlicet penicillo expreſſis*, *quibus aliquando in Scriptura hominibus apparuit*. *Et in his duobus poſtremis modis nihil eſt reprehenſione dignum*, *uti bene* *&* *docte proſequitur Cardinalis Gottus* in ſuo celebri Opere de vera Chriſti Eccleſia adverſus Jacobum Piceninum to.2.art.16.§.1.

Porro

Porro quamvis primis Eccleſiæ temporibus Dei & Sanctiſſimæ Trinitatis Imagines non eſſent in uſu, teſte Origine lib.7. adverſus Celſum prope finem, *ubi ait*: Ut qui Deum incorporeum & inviſibilem nulla figura circumſcribimus: *& juxta Canonem* 37. *Concilii Illiberitani, ubi ſic legitur*: Placuit, Picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne, quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur: *poſito, quod hic canon pertineat, non ad Imagines Sanctorum, ſed ad Imagines Dei, & Sanctiſſimæ Trinitatis, quum de his tantum ſtricta verificetur adoratio; ſtatuta hæc nihilominus dici debent ad avertendum periculum, quod imminebat Gentilibus & Catechumenis, qui Deum aſpicientes in Eccleſiis circumſcriptum & comprehenſum lineis, & coloribus, in eum facile devenire potuiſſent errorem, quod a Chriſtianis crederetur, non eſſe immenſum, omnipotentem, inviſibilem, æternum, incomprehenſibilem, ſpiritualem, corporis & materiæ expertem & immunem, quemadmodum erudite & ſolide annotavit Albaſpinæus Aurelianenſis Epiſcopus in commentario ad prædictum Canonem, atque proſequitur Mendoza. Vigebat quoque tunc temporis diſciplina Arcani, quæ ſecretiora occultabat Religionis Catholicæ myſteria, ne a Gentilibus profanarentur, atque ad eorum ludibrium exponerentur, ſicuti ad rem pergit Schelcſtrat. in ſua Diſſertat. de diſciplina Arcani cap.*6. *art.*3. *& utramque rationem tum Albaſpinæi, tum Schelcſtrati illuſtrat Pagi ad Annales Cardinalis Baronii ad ann. Chr.*55. *num.*5. *&* 6. *Quibus idcirco ceſſantibus cauſis, bene poteſt, & laudabiliter Imago Dei depingi, & in Eccleſiis collocari; ita ut inter Propoſitiones a Summo Pontifice Alexandro VIII. proſcriptas die* 7. *Decembris* 1690. *vigeſima quinta in ordine ſit quæ ſequitur*: Dei patris ſedentis Simulacrum nefas eſt Chriſtiano in Templo collocare. *Pater Chriſtianus Lupus in notis ad Canones ſeptimi Concilii cap.*5. *nonnullas eruditas proponens & reſolvens queſtiones de ſacris Imaginibus, primo quærit, quonam tempore in Eccleſia fieri cœperint Imagines Dei Patris, adeoque totius Sanctiſſimæ Trinitatis: ad quod ingenue reſpondet, ſe ignorare. Quærit ſecundo, an Spiritus Sanctus in Columbæ ſpecie pingi poſſit; ad quod ait, hanc eſſe omnium Eccleſiarum antiquiſſimam conſuetudinem: quapropter in Libro Pontificali de Sancto Innocentio I. legitur*: Fecit Turrim argenteam cum Patena, & Columbam deauratam. *Quærit tertio, an Angeli in humana ſpecie legitime pingantur; & affirman-*

do reſpondet, quum in humana forma ſæpe apparuerint his, ad quos miſſi ſunt a Deo, idque confirmat ex Epiſtola Nicolai I. Pontificis ad Michaëlem Auguſtum. Porro, principio ſeculi quinti Imagines Sanctiſſimæ Trinitatis in Eccleſiis pictas fuiſſe, deſumitur ex Epiſtola S. Paulini Nolani ad Severum, ubi deſcribens Picturas appoſitas in Baſilica S. Petri, hæc habet.

Pleno coruſcat Trinitas Myſterio,
Stat Chriſtus Agno, vox Patris cælo tonat,
Et per Columbam Spiritus Sanctus fluit.

& poſt pauca. *Pie ergo nunc & laudabiliter Sanctiſſima Trinitas pingitur; & Imagines ejus, quæ ab Eccleſia approbantur, ſunt illæ, quæ Deum Patrem repræſentant in forma ſenis, in cujus ſinu eſt Chriſtus, & inter utrumque Spiritus Sanctus in forma Columbæ: vel illæ, in quibus repræſentantur ſeorſum Deus Pater in forma ſenis, ſeorſum Chriſtus, ſed propinqui ambo, & inter utrumque Spiritus Sanctus in forma Columbæ, uti bene annotavit Cardinalis Capiſuccus in ſuis controverſiis Theologicis de cultu Sacrarum Imaginum* §.11. *in fine, reprobatis quibuſdam aliis Sanctiſſimæ Trinitatis Imaginibus, de quibus poſt Gerſonem, & Molanum late agit vir in Eccleſiaſticis quæſtionibus verſatiſſimus Joſeph Maria Perimezz Epiſcopus Oppiden. Canon. Alleg. part.2. alleg.* 4. §.1.

Hactenus Sapientiſſimus Pontifex. Non hæc faciunt Kieslingio ſatis? Audiat iterum eundem Catholicæ Eccleſiæ Summum Sacerdotem de ſacris Dei Imaginibus docentem. Sic autem ſcribit in Epiſtola ad Joſephum Epiſcopum Auguſtanum, data die 1. Octob. anno 1745. & impreſſa in tom.1. Bullarii pag.560. *Neminem profecto latet, impium atque ſacrilegum errorem fore, divinæque naturæ injurioſum, ſiquis ſe putaret, Deum Optimum Maximum, ſicuti in ſe eſt, coloribus exprimere poſſe. Quum enim illius Imago depingi atque oculis ſubjici nequeat, niſi tamquam materialis alicujus ſubſtantiæ, corporea figura & partibus præditæ; ſi quis has qualitates divinæ naturæ tribueret, is profecto in Anthropomorphitarum errorem incideret. Repræſentatur tamen Deus eo modo, eaque forma, quibus in Scripturis Sanctis legimus ipſum mortalibus apparere dignatum eſſe. Licet enim id ab* Heterodoxis *Scriptoribus improbe reprehendatur, inter quos Simonem Epiſcopium vidimus* ſuarum Inſtitutionum Theologica-

rum

rum lib.4. ſect. 2. cap.10. *aſſerentem, non licere Deum pingere, ne ſub ea quidem forma, qua ſe hominibus videndum exhibuit; ex noſtris vero etiam Durandus opinatus fuerit hujuſmodi Imaginum uſum minime expedire; & Joannes Heſſelius, Catholicus itidem ſcriptor*, catechiſmi ſui lib.1. cap. 65. *huic opinioni favere videatur, dum ait innocuas quidem fore hujuſmodi picturas, ſi a doctis tantummodo viris conſpici deberent; ſed quum ſapientium & inſipientium oculis expoſitæ eſſe debeant, facile evenire poſſe, ut indoctis per eas male de Deo credendi occaſio præbeatur: nihilominus communiter Catholici Theologi aliter docent.* Et poſtquam adduxit teſtimonia ex Petavio Theologicor. Dogmat. lib.15. de Incarn. cap.14. Molano hiſtor. Sacrar. Imaginum lib.2. cap.3. Suarez in 3. part. D. Thomæ tom.1. quæſt.25. art.3. diſp.54. ſect.2. Valentia tom.4. pag.384. Bellarmino & Goto Cardinalibus, ab eodem Pontifice alias citatis in opere de Canonizat. Sanctor. lib.4. par.2. cap.20. num.2. ſubjungit. *Imagines Deum ita repræſentantes minime reprobat ſacra Tridentina Synodus* ſeſſ.25. de Invocatione, Veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & ſacris Imaginibus; *ſed Epiſcopis mandat, ut populos edoceant, per hujuſmodi picturas erudiri & confirmari gregem Chriſti* in articulis fidei commemorandis & aſſidue recolendis. *Si quis vero privatus hujuſmodi Imaginum uſum opinione ſua reprobare auſus eſt, Eccleſiaſtico judicio damnatus fuit, ut indicat Propoſitio XXV. inter damnatas a fel. rec. Prædeceſſore noſtro Alexandro Papa VIII. die 7. Decembris 1690. quæ ſic habet*: Dei Patris ſedentis ſimulacrum nefas eſt Chriſtiano in Templo collocare: *Et profecto quum in ſacris Literis legatur, Deum ipſum ſub hac aut illa forma hominibus ſe videndum exhibuiſſe, cur ſub eadem forma eundem pingere non licebit?* Si ergo literæ legentibus permittuntur; quum tamen ſacræ Literæ in maxima veneratione habeantur; cur non etiam Imagines permittentur? *Verba ſunt Alphonſi de Caſtro* lib.8. adverſus Hæreſes; *quo etiam argumento ſtrenue uſus eſt Cardinalis de Richelieu in ſuo tractatu* de faciliori ratione reducendi eos, qui ſe ab Eccleſia ſegregarunt lib.3. pag.439. Pergit demonſtrans, quomodo ſit Deus pingendus §.25. pag.565. *Porro licere Sanctiſſimam Trinitatem coloribus pingere, communis eſt Theologorum opinio, quam copioſe propugnant Valdenſis, Molanus, Catharinus, Conradus Brunus, Nicolaus Sanderus, Franciſcus Turrianus, Suareſius, Vaſquez; quos ſequitur Theo-*

phi-

philus Raynaudus in libro, cui titulus, Heteroclita ſpiritualia cœleſtium & infernorum pag.23. *inter ipſius opera tom.*15. *ita ſcribens*: Ex uſu Eccleſiæ, & ex conſenſu potiorum Theologorum, fas eſt pingere Sanctiſſimam Trinitatem: *ubi etiam Durandum impugnat inter ſcriptores Catholicos contra opinantem. Thuanus quidem* lib.18. *refert Decretum quoddam, cujus Auctorem Eſpenæum fuiſſe aſſerit*: ut Sanctæ Trinitatis effigies, tamquam Sacræ Scripturæ, Conciliis, & veterum Patrum teſtimoniis prohibita, tollatur: *ac reprehendit Decanum Collegii Theologici Pariſienſis, Nicolaum Malardum, eo quod hujuſmodi Decreto obſtitiſſet. Verum hac in re Thuani dicta refellit Gretſerus* in Thuano Pſeudo-theologo pag. 57. tom.17. noviſſimæ editionis Ratiſponenſis operum ejuſdem Gretſeri, & pag.567. §.32. *Imagines itaque Sanctiſſimæ Trinitatis communiter approbatæ, & tuto permittendæ, illæ ſunt, quæ vel perſonam Dei Patris exhibent in forma Viri ſenis deſumpta ex Daniel.* cap.7. v.9. *Antiquus dierum ſedit: in ejus autem ſinu Unigenitum ipſius Filium, Chriſtum videlicet Deum & hominem: & inter utroſque Paraclitum Spiritum Sanctum in ſpecie Columbæ; vel duas Perſonas modico intervallo ſejunctas repræſentant, unam ſenioris Viri, nimirum Patris, alteram Chriſti, medium autem inter ipſos Spiritum Sanctum in Columba, ut præfertur, expreſſum.* Et quum hæc allato Cardinalis Capiſucchi, qui plures annos munere Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici functus fuit, teſtimonio confirmaſſet; ſubjungit: *Et quamvis Molanus loquens de hac ratione repræſentandi Sanctiſſimam Trinitatem, ac præſertim ubi Chriſtus in ſinu Patris veluti mortuus depingitur, dubitare videatur, an approbari poſſit, propterea quod Chriſtum mortuum nemini apparuiſſe legitur; attamen facile dignoſcitur, quam levis momenti ſit hujuſmodi difficultas. Licet enim Salvatoris noſtri mortui nullam apparitionem factam fuiſſe legamus; mortuus eſt tamen, & palam in conſpectu innumerabilis populi expiravit. Cur igitur ea forma, qua olim Hieroſolymis a tot millibus hominum viſus eſt, depingi nequit etiam in ſinu* (*a*) *Patris? aut cur ſub eadem ſpecie exponi nequit publicæ adorationi fidelium? quocirca facile Molani dubium reſolvitur, ut obſervat etiam laudatus Ayala, ſupradicto libro, cui titulus*, Pictor Chriſtianus lib.2.

a Antiquæ picturæ repræſentant etiam *Chriſtum crucifixum in ſinu Patris*, de quibus vide, ubi de Picturis agimus, quæ extant in Manuſcriptis Codicibus.

Digitized by Google

lib.2. cap.3. num.12. Quomodo autem Sancta Trinitas depingenda non ſit idem Pontifex in eadem Epiſtola doctiſſime diſſerit: ac primo quidem *de publicatis lateque diffuſis quibuſdam Imaginibus, Spiritum Sanctum ſub ſpecioſi Juvenis forma referentibus, ſubſcriptis verbis: Veni Sancte Spiritus*, ita diſſerit, §.10. pag.562. *De altera vero quæſtione dicturi* (an ſcilicet hujuſmodi Iconum uſus, expreſſio, & veneratio, ſive intra Eccleſias, ſive extra illas, admitti poſſit:) *primum omnium, Apoſtolicum Fraternitatis tuæ zelum, quo hujuſmodi Imagines huc illuc ſparſas, & per Cœnobium, per Eccleſiam, per Chorum palam expoſitas, auferri & removeri juſſiſti, laudamus atque probamus, Te hortantes, imo etiam auctoritate qua fungimur, Tibi mandantes, ut in ſuſcepto propoſito firmiter conſtanterque perſeverans, nullo pacto permittas hujuſmodi Icones ulterius multiplicari; quaſcumque vero ullibi exiſtere compereris, eas omnes & ſingulas de medio tollas*. Et modum præſcribit §.16. pag.563. qua ratione Imago Spiritus Sancti a Pictoribus efformari debeat, & quænam ipſius Imagines approbari debeant, aut reprobari. *In ſanctis Evangeliis a BB. Matthæo, Marco, & Luca conſcriptis, ubi Baptiſmus enarratur, quem Dominus Noſter Jeſus Chriſtus a Joanne accipere voluit, legitur, apertum fuiſſe cœlum, & Spiritum Sanctum corporali ſpecie, ſicut Columbam, ſuper eum deſcendiſſe. Quum igitur* [ut ſubdit §.18.] *Spiritus Sanctus in Columbæ ſpecie olim viſibiliter apparuerit; profecto illius Imago ſub eadem ſpecie depingi debet. Qua in re vetus Eccleſiæ diſciplina noſtrorum temporum conſuetudini adſtipulatur*. Atque hic proferuntur ad comprobandum hunc antiquum Eccleſiæ morem, pingendi Spiritum Sanctum in ſpecie Columbæ, teſtimonia ex S. Paulino (*a*) Nolano, & ex Actis Concilii Conſtantinopolitani ſub Joanne Patriarcha adverſus Severum congregati, & Concilii Nicæni II. in quibus de Severo dicitur, Labb. Concil. tom.5. pag.159. *Columbas aureas & argenteas in figuram Spiritus Sancti ſuper divina Lavacra, & Altaria appenſas, una cum aliis, ſibi appropriavit, dicens, non oportere in ſpecie Columbæ Spiritum Sanctum nominare*: De Genaia autem, in Collect. Concilior. Pariſien. tom.18. pag.458. *Inter cætera autem dicebat, & hoc eſſe puerilis animi factum, fingere in Columbæ idolo*

a Ejus Carmina ſupra deſcripta ſunt, in quibus pleno dicitur coruſcare Trinitas myſterio in Picturis in Baſilica Sancti Petri jam tunc exiſtentibus.

Digitized by Google

idolo ter adorabilem Spiritum Sanctum: Inſuper producitur ex opere Italico Philippi Bonarotæ Senatoris, quod inſcripſit, *Obſervationes in antiqua vitrea vaſa*, ex Urbis cœmeteriis effoſſa pag.125. ubi plures afferuntur Imagines Spiritus Sancti ſub Columbæ ſpecie in nobilibus illis ſacræ antiquitatis fragmentis expreſſæ. Addit §.21. pag.564. alium depingendi Imagines Spiritus Sancti modum, in figura videlicet Linguarum Ignis ſuper Apoſtolos deſcendentium „ Quoniam in ſacra Apoſtolicorum „ Actuum hiſtoria cap.2. refertur, Paraclitum Spiritum Sanctum hoc viſibili ſigno adventum ſuum ea occaſione hominibus manifeſtaſſe. Quamquam, ſi quis extra hanc occaſionem „ eundem Spiritum Sanctum pingere velit, non aliter ipſum „ (*ut ibidem inquit*) quam ſub Columbæ forma poterit repræſentare; ut etiam recte monuit eruditus Auctor Ayala in Tractatu, cui titulus eſt, *Pictor Chriſtianus*, *lib.2.c.3.* „ Atque hinc pergit idem ſapientiſſimus Pontifex ad improbandos alios modos, quibus nonnulli aut Spiritum Sanctum, aut totam Sanctam Trinitatem depingere contendunt. Ac primo quidem §.22. docet, Imaginem Spiritus Sancti ſub Adoleſcentis aut Viri ſpecie depingere non licere, „ quum nullibi inveniatur in divinis „ Scripturis, ipſum ſub hujuſmodi forma hominibus apparuiſſe,„ cui rationi §.23. addit auctoritatem Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi, prohibentis, Fidelium oculis exhiberi *ullas falſi dogmatis Imagines*, *aut rudibus periculoſi erroris occaſionem præbentes*; & generaliter, ullam inſolitam poni aut ponendam curari Imaginem, tam in Eccleſiis, quam in aliis quibuſcumque locis, diſtricte vetantis. „ Imago autem, de qua agimus, præterquam„ quod inſolita eſt, impium etiam, atque damnatum a Patri„ tribus errorem in animos intuentium revocare poſſet; eorum „ videlicet, qui aſſeruerunt divinam Spiritus Sancti Perſonam „ humanæ conditionis naturam aſſumpſiſſe „ de quibus loquitur S. Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 16. & S. Iſidorus Peluſiota lib.1. epiſt. 243. Deinde §.26. & ſeqq. edicit tollendos eſſe abuſus depingendi Sanctam Trinitatem qualibet forma pro Pictorum libito, „ ut quum pingunt unum hominem cum tri„ bus faciebus, vel unum hominem cum duobus capitibus, & in „ medio eorum Columbam: iſta enim monſtra quædam viden„ tur, & magis offendunt deformitate ſua, quam juvent ſimi„ litudine „ Similiter quum pingunt Deiparam Virginem Trinita-

nitatem ipſam in utĕro gerentem, quaſi vero tota Trinitas humanam carnem ex Virgine aſſumpſiſſet. Item quum depingunt Trinitatem ſub humani corporis figura tribus capitibus inſtructa: quem pingendi modum, quamquam Valentia tom.2. pag.389. tueri quodammodo conetur; Sanctus tamen Antoninus in Summa Par.3. tit.8. cap.4. §.11. acriter reprehendit; & Macrius in Hierolexico v. *Icona*, & Sarnellus Epiſcopus tom.4. Epiſtolarum, epiſt.13. teſtantur, Urbanum VIII. comburi juſſiſſe Picturas quaſdam Sanctiſſimam Trinitatem exhibentes ſub ſpecie hominis triplici facie inſtructi, idque factum fuiſſe die 11. Auguſti anno 1628. Demum quum depingere volunt Sanctiſſimam Trinitatem ſub figura trium hominum ſtatura, ætate, omnibuſque aliis lineamentis omnino æqualium: quem quidem depingendi modum Thomas Valdenſis tom.3. tit.19. de Sacramentalibus cap.151. approbare non dubitat, deſumtum videlicet ex trium virorum apparitione Abrahamo facta Geneſ.18. & ex interpretatione Sancti Auguſtini, & aliorum, qui in ea apparitione Imaginem Sanctæ Trinitatis agnoſcunt. Verum Sanctiſſimus Pater eum improbat hiſce Ayalæ verbis lib.2. de Pictore Chriſtiano cap.13. num.8. *Aliam alicubi conſpeximus pingendæ Trinitatis rationem, hanc ſcilicet; depingebantur in tabula tres viri perquam ſimilibus faciebus, æquali prorſus ſtatura, & æqualibus atque omnino ſimilibus coloribus, veſtibus ac lineamentis. Non quidem hoc tam abſurde; ſed tamen non omnino recte: etſi enim hac ratione ſervetur repræſentatio æqualitatis & coæternitatis divinarum Perſonarum, deficit tamen character, & notio, ut ita loquamur, divinæ Perſonæ; præterquam quod in his rebus, quæ ſunt dignitate ſua graviſſimæ, vitanda & fugienda eſt omnis & quæcumque novitas.* Poſtremo concludit §.33. & ſeqq. hoc argumento tam adverſus effigiem Trinitatis in forma trium hominum ſimilium, quam adverſus effigiem Spiritus Sancti in forma juvenis & viri. *Effigies trium hominum ſimilium ſi canonica non eſt, nec in Eccleſia recepta, fruſtra allegatur ad hoc, ut licitum dicatur ſub viri aut juvenis ſpecie Spiritus Sancti Imaginem exhibere. Si vero canonica eſſet, legitima, & ab Eccleſia probata, atque etiam tutiſſima foret præfata opinio, quod apparitio trium Angelorum Abrahamo facta myſterium adorandæ Trinitatis ſignificaverit; nil aliud ex his inferri poſſet, niſi prædictum Trinitatis repræſentandæ modum, hoc eſt, pingendi tres*

Digitized by Google

viros æquali ſpecie & ſimili vultu, licitum eſſe & tolerandum; numquam vero ex iiſdem rite colligeretur, licere Spiritum Sanctum, ſeorſim a duabus aliis Perſonis, humana facie, & ſub ſpecioſi juvenis forma depictum exhibere. Nec enim apparitio Abrahamo facta unius Angeli fuit, ſed trium; nec ullibi in ſacris Literis narratur, Spiritum Sanctum in forma viri aut juvenis, ſeorſim a duobus aliis, qui reliquas duas Trinitatis Perſonas repræſentarent, hominibus apparuiſſe. Præterquam quod Imago Spiritus Sancti ſub forma juvenis aut viri, ſeorſim a Patre & Filio, inſolita eſt, & inuſitata in Eccleſia, & conſequenter nullo modo recipienda.

Hæc fuſius ex doctiſſimis Sanctiſſimi Pontificis operibus deſcribere placuit, ut Kieslingius diſcat, Romanos in depingendis Dei imaginibus non exiſtimare omnia ſibi licere, quæ ſuggerit ſuperſtitio, neque Deum immortalem pro lubitu ab illis effingi: quod eſt primum ejus mendacium.

Ad alterum Kieslingii mendacium pergo. Ait Kieslingius; *apud Græcos inconſpicui & immenſi Dei imaginem deprehendes nullam: religioni enim ſibi ducunt, Deum formæ expertem, efformare*. Kieslingio adſtipulatur Suicerus in theſauro Eccleſiaſtico ex Patribus Græcis conſarcinato, ubi ad vocem εἰκών, tam pag. 1012., quam 1022. blaterat, *Eccleſiam Romanam Concilii Nicæni II. errori adjeciſſe adhuc alium, nempe Imagines ſculptas & exciſas, ipſiuſque Dei repræſentationes, apud Græcos etiamnum ignotas*. De ſculptis & exciſis Imaginibus, mox ſermo erit. Nunc de Imaginibus Deum repræſentantibus. Purum putum eſt Suiceri, Kieslingii, & ſectariorum mendacium aſſerentium, Imagines Dei apud Græcos eſſe ignotas. In Menologio Græco Baſiliano, quod Baſilii Porphyrogeniti juſſu ſcriptum pictumque fuit circa annum Chriſti 980. & authenticum ſervatur in Bibliotheca Vaticana, in prima ſemeſtri parte, quæ ſola exſtat, frequenter occurrit Imago Dei Optimi Maximi, non quidem ſub ſpecie hominis, ſed ſub forma *Manus* humanæ e nubibus prodeuntis radioſque emittentis, aut ſub forma *Radii* e *cælo* delapſi. Kieslingium & Suicerum ad Tabulas jam æri inciſas typiſque impreſſas Urbini anno 1727. remitto. Menſe Septembri die 3. (Tomo I. pag. 11.) *Manus* e cœlo prodiens, radios emittit in S. Ariſtionem Epiſcopum Alexandriæ. Eadem Manus cernitur die 18. Septembris pag. 49. in S. Eumenium Gortynæ Epiſcopum radios emit-

emittens: die 19. pag. 53. in Sanctos centum & quinquaginta Martyres: die 23. pag. 62. in S. Jonam patrem Theodori & Theophanis Confeſſorum: die 25. pag. 67. in puerum de media turba repente arreptum & per aërem ſublatum. Menſe Octobri, die 1. pag. 80. in S. Ananiam Apoſtolum & Epiſcopum Damaſci: die 2. pag. 85. in S. Theophilum Confeſſorem: die 4. pag. 89. in S. Paulum Simplicem: die 10. pag. 109. in S. Jacobum Aſcetam: die 11. pag. 110. in S. Philonillam: die 12. pag. 115. in S. Domninam: die 29. pag. 150. in S. Abramum. Menſe Novembri, die 1. pag. 158. in Sanctos Coſmam & Damianum: die 2. pag. 161. in S. Acindynum & ſocios: die 3. pag. 164. in S. Joannicium: die 7. pag. 173. in S. Theſſalonicam: die 8. pag. 174. ſupra S. Michaëlem Archangelum: eadem die pag. 175. in S. Matronam: die 10. pag. 179. in S. Olympam, & ſocios Diſcipulos ex LXX. die 11. pag. 181. in S. Theodorum Studitam: die 13. in S. Antonium & ſocios Martyres die 24. in S. Gregorium Agrigentinum: die 25. pag. 213. in S. Æcaterinam, & Philoſophos: die 26. in S. Alypium Stylitam. Par. 2. Menſe Decembri, die 1. pag. 3. in S. Ananiam Perſam Martyrem: die 2. pag. 6. in S. Abibum: die 5. pag. 11. in S. Sabbam Abbatem. die 7. pag. 13. in S. Ambroſium Epiſcopum Mediolan. die 8. pag. 14. in S. Athenodorum: die 9. pag. 16. in S. Joannem ex Epiſcopo Monachum Sabaitam: die 13. pag. 26. in S. Euſtratium & ſocios: die 20. pag. 44. in SS. Eugenium & Macarium: die 27. pag. 60. in S. Stephanum Protomartyrem. Menſe Januario, die 6. pag. 86. Imago Dei Patris & Spiritus Sancti, in forma *Manus e cœlo* prodeuntis radioſque emittentis, & *Columbæ* ſuper caput Chriſti Domini, a Joanne in Jordanæ baptizati: die 10. pag. 93. in forma *Manus* in S. Domitianum Epiſcopum Melitinæ. Eodem die pag. 95. in S. Domnicam. Menſe Februario, die 1. pag. 153. in S. Bendimianum: die 4. pag. 159. in S. Iſidorum Peluſiotam: die 7. pag. 169. in S. Parthenium Epiſcopum: die 13. pag. 184. in S. Martinianum: die 14. pag. 189. in S. Philemonem Epiſcopum Gazæ: die 22. pag. 207. in S. Athanaſium. En habes, mi Kieslingi, in ſex prioribus anni Græcorum menſibus, depictam Dei inconſpicui & immenſi Imaginem plus quam quadraginta vicibus: habes Spiritum Sanctum in forma Columbæ, Patrem Deum in forma Manus humanæ: Deum ipſum ſimpliciter & abſolute, vel in forma Manus, vel in forma Radii e cœlo prodeuntis. Sed alias plurimas

rimas Græcas picturas afferre libet, ut Kieslingio, & Suicero fiat ſatis.

Præter Menologium Baſilianum, exſtat aliud Græcum in Cod. Vatican. 1156. ſeculo undecimo exaratum. In hoc Codice fol. 1. pag. 2. S. Joannes Evangeliſta ſedet ſuper pulvillum, librum apertum in genibus manu ſiniſtra tenens, & dextera calamo ſcribens; oculis in cœlum ſublatis, ubi *Manus e cœlo* ſtellato erumpens, radios in ipſum emittit. In Bibliotheca Palatina exſtat Codex Græcus membraneus ſeculo item XI. exaratus, ſignatus numer. 381., Pſalterium continens, ubi fol. 169. pag. 2. depingitur Moyſes in monte Legem a Deo accipiens, *Manu* hominis (ideſt Deo) e nubibus erumpente tabulaſque legis Moyſi porrigente. Eodem modo depicta eſt & Moyſis, & Dei imago in Codice Græco Alexandrino Vaticano 1. fol. 1. pag. 2. ubi Moyſes ſcribit Geneſim, coram adſtantibus omnis generis animalibus, & ſuperne *Radio* e nubibus erumpente: in media autem Picturæ partæ, Piſces viſuntur in mari, & Columba ſuper aquas volitans, cum Epigraphe: Τὸ πνεῦμα τῶ Θεῶ ἐπιφερόμενον ἐπάνω τῶν ὑδάτων, *Spiritus Dei fertur ſuper aquas*. In eodem Codice fol. 46. Imago Moyſis ſolventis calceos de pedibus, cum epigraphe: ὁ Μωϋσῆς λύων τὰ ὑποδήματα ἐκ τῶν ποδῶν: in angulo dextro Rubus ardens, & non combuſtus, cum literis: ἡ Βάτος: & *Radius* e nubibus, cum voce: Μωσῆ, Μωσῆ, λῦσον τὸ ὑπόδημα ἐκ τῶν ποδῶν σου, *Moyſes, Moyſes, ſolve calceamentum de pedibus tuis*: In Codice Vaticano Græco 1522. exarato ſeculo nono vel decimo, fol. 1. pag. 2. pictus eſt Moyſes in fundo aureo, accipiens tabulas Legis a Dei manu e nubibus erumpente. Codex Græcus Palatinus 189. ſeculo nono exaratus, quatuor Evangelia complectens, fol. 92. pag. 1. Baptiſmum Chriſti in Jordane ſic exhibet. Pictura repræſentat Chriſtum nudum, in Jordane uſque ad collum immerſum ſtantem; Joannem vero in angulo dextro, manum dextram capiti ipſius imponentem; & Columbam ſuper ejus caput deſcendentem, & manum hominis ſuperne e nubibus erumpentem. Similiter in Codice Græco Vaticano Urbinitate, ſignato num. 2. exarato ad uſum Joannis Comneni Imperatoris, ejuſque filii Alexii Comneni, quorum Imaginibus ornatur, fol. 109. Pictura in fundo aureo repræſentans Baptiſmum Chriſti, exhibet Chriſtum nudum ſtantem in fluvio Jordanis uſque ad brachia immenſum, Joannem vero manum dexteram capiti ejus imponentem,

tem, Radium autem e cœlo emiſſum, & una cum Radio Columbam ſuper caput Chriſti deſcendentem, cum Epigraphe, ὁ Βάπτισις, *Baptiſmus*. Tandem, ne in re notiſſima nimius ſim, extat in Biblioth. Vaticana Codex Græcus ſignatus num. 699. opera Coſmæ Indicopleuſtæ complectens, ſeculo ſexto exeunte, vel ſeptimo ineunte exaratus. In hoc præſtantiſſimo ac vetuſtiſſimo membraneo Codice, Imago Dei in forma Radii, vel Manus humanæ a nubibus prodeuntis, ſæpiſſime occurrit. Unam igitur ex tot tamque frequenter ad ſingulos fere Teſtamenti Veteris Prophetas appoſitis Iconibus ſeligo: fol. 61. pag. 2. Figura refert Moyſen ſtantem, dextra manu pectori admota, & ſiniſtra baculum tenentem, prodeunte e nubibus manu, complicatis in morem benedicentis digitis, radios in caput ejuſdem Moyſis emittente, cum epigraphe ad latus capitis, Μωϋσῆς θεωρῶν τὴν Βάτον, *Moyſes contemplans Rubum*. Ibidem in angulo ſiniſtro picta eſt erumpens e nubibus manus, volumen plicatum tradens Moyſi, qui extenſis ſub pallio manibus illud accipit.

Ne autem Kieslingius de Vaticanis Codicibus dubium movere queat, ad alias ipſum Bibliothecas remittimus. Igitur eodem fere, ac Vaticanus Coſmæ Indicopleuſtæ Codex, ſeculo quinto exeunte, vel ſexto ineunte, exaratus eſt alter Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, fragmenta Geneſeos complectens, ſignatus num. XI. de quo Lambecius lib. 2. pag. 1007. & lib. 3. a pag. 2. ad 15. Hoc in Codice ſingulis fere paginis occurrit Imago Dei ſub forma manus humanæ in nubibus. Sic fol. 1. pag. 2. *Manus* Dei *in nubibus*, ſerpens arbori circumvolutus, Adam & Heva brevibus tunicis veſtiti, Rota flammea cum Cherubino ante portam Paradiſi, Adam & Heva e Paradiſo ejecti: fol. 5. pag. 1. manus Dei in nubibus, & ſub ea Iris, tamquam ſignum pacti divini poſt Diluvium: Noè, treſque filii ſtantes, Deumque alloquentem audientes. Fol. 4. pag. 2. manus Dei in nubibus, Abraham in lecto jacens. Idem Abraham e domo egrediens, manumque Dei in nubibus aſpiciens, promittentis multiplicandum fore ipſius ſemen ſicut ſtellas cœli. Fol. 13. pag. 1. manus Dei e nubibus, præcipit Jacob, ut *aſcendat in Bethel*. Hactenus de Imagine Dei in manuſcriptis Græcis Codicibus.

Eaſdem Dei Imagines videre eſt in Ephemeridibus Græco-Moſchis tam noſtris Capponianis, quam Papebrochianis. Ad diem 6. Jan. ſuper Chriſti Domini in Jordane ſtantis caput viſitur *Radius*

Digitized by Google

dius e cœlo erumpens, & *Columba* deſcendens, utique ſymbolum Patris, & Spiritus Sancti. Ad 30. Martii, Chriſto Domino in Cruce pendente, *Radius* e cœlo erumpens, ſuper ipſius caput deſcendit. Ad 25. Decembr. Chriſto recens nato, & in antro Bethlemitico in Præſepi poſito, *Radius* e cœlo erumpens Stellam ſupra caput Chriſti emittit. Ibidem apud Papebrochium, Adoratio Magorum depicta cernitur, cum *Radio* e cœlo prodeunte, & Stellam ſuper Bethleem emittente. In Tabula noſtra Capponiana ſic depingitur Adventus Spiritus Sancti in die Pentecoſtes: *Columba* e *Radio* procedens, deſcendit ſuper capita Deiparæ, & Apoſtolorum. Sed neque aliter in Eccleſiis Græcorum depictus eſt Chriſti Baptiſmus, aut Spiritus Sancti Adventus, niſi quemadmodum ſupra ex Codicibus manu exaratis demonſtravi. Sed & Annunciatio Deiparæ ſic paſſim in Tabulis Græcanicis depicta conſpicitur, ut e Radio cœleſti procedens Columba, in Virginem Gabrieli Archangelo dicentem, Ecce Ancilla Domini, illabi videatur. Quinimo Athonitæ Monachi in buxeis illis Imagunculis, quas ſcalpunt, eodem modo effingunt Annunciationem Deiparæ, Chriſti Baptiſmum, & Spiritum Sanctum in Apoſtolos deſcendentem. Poſtremo hoc ipſum ſibi volunt picturæ, quas Joannes Comnenus de Eccleſiis Montis Atho loquens commemorat: nimirum ubi de Monaſterio Chilantarii apud Montfauconium in Palæograph. Græc. pag. 472. *Eccleſiæ feneſtræ formas & Imagines Solemnitatum & Sanctorum repræſentant*: & pag. 486. de Monaſterio Simonis Petræ: *in dextro choro ſunt duodecim Imagines Moſcoviticæ, quæ Sanctos ſingulis menſibus coli ſolitos referunt*: & pag. 492. de Monaſterio Pauli: *habet Eccleſia Imagines multas Moſcoviticas eleganter ornatas. Illic habetur Crux admiranda argentea deaurata tota, a Conſtantino Magno facta, cum vetuſtiſſima Pictura duodecim ſolemnitatum Dominicarum.*

Itaque ſole clarius conſtat, non Latinos tantum, verum etiam Græcos, Imaginem Dei depingere, & quidem, ut diximus, Spiritus Sancti ſub forma Columbæ; Patris autem ſub figura Radii, aut Manus radios emittentis. Sic in muſivis primum apparet Dei Imago in forma *manus in nubibus*, in Eccleſia Sanctorum Coſmæ & Damiani Romæ anno 530. deinde anno 547. Ravennæ in Eccleſia S. Vitalis: & 567. item Ravennæ in Eccleſia S. Apollinaris in Claſſe. Vide Ciampinum Veter. Moniment. Tom. 2. pag. 60. 69. 81. in Tabul. 16. 20. & 24.

Quin-

Digitized by Google

IX. A Græcis non pictas ſolum, ſed & ſculptas Imagines coli.

Quinta Kieslingii aſſertio. *Græci id Romanenſibus in vitio ponunt, quod illi ſine omni diſcrimine & fuſiles, & ligneas* (addere debuerat, & *marmoreas*) *recipiunt Sanctorum Imagines; quum ipſi pictas tantum colendas eſſe ſtatuant; fuſiles autem & ligneas rejiciant*. Eadem eſt Suiceri in ſuo Theſauro pag. 1022. in Sanctam Romanam Eccleſiam calumnia; & citat pro Græcorum quorumdam recentiorum errore *Metrophanem Critopulum in confeſſione Eccleſiæ Orientalis* cap. 15. ubi de Chriſti, Deiparæ, & Sanctorum Imaginibus hæc habet verba: *Horum itaque Imagines Eccleſia*, ὐ γλυπτὰς, ὐ δὲ λαξέυτὰς, ἀλλὰ γραπτὰς μόνον, *non ſculptiles faciebat, neque exciſas, ſed pictas tantum*. Hanc Suiceri, & Kieslingii calumniam, jam ſupra confutavimus, producto pro Græcis Allatii teſtimonio. Sed quid Allatio opus eſt, quum idipſum & Græci Patres teſtentur, & ipſi recentiores Græci hac in re Patribus conſentiant? Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus Antirrhetico III. adverſus Iconomachos. *Quæ enim ab initio & a Chriſtianis tum in auro, tum in argento fabrefacta ſunt, vocanturque Phylacteria, & quæ in collo appenſa, & per pectus demiſſa portamus nos Chriſtiani ad cuſtodiendam ac muniendam vitam noſtram, & ſervandas animas & corpora noſtra*. Reliqua ut ſupra. Tertullianus in lib. de pudicitia adverſus Eccleſiam Orthodoxam cap. 7. *Procedant ipſæ picturæ calicum veſtrorum, ſi vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, utrumne chriſtiano, an ethnico peccatori de reſtitutione contineet*. Et cap. 10. *Ille ſi forte patrocinabitur Paſtor, quem in calice depingis*. Chriſtum Dominum in boni Paſtoris, ovem perditam in humero reportantis, effigie antiqui Fideles pingebant, ideſt ſculpebant, in ſacris calicibus; neque picturam iſtam, ſed ejus ad poenitentes applicationem Tertullianus reprehendit. Hujuſmodi Picturarum genus non modo in argento, marmore, & ære, ſed etiam in vitri Fragmentis, frequentiſſimum, illuſtratur a Senatore *Bonarotio* in opere de fragmentis antiquorum vaſorum vitreorum repertis in Cœmeteriis Urbis: & a Severano & Aringhio in Roma Subterranea; ubi infinita producuntur exempla Imaginum Chriſti in forma Agni, vel in forma Paſtoris ovem in humero portantis. Sed & hunc pingendi ſive ſculpendi Imaginem Chriſti modum olim apud Græcos uſurpatum fuiſſe patet primo ex his Euſebii verbis lib. 3. cap. 48. in vita Conſtantini Magni, de Imagine Paſtoris in foro Conſtantinopolitano poſita: *Videas etiam adhuc licet*

licèt apud fontes in medio foro poſitos Paſtoris præclara Symbola, illis, qui ſacris literis eruditi ſunt, ſatis cognita. Secundo comprobatur ex Canone 81. Concilii Trullani: *In nonnullis Venerabilium Imaginum Picturis, Agnus qui digito Præcurſoris demonſtratur, depingitur, qui ad gratiæ figuram aſſumptus eſt, verum nobis Agnum per legem Chriſtum Deum mortuum præmonſtrans*; quibus verbis antiqua conſuetudo apud Græcos Chriſtum in forma Agni depingendi demonſtratur; quamquam ibidem Patres Græci eam pingendi conſuetudinem in melius (ut putabant) reformari volentes, mandarunt, ut non amplius depingeretur Chriſtus in forma Agni; *Antiquas ergo figuras & umbras, ut veritatis ſigna & characteres Eccleſiæ traditos, amplectentes, gratiam & veritatem præponimus, eum ut legis implementum ſuſcipientes. Ut ergo quod perfectum eſt vel colorum expreſſionibus omnium oculis ſubjiciatur, ejus qui tollit peccata mundi, Chriſti Dei noſtri humana forma characterem etiam in Imaginibus deinceps pro veteri Agno erigi ac depingi jubemus*. Hunc canonem laudat ſeptima Synodus, & ait: *videmus cuncti, & intelligimus, quod & ante ſanctas Synodos & poſt ſanctas Synodos Imaginum deſcriptiones in Eccleſia traditæ fuerunt*. Videmus (ut notat Lupus pag. 1042. ad hunc ipſum Canonem) Chriſtum Dominum noſtrum non dumtaxat in aſſumpti hominis, ſed & in legalis Agni forma fuiſſe paſſim etiam in Græcorum Eccleſiis effigiatum. Et hunc morem, ut pravum damnare non auſus, ut imperfectum præſens Canon abolet ac proſcribit. Longe pejus poſtmodum Claudius Taurinenſis Epiſcopus blateravit adverſus omnem Latinam Eccleſiam: *iſti perverſorum dogmatum auctores agnos vivos volunt vorare, & in pariete pictos adorare*. Tertio demum oſtenditur non pictas tantum, ſed etiam ſculptas imagines in vaſis ſacris apud Græcos fuiſſe uſurpatas, ex hiſce S. Stephani Monachi Auxentiani ad Baſilium Tricacabum & Conſtantinum Nacolienſem Epiſcopum, pſeudoſynodi Iconoclaſtarum ſub Conſtantino Copronymo primates verbis. *An non quum in Concilio veſtro ſederitis, libellus vobis a piis viris oblatus eſt, qui Epiſcopum quemdam eo nomine deferret, quod Lancem ſanctam, in qua Chriſti ac Dei Genitricis imagines ſculptæ erant, contriviſſet? Vos autem contritionis illius crimen Imaginibus adſcribentes, ipſum quidem omni crimine ſolviſtis, pios autem viros ab Eccleſiæ cœtu proſcripſiſtis, idolorum vindices eos appellantes. An non ſacram ſupellectilem,*

ſan-

ſanctis imaginibus exornatam, concerpſiſtis? En ſacra apud Græcos vaſa partim ſculptis partim pictis, aut textis imaginibus exornata. Celeberrima eſt illa ænea ſtatua, divinis poſtmodum miraculis illuſtrata, quam Chriſto Domino Cæſareæ Philippi poſuit Syrophœniſſa, teſtibus Euſebio in hiſt. Eccleſiaſt. & Sozomeno; nec minus celebris altera ſtatua a Conſtantino Magno poſita, de qua hæc Georgius Codinus de Originibus Conſtantinopolitanis pag. 40. edit. Pariſ. *In Chalce ſtatuam æream Domini noſtri Jeſu Chriſti erexerat Conſtantinus Magnus; Leo autem pater Caballini ſive Conſtantini Copronymi eam evertit. Quæ hodieque illic viſitur muſivi operis Imago Dei, poſita fuit ab Irene Athenienſi. Prima autem illa ærea ſtatua annos quadrigentos & quindecim ibi ſtetit, cujus virtute mulier ſanguinis profluvio laborans ſanata fuit, & multa alia facta fuerunt miracula.* In Monaſteriis Athoniticis præter imagines depictas, alias eitam ſculptas, & muſivo ſive plumario opere elaboratas, recenſet Joannes Comnenus de Monaſterio Iberorum apud Montfaucon. in Palæograph. Græc. pag. 473. his verbis. *Habet intus in media Eccleſia quatuor maximas columnas, ac in choro utroque tres minores: & in Ciborio Proxime ſito quatuor alias columnas porphyreticas, & cruſtationem in circuitu ſplendidiſſimam, & ſupra illam culæo in muro opere plumario*, καὶ ἐπάνωθεν ταύτης τζίνια εἰς τὸν τοῖχον ὡραιοπλούμιστα: *ſuperius vero picturam perjucundam. In feneſtris vitreæ tabellæ multæ prægrandes ſunt. Lampas iſtic habetur ſpectabilis multorum luminum. Pulpita, poſtica, ſedes Hegumeni, teſſellis oſſeis & ex ligno ſentephii ornata ſunt.* μέσα εἰς τὸ ἅγιον Βῆμα ἔχει κουβούλιον ἐπάνωθεν τῆς ἁγίας τραπέζης γλυπτὸν καὶ περιχρυσωμένον, *ſupra ſacram menſam eſt coronis inſculpta, ac deaurata*, & pag. 466. de Monaſterio Batopedii: *ſupra Narthecis portam eſt Dominus Chriſtus muſivo opere depictus, ſimiliterque Annunciatio Deiparæ.* Ut ſileam Imagines Sanctorum, quas Athonitæ Monachi concinno & admirabili artificio in tabulis ligneis ſculpunt, & aliis communicant, de quibus ſupra dixi: ut demum nihil dicam de ſacri Concilii Nicæni II. Decreto a Græcis probato: *definimus in omni certitudine ac diligentia, ſicut figuram pretioſæ ac vivificæ Crucis, ita venerabiles ac Sanctas Imagines proponendas, tam de coloribus & teſſellis, quam quæ ex alia materia congruenter in ſanctis Dei Eccleſiis, & ſacris vaſis, & veſtibus, & in parietibus ac tabulis, domibus & viis: tam vide-*

licet Imaginem Domini Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quam intemeratæ Dominæ noſtræ Sanctæ Dei Genitricis, venerabiliumque Angelorum, & omnium Sanctorum ſimul & almorum Virorum.

X.
Diſcrimen inter cultum, qui Deo, & cultum qui Sanctis impenditur, tam apud Græcos, quã apud Latinos.

Sexta Kieslingii aſſertio. *In cultu ipſo Græci parum a Romanenſibus differunt: nam coram Imaginibus procidunt, eas adorant, & oſculantur, & iiſdem, quæ Romana Eccleſia ad emolliendum Sanctorum cultum profert, utuntur pigmentis.* Multa dicit Kieslingius, ſed in multiloquio non deeſt peccatum. Primo aſſerit, Græcos in cultu Sanctorum a Romanis parum differre. Hoc falſum: non parum differunt, ſed nihil differunt, nam Imagines ita colunt, ſicut Romani. Secundo aſſerit, Græcos ad emolliendum Sanctorum cultum, iiſdem uti pigmentis, ac Romana Eccleſia. Pigmentum vocat diſcrimen, quod inter Latriam, Hyperduliam, & Duliam recte a nobis ponitur, ab ipſo autem exercitat. 7. a pag. 38. frivolis ratiunculis impugnatur. Anaſtaſius Patriarcha Antiochenus in epiſt. ad quemdam Scholaſticum, laudatus in Concil. Nicæn. II. Act. 4. pag. 488. *nemo offendatur adorationis ſignificatione. Adoramus enim homines & Angelos ſanctos, non tamen ſervimus illis. Dominum enim, inquit Moyſes, tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. Et vide quomodo in eo quidem, quod dixit,* ſervies, *præpoſuit* ſoli; *in eo vero, quod ait,* adorabis, *nequaquam.* Hinc infert creaturis quidem adorationem, at non ſervitutem poſſe impendi. Quæſtio eſt de voce. *Etiam Deo,* (inquit cl. Lupus in not. ad Canones Concilii ſeptimi pag. 1084.) *Etiam Deo & creaturis quibuſdam communem venerationis cultum proprio nequimus vocabulo exponere. Eſt admodum varius: alium Epiſcopis, alium Regibus, alium doctis; alium juſtis, alium adhuc vivis, alium regnantibus cum Chriſto impendimus, juxta variam cujuſque dignitatem. Juſtis cum Chriſto regnantibus & Angelis & hominibus, impendendam Doctores claſſici voce Græca paſſim appellant* δουλίαν; *neſcio, an penitus recte. Etenim hunc Romani Pontificis titulum,* Servus Servorum Dei, *Græci vertunt,* ὁ δοῦλος τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ, *adeoque vox* δουλία, *non ſervitutis ſolis beatis Angelis, & hominibus impendendæ ſpeciem ſignificat, ſed genus quibuſvis hominibus ac etiam Deo commune. Nos interim Latini voce iſta hodie utimur in dictum ſenſum. Eam vero cultus ſpeciem Græci vocant Adorationem per amorem & affectum, ſalutationem, ſalutatoriam ac honoratoriam*

riam adorationem, & hæc noſtra Dulia eſt omnino latior, utpote quæ ſe omnibus hominibus & rebus etiam inanimatis impendatur. Sic in Concilio Nicæno ſecundo in decreto Fidei, de Imaginibus Chriſti Domini, Deiparæ Virginis, Angelorum, & Sanctorum hominum, proponendis in Sanctis Dei Eccleſiis, & ſacris vaſis, & veſtibus, & in parietibus ac tabulis, domibus, & viis: „Quanto „ enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tan„ to qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum „ earum memoriam, & deſiderium, & ad oſculum, & ad honora„ riam his adorationem tribuendam: non tamen ad veram latriam, „ quæ ſecundum fidem eſt, quæque ſolam divinam naturam de„ cet; impartiendam„. Sic etiam Epiſcopi & Patres in Actionibus ejuſdem Concilii proteſtati ſunt. Actione prima Baſilius Ancyræ Metropolita, Iconoclaſta penitens, recipitur in Eccleſiæ gratiam ſub hac profeſſione: „ Venerabiles Imagines, tam diſpenſationis „ Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſecundum quod homo factus eſt, „ & intemeratæ Dominæ noſtræ Sanctæ Dei Genitricis, atque „ Sanctorum Apoſtolorum, Prophetarum, Martyrum, & omni„ um ſimul Sanctorum, ſaluto pariter & amplector, atque ado„ rationem, quæ pertinet ad honorem, impendo„; ideſt, non *latriam* aut *duliam*, ſed ſolum ſalutationis & adorationis honorem. Actione ſecunda, Adriani Primi Papæ Epiſtolæ ſuffragans Taraſius Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſacras Imagines aſſerit affectuoſo amore adorandas, ita tamen ut fidem & latriam noſtram in ſolum Deum ponamus. Et Alexandrini, Antiocheni, ac Hieroſolymitani Patriarcharum dogmaticis ad Synodum literis ſubſcribens Conſtantinus Conſtantienſis in Cypro Metropolita: *Suſcipio*, ait, *& amplector honorabiliter ſanctas & venerabiles Imagines, atque adorationem quæ per latriam, ideſt, Deo debitam ſervitutem efficitur, ſoli ſuperſubſtantiali & vivificæ Trinitati impendo*. Actione ſexta, quum lecta fuiſſet & probata conventiculi Iconoclaſtarum Refutatio, pag. 579. inquiunt Patres. *Sanctas Imagines Chriſtiani neque Deos nominarunt, neque ut Diis deſervierunt, neque ab illis expectant Divinum judicium, neque ſpem ſalutis ſuæ in eis aliquando habuerunt, niſi ad recordationem & monimen eas habentes, & amore circa earum principalia flagrantes. Has & amplexi ſunt, & honoranter adoraverunt, non tamen divinæ his ſervitutis vel cultus officium impenderunt; ſed neque aliis quibuslibet rebus*. Concludunt tandem Ni-

Digitized by Google

cæni Patres. *Sentimus bonum & optimum eſſe, venerabilium Imaginum poſitionem in Eccleſia fieri, & ſpiritualiter reduci per has ad principalium ſuorum memoriam, atque iſtas propter eorumdem honorificentiam & ſalutare & amplecti, ac debitam Adorationem impendere. Sive ergo alicui ſit ſalutationem gratum vocare, ſive Adorationem; hoc ipſum enim utrumque eſt: niſi forte quis Adorationem, quæ ſecundum latriam exhibetur, intelligat. Alia enim eſt hæc, ut multipliciter eſt oſtenſum, nec inſtantia ſatanica ſit erga Adorationem earum, neque formido iniquæ ſuſpicionis habens occaſionem, quia ſi acceſſero Imaginem ſalutaturus, invenior latriam, quæ in ſpiritu eſt, huic impendere. Abſit ſuſpicio hæc. Porro hi, qui dicunt imaginales formationes ſufficere in commemorationem tantum habere, & non etiam ad ſalutationem, unum recipientes, alterum reprobantes, per hoc ſemipravi, partimque mendaces, & partim veraces demonſtrantur, alias quidem vera confitentes, & alias depravantes. Et o inſenſibilitatem horum!* Hæc poſtrema verba impetunt mediam ac molliorem quamdam erronum (qui Iconoclaſtæ vocari non poſſunt) factionem, admittentem ſacras Imagines in Eccleſiis ſtatui, verum ad ſolum adſpicientium, indoctorum præſertim, inſtructionem ſeu commemorationem, alienas ab omni veneratione, etiam ſalutatoria.

In hac factione ſe ſuoſqua molliores Lutheranos eſſe fatetur Kieslingius, tum Reformatos, tum Carolſtadium alioſque Calvinianos damnans, qui immani plane furore in Imagines debacchantes, eas debellant, deturbant, comminuunt, e Templis ejiciunt, & igni culinari ad præparandum cibi tradunt. *Neque Reformatis* (inquit pag. 187.) *hoc damus, ut ſtatuamus, expellendas & amovendas eſſe prorſus omnes ex Templis noſtris Imagines, ut potius eas, ſalva noſtra fide, ex libertate Chriſtiana, retinendas eſſe credamus: non enim morali præcepto* Exod. XI. 4. *Imagines expreſſe ſunt prohibitæ: vitium non Imaginibus in ſe, ſed hominibus ſuperſtitione laborantibus eſſe tribuendum, exiſtimavarim. Inde ſtatuimus, Imagines, & picturas, artefactas, quæ faciunt ad ornatum & memoriam hiſtoriarum ſacrarum conſervandam, non eſſe in gratiam Reformatorum e templis extrudendas & eliminandas*. Et poſt pauca. *Carolſtadius, ſeu Andreas a Bodenſtein, Theol. doct. canon. & Archidiaconus in Eccleſia omnium Sanctorum Wittebergenſi, homo rudis, & ad excitandas*

Digitized by Google

das in Eccleſia turbas veluti natus, Luthero in arce Wartenburgenſi, juſſu Electoris latitante, maximos circa imagines excitavit motus, adeo quidem ut caterva hominum ſtipatus, in Templum omnium Sanctorum irrueret, immani plane furore Chriſti crucifixi ſtatuas, & alias Imagines ſacras comminueret & dejiceret. Et pag.396. ſuam de Imaginibus confeſſionem ita exponit. *Hæc eſt noſtra de Sanctorum Imaginibus confeſſio, quam facile hoc modo probamus. Quanto puriores ſunt noſtri de Deo immortali conceptus, tanto magis ad veram de Deo ideam accedunt. Quanto vero craſſiores fovemus opiniones, tanto Deo ejuſque eſſentia indigniores ſunt æſtimandæ Imagines: nimis rudes & dures de Deo nobis ingenerant ſenſus, & aliam, quam de Deo nobis formare debemus, ſuggerunt ideam, ita quidem, ut ſenſibilem, corporeum, & palpabilem nobis repræſentemus & concipiamus Deum. Vi potius animæ, quam ſenſuum miniſterio excellentiam divinæ eſſentiæ contemplari decet. Noſtra, quæ jam jacta eſt, diſputationis alea, nunc omnem dirimet litem, quando evicerimus: Deum per imagines & ſimulacra non eſſe colendum, quod hoc ipſo continetur mandato*: non facies ſculptile & imaginem. *Non omnem Deus vetuit Imaginum effabricandarum uſum: alias Beſaleel & Abaliab, eximii in populo Judaico artifices fruſtra fuiſſent ſapientia & arte a Deo inſtructi, neque uſus Imaginum hiſtoricus, qui & olim fuit, & in noſtra adhuc eſt Eccleſia, repellitur; ſed agit Deus de Imaginibus & ſimulacris in cultu divino adhibendis.* Hæc Kieslingius. Primo negat Deum prorſus eſſe pingendum; qua in re & ab eorum ſententia ſe recedere demonſtrat, *quos Patres Nicæni ajunt affirmare Imaginales formationes* (ſive Dei, ſive Sanctorum) *ſufficere in commemoratione tantum habere*; & a vero ſenſu abhorret: ſi enim, quanto puriores ſunt noſtri de Deo immortali conceptus, tanto magis ad veram de Deo ideam accedunt, atque adeo Imagines æſtimandæ ſunt Deo ejuſque eſſentia indignæ, eo quod nimis rudes & duros de Deo nobis ingenerant ſenſus, & aliam quam de Deo nobis formare debemus, ſuggerunt ideam, ita quidem, ut ſenſibilem, corporeum, & palpabilem nobis repræſentemus & concipiamus Deum: ſi, inquam, hoc affirmat Kieslingius de Dei imaginibus; idipſum prorſus dicere debemus de ſacris literis, in quibus nobis repræſentatur Deus ambulans, loquens, manibus & pedibus præditus, iratus, placatus, videns, audiens, odorans,

Digitized by Google

rans, & alia his ſimilia; ac proinde abiiciendæ etiam eſſent ſacræ literæ, eo quod aliam, quam de Deo nobis formare debemus, ſuggerunt ideam, ita quidem ut dum eas legimus, ſenſibilem, corporeum, & palpabilem nobis repræſentemus & concipiamus Deum: quod enim oculis noſtris eſt imago Dei, manibus, pedibus, capite, oculis, auribus præditi, idipſum ſunt hæ voces, Dei manus, pedes, caput, oculi, aures. Legat Kieslingius Antirrheticum III. Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani a Fabricio in Biblioth. Græc. tom. 6. pag. 656. relatum, ubi cap. 4. hæc ad rem noſtram affet: *Picturæ utilitas, per quam eorum quæ Chriſtus ſive fecit ſive paſſus eſt, memoria renovatur. Evangelicæ ſcripturæ, cum hiſtoricis rerum Evangelicarum picturis collatæ.* Et cap. 5. *Sermones ipſi nihil aliud ſunt niſi rerum Imagines; ſermonibus lucem vimque addunt Picturæ. De veteribus libris, in quibus adjunctæ erant ſermonibus imagines. Hiſtoricæ picturæ idem valent ac hiſtorici ſermones: major oculorum quam aurium fides. Evangelica hiſtoria nihil aliud eſt, quam ipſum Evangelium.* Secundo affirmat Kieslingius, *non repelli uſum Imaginum hiſtoricum*, qui (inquit) *& olim fuit, & in noſtra adhuc eſt Eccleſia*: quibus verbis negat ſolummodo cultum Imaginum: adeoque in eorum numero ſe eſſe demonſtrat, de quibus Patres Nicæni, *unum recipientes, alterum reprobantes, per hoc ſemipravi, partimque mendaces & partim veraces demonſtrantur, alias quidem vera confitentes, & alias depravantes, & o inſenſibilitatem horum!*

Ad Græcos redeo. Græci diſtinguunt cultum a cultu, & venerationem a veneratione. Cultum Deo debitum vocant *Latriam, Adorationem quæ per Latriam efficitur, Adorationem quæ fit per Deo debitam ſervitutem: veram latriam, quæ ſecundum fidem eſt, quæque ſolam divinam naturam decet.* Sic enim in Concilio Nicæno II. ſæpiſſime loquuntur; & in Relatione ad Conſtantinum Auguſtum ac Irenem ipſius matrem: *Decrevimus* (inquiunt) *ſacras Sanctorum Imagines adorandas, ideſt ſalutandas: idipſum enim eſt utrumque.* Κύνειν *quippe antiqua Græca lingua &* ſalutare, *&* oſculari *ſignificat, &* πρός, *præpoſitio, augmentum quoddam ſignificat amoris: quemadmodum* φέρω, *&* προσφέρω, κύρω, *&* προσκύρω, κύνω, *&* προσκύνω: *quod ſalutationem indicat, & ſecundum protenſionem amicitiam. Quod enim quis oſculatur, & adorat: & quod adorat, profecto & oſcu-*

& oſculatur, ſicut teſtatur humana affectio, quæ a nobis ad amicos habetur, & obviorum congreſſus. Hoc non ſolum apud nos, ſed & apud veteres in divina Scriptura ſcriptum reperimus. In hiſtoria namque Regnorum ſcriptum eſt: & David ſurrexit, & cecidit in faciem ſuam, & adoravit tertio Jonatham, & deoſculatus eſt eum. *Quid autem Dominus rurſum de Phariſeis Evangelice ait?* Amant primos recubitus in cœnis, & ſalutationes in foro. *Certum eſt, quod hic ſalutationem, adorationem appellet. Phariſæi quippe jactantem ſenſum habentes, ſeſeque juſtos opinantes, adorari ab hominibus feſtinabant, non ore ad os oſculari: hoc enim eſt potius humilitatis, & non Phariſaici tumoris indicium. Iterum autem Paulus divinus Apoſtolus, ſicut Lucas in Actibus Apoſtolorum deſcribit:* quia quum veniſſemus Hieroſolymam, libenter exceperunt nos fratres. Sequenti autem die introibat Paulus nobiſcum ad Jacobum, omneſque collecti ſunt ſeniores. Quos quum ſalutaſſet, narrabat per ſingula, quas feciſſet Deus in gentibus per miniſterium ipſius. *Ergo & hic ſalutationem, honoratoriam adorationem, quam invicem exhibemus, Apoſtolicus ſenſus deſcribit. Quemadmodum & de Jacob ait:* Adoravit faſtigium virgæ ejus. *Conſona vero iſtis & Gregorius cognomento Deiloquus, dicit:* Bethlehem cole, & Præſepe adora. *Quis putas eorum, qui recte & ſyncere intelligunt, quæ divina Scriptura proferuntur, intelligat quod hæc de Adoratione, quæ in ſpiritu fit, pronuncientur? niſi forte de inſenſatis ſit, vel ex his, qui totius ſcripturalis ſcientiæ & paternæ doctrinæ expertes exiſtunt? num quidem faſtigio Virgæ ſervivit Jacob? Aut Præſepe præcepit Gregorius Theologus deſervire? Et rurſus quoque non vivificam Crucem ſalutantes, conſone canimus;* Crucem tuam adoramus Domine, & adoramus Lanceam, quæ aperuit latus tuæ bonitatis? *Quod certiſſime ſalutatio eſt, & dicitur, ſicut indicat iſtud, quod hæc propriis noſtris labiis contingimus: nam etſi multoties invenitur Adoratio in divina Scriptura, & urbane loquentibus Patribus noſtris pro ſervitute, quæ eſt in ſpiritu, quum vox multa ſignificet, unum ex ſignificatis ejus eſt adoratio ſecundum latriam. Adhuc autem Adoratio eſt & ea, quæ per honorem & per amorem fit: ſicuti nos adoramus glorioſiſſimum & manſuetiſſimum Imperium veſtrum. Eſt & alia per timorem tantum, ſicut Jacob adoravit Eſau; & per gratiam, ſicut Abraham adoravit filios Heth pro agro, quem accepit*

Digitized by Google

cepit ab eis in ſepulturam Saræ uxoris ſuæ. Item expectantes quædam a ſublimioribus beneficium conſequi, adorant eos, ſicut Jacob Pharaonem. Hinc enim divina Scriptura docens nos, Dominum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies, *Adorationem abſolute ponit, & non adjicit* ſoli, *ut ſignificata multa habentem & vocem æquivocam. Porro,* ſervies illi ſoli, *dixit; etenim ſoli Deo ſervitutem noſtram referimus.* Iſta eſt Græcorum diſtinctio. Quæ Deo ſoli debetur, vocatur. *Latria, Adoratio ſecundum latriam, ſervitus Deo debita, ſervitus quæ eſt in ſpiritu, Adoratio, quæ fit per Deo debitam ſervitutem; Latria quæ ſecundum fidem eſt.* Quæ vero Sanctis impenditur, appellatur, *Adoratio; ſalutatio; deoſculatio: Adoratio per honorem & per amorem: adoratio quæ pertinet ad honorem: Salutatoria adoratio, cum convenienti honore.* Hinc dicunt, *venerabiles Imagines ſalutamus: ſuſcipimus & amplectimur honorabiliter: adorationem quæ per honorem fit, eis impendimus: honoranter eas adoramus: honorariam iis adorationem tribuimus: non tamen Deos nominamus, neque ut* Diis *deſervimus, neque ab illis expectamus divinum judicium, neque ſpem ſalutis noſtræ in eis habemus: neque divinæ eis ſervitutis vel cultus officium impendimus.* Hæc enim ſervitus Græce *Latria* dicitur, de qua voce S. Auguſtinus lib. 10. de Civitate Dei cap. 1. *Latriam noſtri, ubicumque ſanctarum Scripturarum poſitum eſt, interpretati ſunt ſervitutem. Sed ea ſervitus, quæ debetur hominibus, ſecundum quam præcipit Apoſtolus ſervos dominis ſuis ſubditos eſſe debere, alio nomine Græci nuncupare ſolent. Latria vero ſecundum conſuetudinem, qua locuti ſunt qui nobis divina eloquia condiderunt, aut ſemper, aut tam frequenter ut pene ſemper, ea dicitur ſervitus, quæ pertinet ad colendum Deum.* Vocem (ut inquit Lupus notat. in Canones Concilii ſeptimi pag. 1084.) adæquate correſpondentem nos Latini non habemus, ideoque Græca ſemper uti adſuevimus. Græcis λατρεία, & δουλεία, una eademque res eſt, *ſervitutem ſignificans:* atque idcirco a ſacris Scriptoribus ſolet ad Deum referri, ſic tamen, ut aliquando etiam ad homines extendatur, & tam pro honoraria, quam pro vera ſubjectione accipiatur, juxta illud S. Pauli ad Galatas 5., *ſed per caritatem ſervite invicem,* ἀλλὰ διὰ τῆς ἀγάπης δουλεύετε ἀλλήλοις. & Gen. 29. 18. δουλεύσω σοι ἑπτὰ ἔτη περὶ τῆς Ῥαχὴλ, *ſerviam tibi ſeptem annis pro Rachel.* & Exod. 14. v. 12. οὐ τοῦτο

ἦν τὸ

τȣ͂το τὸ ῥῆμα ὃ ἐλαλήσαμεν πρὸς σὲ, λέγοντες. πάρες ἡμᾶς, ὅπως δȣλούσωμεν τοῖς αἰγυπτίοις. κρεῖσσον γὰρ ἡμᾶς δȣλεύειν τοῖς αἰγυπτίοις, ἢ ἀποθανεῖν ἐν τῇ ἐρήμῳ ταύτῃ, „ nonne iſte eſt „ ſermo, quem loquebamur ad te, dicentes: dimitte nos, ut „ ſerviamus Ægyptiis? melius eſt enim, nos ſervire Ægyptiis, „ quam mori in hoc deſerto „. Infinita ſunt exempla, in quibus verbum δȣλούω, apud Græcos Scripturarum Interpretes, tum pro cultu religioſo Deo debito uſurpatur, tum pro miniſterio, ſive ſervitio quolibet hominibus præſtando. Idem dicendum de voce λατρεύω, quæ ſine diſcrimine uſurpatur, & ejuſdem eſt ſignificationis, ac δȣλεύω, tam apud profanos auctores & Grammaticos, quam apud Græcos Veteris Teſtamenti Interpretes. Veteres Gloſſæ λατρεύω *ſervio*; *ſervio* δȣλεύω. Heſychius, λατρεύειν, δȣλεύειν. Item λατρεούτων, δȣλικόν. &, λατρεύω, σέβω, δȣλεύω. Tandem, λατρεία, δȣλεία. Svidas, λατρεία, δȣλεία, ἐπὶ μισθῷ, *ſervitus mercede cauſa*. Phavorinus, λατρεύειν, κυρίως τὸ δȣλεύειν. Λατρεύειν, *proprie eſt ſervire*. Septuaginta Interpretes per λατρείαν, non modo exprimunt cultum ſoli Deo debitum, verum etiam illum, qui tribuitur Creaturis: ut Levit. cap. 22. v. 7. 8. 21. & Numer. c. 28. num. 18. ubi opus ſervile, quod Lex faciendum vetat in Sabbato, vocatur ἔργον λατρούτον. Et Deuteron. 28. 48. habetur, λατρεύσεις τοῖς ἐχθροῖς σȣ, *ſervies inimicis tuis*. Sed & Hebraica vox עָבַר, ab iiſdem Interpretibus modo per δȣλεύειν, modo per λατρεύειν, redditur. Neque vero, ut nonnulli autumant, ſemper ſumitur pro cultu Deo debito, ſed etiam pro ſervitio, ſive cultu, qui tribuitur Creaturis. Sic Geneſ. 29. 18. אֶעֱבָדְךָ, *ſerviam tibi annos ſeptem pro Rachele*. Exod. 14. v. 12. *recede a nobis*, וְנַעַבְדָה *& ſerviemus Ægyptiis*. Exod. 21. 1. *Si emeris ſervum Hebræum, ſex annis ſerviet* יַעֲבֹד. Et ſexcenta alia. Ut hinc diſcas, quam inepte Kieslingius, Latriam & Duliam pro una eademque re accipiendam affirmans, utramque de cultu religioſo, qui ſoli Deo debetur, tantummodo intelligendam contendit. Verba ejus recito. *Auctores novi Inſtrumenti* [inquit pag. 43.] *hoc Pontificiorum diſcrimen* (inter Latriam & Duliam) *ignorant, & voces* λατρεύειν *&* δȣλεύειν *promiſcue ponunt, & de cultu religioſo, qui ſoli debetur Deo, uſurpant*. Quam hoc ſit falſum, Teſtamenti Veteris Auctores demonſtrant, ubi eadem vox, δȣλεύω, & λατρεύω, non de ſolius Dei cultu religioſo

tantum, ſed etiam de quolibet obſequio ſeu miniſterio creaturis exhibendo, frequentiſſime occurrit. Sed & occurrit in Teſtamento novo eodem ſenſu. Pauca e multis ſeligo. 1. Timoth.6. 2. *Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres ſunt: ſed magis ſerviant, quia fideles ſunt & dilecti*: Græcus habet, ἀλλὰ πᾶλλον δουλευέτωσαν. Act.7. v.7. *Et gentem, cui ſervient, judicabo ego, dixit Dominus: Et poſt hæc exibunt. & ſervient mihi in loco iſto*. Καὶ τὸ ἔθνος ᾧ ἐὰν δουλούσωσι, κρινῶ ἐγὼ, εἶπεν ὁ κύριος. καὶ μετὰ ταῦτα ἐξελεύσονται, καὶ λατρεύσουσί μοι ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ. En, δουλεύω de creaturis dicitur, & λατρεύω de Deo. Verum ut ſemel omnia complectar, nonne eadem in ſacris literis debet eſſe vocum, δουλεύω, & λατρεύω, ac iſtarum, δοῦλος, & κύριος, ſeu δεσπότης? quas tamen voces, quis neſcit, de Creatore & creaturis promiſcue uſurpari? tam enim dicitur *ſervus Dei*, quam *ſervus hominum*; ſic etiam *Dominus*, & de Deo, & de hominibus prædicatur.

Ineptiſſime igitur Kieslingius has voces λατρεία & δουλεία, ad cultum divinum in ſacris literis reſtrictas affirmat: ineptiſſime citat Spanhemium & Suicerum pag.43. in hæc verba: „ Probavit vir magnus ille Batavus, ex communi uſu vocum apud „ Scriptores, & Scripturæ Sacræ lectione ſatis evidenter, has „ voces, *Latria & Dulia*, promiſcue de cultu divino ſumi: „ cui adiicio Suicerum „. Suicerus enim & Spanhemius utramque vocem dicunt de Deo æque ac de creaturis dici: utramque promiſcue, eandem rem ſignificare; nullum in Scripturis diſcrimen apparere inter Latriam & Duliam: ac propterea in illud diſcrimen invehuntur, quod noſtri Orthodoxi ponere ſolent inter Latriam & Duliam, hanc de Sanctorum, illam de Dei cultu intelligentes. Suiceri verba in Theſauro to.2. p.216. hæc ſunt, ad vocem λατρεία. *Hic non incommode quæritur: An diſtinctio* λατρείας & δουλείας, *qualem urgent Pontificii, dum volunt* λατρείαν *eſſe cultum ſoli Deo debitum*; δολείαν *vero cultum, quem fas ſit religioſe tribuere creaturis, aliquo nitatur Scripturæ fundamento? nos illud negamus: ratio evidentiſſima eſt, quia hæ voces ſine diſcrimine uſurpantur, & ejuſdem ſunt ſignificationis tam apud profanos auctores & Grammaticos, quam apud Græcos V. Teſtam. Interpretes, & novi Teſtamenti Scriptores* θεοπνεύστους. Et poſt pauca. *LXX. interpretes per* λατρείαν *non modo exprimunt cultum ſoli Deo debitum, verum etiam illum,*

qui

qui tribuitur creaturis. Et mox. *Ibidem voce* δουλείας *utuntur paſſim, quum agitur de Deo, & de cultu, qui ſoli Deo tribuitur, &* עָבַד, *modo per* δουλεύειν, *modo per* λατρεύειν *interpretantur*. Audis, mi Kieslingi, voces, δουλεία & λατρεία, promiſcuæ eſſe ſignificationis, & tam per illas exprimi cultum ſoli Deo debitum, quam illum qui tribuitur creaturis? cur ergo illas ad cultum ſoli Deo debitum reſtringis, & hoc teſtibus Spanhemio, & Suicero? Spanhemius & Suicerus hoc tantum dicunt, diſcrimen inter λατρείαν & δουλείαν, qualem volunt Pontificii, in Sacris Scripturis non habere fundamentum; non tamen affirmant, voces iſtas de ſolius Dei cultu in Scripturis dici.

At ego poſtquam Kieslingium allatis Scripturæ teſtimoniis ad hoc adegi, ut fateri debeat tam de creaturis, quam de Deo voces iſtas λατρεία & δουλεία promiſcue uſurpari, nunc pergo ad id, unde digreſſus ſum, eidem demonſtraturus, recte a Latinis & a Græcis, poſt exortas hæreſes, vocum cæteroquin promiſcuarum, ſignificationem fuiſſe diſtinctam. Græci, ut vidimus, προσκύνησιν, *Adorationem*, æque dici volunt de Deo, ac de Sanctis; λατρείαν vero & δουλείαν, ad ſolum Deum referri. Quæ ſupra retulimus verba, hæc ſunt; *Hinc divina Scriptura docens nos*, Dominum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies, *adorationem abſolute ponit, & non adjicit ſoli, ut ſignificata multa habentem, & vocem æquivocam. Porro* ſervies illi ſoli, *dixit: etenim ſoli Deo ſervitutem noſtram referimus*. Nimirum citant illud Matth. 4. v. 10. & Luc. 4. v. 10. Κύριον τὸν Θεόν σου προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις: quæ verba a Chriſto Domino deſumta ſunt ex Deuteronom. 6. v. 13. ubi Hebraicus textus habet: אֶת־יְהוָה אֱלֹהֶיךָ תִּירָא וְאֹתוֹ תַעֲבֹד *Dominum Deum tuum timebis, & ipſi ſervies*: Græca autem verſio: Κύριον τὸν Θεόν σου φοβηθήσῃ, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. & Latina: *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies*. Eadem verba recurrunt Deutoron. 10. 20. Utrobique Græca & Latina verſio, *Dominum Deum tuum* φοβηθήσῃ, *timebis*, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, *& illi ſoli ſervies*: Hebraicus vero textus, ut ſupra. *Timere*, in Scriptura, idem eſt ac *colere*, *adorare*: hinc in Teſtamento novo pro φοβηθήσῃ, *timebis*, reperitur, προσκυνήσεις, *adorabis*. Non quæro, an Patres Nicæni ex iis verbis: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*, recte intulerint, *Adorationem* eſſe Deo & creaturis communem; *ſervitutem*

Digitized by Google

tem vero, hoc eſt λατρείαν, ſoli Deo debitam; ex eo nimirum, quod dicitur, *ſervies illi ſoli*: Videntur enim humanum quid paſſi, dum ſolius Græcæ verſionis rationem habent: nam textus Hebraicus non habet, *illi ſoli*, ſed, *illi ſervies*: & verbum עבד, *Abad*, quo *ſervitus* ſignificatur, jam vidimus in ſacris literis æque de Deo ac de creaturis dici. Non quæro, inquam, an ii recte argumententur: ſed hoc certum eſt, quum tam προσκύνησις, *Adoratio*, quam λατρεία & δουλεία, *ſervitus*, in Scriptura promiſcue Deo & creaturis tribuantur; Nicænos tamen Patres decreviſſe, has quidem duas poſtremas voces de Deo in poſterum eſſe accipiendas; primam vero promiſcue de creaturis ac de Deo poſſe uſurpari: idque eos feciſſe, ut diſcrimen aliquod inter cultum & cultum ponerent, neque Creator cum creaturis confunderetur.

Verum Latinis hæc diſtinctio non arriſit, ſed altera, quam Cardinalis Bellarminus Tom. 1. de Eccl. Triumph. lib. 1. cap. 12. ita exponit. „ Sed quamvis iſta vocabula non ſint propria divi-
„ no cultui, ſecundum primam ipſorum vocabulorum inſtitutio-
„ nem, tamen Schola Theologorum non ſine cauſa excogitavit
„ illam diſtinctionem *de Latria, & Dulia*. Nam quum in re in-
„ veniatur manifeſta diſtinctio inter cultum Dei, & Sanctorum,
„ oportet etiam ad vitandam æquivocationem invenire diſtincta
„ vocabula. Optima autem erant iſta duo. Primo quia Scripto-
„ res ſacri vocem λατρεία, *Latria*, nunquam uſurpant, niſi pro
„ cultu ſolius Dei, ut patet ex toto novo Teſtamento; vocem
„ autem δουλεία, *Dulia* uſurpant pro omni ſervitute tam Dei
„ quam hominum. *Et poſt pauca*. Neque obſtat, quod iſti Pa-
„ tres raro meminerint nominatim Duliæ: nam quum dicunt,
„ Sanctos & Imagines coli debere, & non Latria, ſatis indicant,
„ debere coli alia ſpecie cultus, quam nos vocamus Duliam „:
ut eam vocat Beda in cap. 4. Lucæ, & Magiſter cum omni Schola lib. 3. Sent. diſt. 9. & idem inſinuat S. Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum, ubi docet Deum cultu Latriæ colendum eſſe, ſecus Sanctos. „ Colimus, *inquit*, ergo Martyres eo cultu dilectio-
„ nis & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur ſancti homines Dei,
„ quorum cor ad talem pro Evangelica veritate paſſionem para-
„ tum eſſe ſentimus: ſed illos tanto devotius, quanto ſecurius
„ poſt certamina ſuperata; quanto etiam fidentiore animo lau-
„ de prædicamus, jam in vita feliciores victores, quam in iſta
„ ad-

„ adhuc uſque pugnantes. At illo cultu, qui λατρεία, *Latria*
„ Græce dicitur, Latine uno verbo dici non poteſt, quum ſit
„ proprie quædam divinitati debita ſervitus, nec colimus, nec
„ colendos docemus, niſi unum Deum „. Idem lib. 10. de Ci-
„ vitate Dei. „ Latriam noſtri, ubicumque ſanctarum Scriptu-
„ rarum poſitum eſt, interpretati ſunt ſervitutem. Sed ea ſer-
„ vitus, quæ debetur hominibus, ſecundum quam præcepit Apo-
„ ſtolus ſervos dominis ſuis ſubditos eſſe debere, alio nomine
„ Græce nuncupari ſolet „. Nimirum, δουλεία: Sic enim habet
Apoſtolus Epheſ. 6. 5. Coloſs. 3. 22. Tit. 2. 9. ubi hæ voces oc-
currunt, *οἱ δοῦλοι*, *ὀφθαλμοδουλείαν*, *δοῦλοι τοῦ* Χριστοῦ, *δουλεύον-
τες τῷ κυρίῳ*, ac proinde δουλεία tam de Chriſto, quam de homi-
nibus dicitur. Pergit S. Auguſtinus: „ Latria vero, ſecundum
„ conſuetudinem, qua loquuti ſunt qui nobis divina eloquia con-
„ diderunt, aut ſemper, aut tam frequenter ut pene ſemper,
„ ea dicitur ſervitus, quæ pertinet ad colendum Deum „. Ec-
ce Auguſtinus diſtinguit Latriam a Dulia: hanc vocat ſervitutem, quæ debetur hominibus, ſecundum quam præcepit Apoſtolus, ſervos dominis ſuis ſubditos eſſe debere, & alio nomine (*quam Latria*) Græce nuncupari ſolere: Duliam videlicet. Latriam vero, eam dici ſervitutem, quæ pertinet ad colendum Deum. Quamquam λατρεύειν, & δουλεύειν, in utroque Teſtamento pro una eademque re ſumatur, & de Deo æque ac de creaturis dicatur; attamen S. Auguſtinus vult, apud Latinos jam ſuo tempore, morem invaluiſſe, ut Latria dicatur ſervitus quæ pertinet ad colendum Deum; Dulia vero, ſervitus, quæ debetur hominibus. Fateor, non loquitur ibi S. Auguſtinus de cultu Sanctis, aut Imaginibus exhibendo, ſed de cultu, quo ſervi debent dominos ſuos proſequi. At quum alibi idem S. Doctor dicat, a nobis Sanctos Martyres coli, & quidem non cultu Latriæ, quæ eſt proprie quædam divinitati debita ſervitus; manifeſte hinc liquet, eoſdem Sanctos Martyres a nobis coli cultu *Duliæ*. Quidquid crepet Kieslingius, optime ad rem concludit cl. Joannes Chryſoſtomus Trombellius, Canonicus Regularis Congregationis Rhenanæ, & Sanctiſſimi Salvatoris Bononiæ Abbas, in ſuo præclaro opere de cultu Sanctorum edito Bononiæ anno 1740., inquiens pag. 15. *Doctores Eccleſiæ has voces, ut olim Patres Eccleſiæ vocabula* Perſona, Hypoſtaſis & Homouſion, *introduxerunt, &, ut ita loquar, ſanctificarunt*. Sicut enim non imaginaria fuere vocabula, *Hypoſtaſis*,

ſtaſis, *Perſona*, *Homouſion*, ſed in re ipſa fundata, quemadmodum Kieslingius ipſe pag. 40. & ſeq. fatetur, ita neque imaginaria hæc diſtinctio inter *Latriam* & *Duliam*; ſed primo quidem a S. Auguſtino deſumta, deinde fundata in diſcrimine, quod omnino intercedere debet inter ſervitutem Deo, & inter ſervitutem creaturis debitam. Poſtremo, tametſi Græce idem ſit λατρεία, ac δȣλεία; Latini tamen jure poſſunt unam vocem ab altera diſtinguere; & primam quidem pro *ſervitute* Deo debita uſurpare, alteram vero pro ſervitute debita creaturis. Nonne (ſi vim Græcæ vocis reſpicimus) ὑπόςασις, idem omnino eſt, ac Latine *Subſtantia*? Græcam tamen vocem *Hypoſtaſis*, non pro ſubſtantia Latini uſurpant, ſed pro ſuppoſito, ſubſiſtentia, ſive perſona. Non ergo pigmenta ſunt, quibus Latini, & Græci ad emolliendum cultum Sanctorum utuntur, uti imperite ait Kieslingius, ſed ſolida & veriſſima ab utriſque uſurpata vocabula, ut cultum Deo debitum, ab illo qui creaturis exhibetur, diſtinguant.

XI. Miracula a Deo patrata per ſacras Imagines non minus apud Græcos, quam apud Latinos.

Septima Kieslingii aſſertio. *Hoc diſcrimen inter Græcos & Latinos, in colendis Imaginibus intercedit, quod miraculorum opinio apud Græcos non tam magna, quam in Romana ſit Eccleſia.* Si loquitur Kieslingius de miraculis, quæ a Græcis perhibentur per ſacras Imagines fieri, aut facta fuiſſe; liquet, ipſum in Græcanicis rebus hoſpitem omnino eſſe & peregrinum, dum ait, non tam magnam apud Græcos miraculorum opinionem, quam in Romana ſit Eccleſia. Ut enim miſſa faciam, quæ ab antiquis Scriptoribus narrantur de Imaginibus Achiropœtis, ideſt, non manufactis, Chriſti videlicet ad Abgarum miſſo Sudario, Hodegetria, Chalcopratiana, aliiſque, miracula, juvat hic pauca ex Joanne Comneno repetere de Imaginibus Athoniticis. In Monaſterio S. Athanaſii pag. 454. *Illic eſt Imago Sanctiſſimæ Deiparæ, quo loco Cucuzelæ pſallenti aureum nummum dedit.* Pag. 462. de Imagine Deiparæ in Monaſterio Batopedii. *Anno 6370.* (Chr. 862.) *venerunt Arabes & Saraceni ex Syria, Chriſtianos occidentes, excurſioneſque contra illos facientes: quo tempore* XLII. *Martyres in Ammorio necati ſunt. Ad ſacrum vero montem irrumpentes, hoc Monaſterium expilaverunt, prorſuſque devaſtarunt: ex divinis autem patribus, qui inibi erant, alios trucidarunt, alios captivos fecerunt. Templi vero tegumentum totum foliis aureis ornatum abſtulerunt. Quin etiam in medio Eccleſiæ ignem excitarunt, totamque denigrarunt fumo, ita ut ſpecioſiſſima illa muſiva*

ſtra hiſtoria non ultra appareat: ſolaque manſerit hiſtoria Deiparæ in ſublimi poſita, & ea quæ repræſentat, Ave gratia plena. *Porro cuſtos ſacri Altaris, antequam Arabes advenirent, venerandam Crucem, & Imaginem Deiparæ, quæ fundandi Monaſterii cauſa fuerat, in fontem, quem ſupra diximus ſub ſacra menſa eſſe, conjecit cum lampade ardente: & hæc modo congruenti ſuperne cooperuit. Quum autem fugam capeſſeret, comprehenſus a Barbaris, captivuſque adductus, in Creta venditus eſt. Elapſis vero ſeptuaginta annis, a captivitate redemptus, in Monaſterium rediit, ac de more genua flexit. Poſt dies aliquot Nicolaum Monaſterii præfectum interrogavit de Imagine fundatrice: quo audito obſtupeſcens ille, anceps animi erat. Demum, ut compendio dicam, præmiſſis precibus, & aperto fontis, qui ſub ſacra menſa eſt, oſtiolo, Imaginem Deiparæ ſalvam, lampadem in conſpectu ejus ardentem, & Crucem reperiunt, gloriam Deo rependunt, & eductam illa in ſacro Altari reponunt: quo loco jam viſuntur, pieque coluntur ab omnibus*. Et pag. 463. *In gratiam vero miraculi, ſive inventionis venerandæ Imaginis, in qualibet feria ſecunda hebdomadis fit Proceſſio in honorem Deiparæ, & in qualibet feria tertia Liturgia celebratur*. Pag. 466: in eodem Monaſterio Batopedii. *Extrinſecus autem in parvo narthece ad lævam depicta eſt illa Deiparæ Imago, quam Diaconus quidam in cellerarium iratus, quod ſibi vinum non daret ad potandum, in genam dexteram proxime oculum gladio percuſſit inſanus; unde o res mira! ſanguis multus emanavit: quam Imaginem exinde, ἐσφαγμένην, jugulatam vocaverunt. In conſpectu autem ejus lampas ardet aſſidue ad hunc uſque diem. Sanguis effuſus adhuc in vulnere conſpicitur. Porro miſer ille Diaconus ſubito cæcus effectus eſt; ac deinde parata in conſpectu Imaginis ſedecula, cum timore ac tremore uſque ad finem vitæ ibi jugiter precabatur: cui tandem miſerata Deipara viſum reſtituit, ac delictum condonavit. Manus tamen, quæ Imaginem ferire auſa fuerat, ad uſque finem arida manſit. Et hactenus eadem ipſa manus jacet in conſpectu Imaginis in teſtimonium horrendi tunc patrati miraculi, ad multorum reſipiſcentiam, ac Deiparæ gloriam*. Et pag. 467. *Illic eſt quædam Deiparæ Imago intra apſidulam depicta, quæ olim Imperatrici, ne in divinum Templum ingrederetur, edixit*. Hiſtoriam hic compendio narrat Joannes Comnenus, quam contigiſſe ait anno Mundi 5890. Chriſti 382. & pag. 468. hanc aliam ſubjungit. *Sub Catechumenorum loco*

Digitized by Google

loco viſitur alia Deiparæ Imago, miraculo inſignis, in Sacello, quod vocatur τὸ παρακλήσιον, *conſolationis, ſcalam conſcendentibus ad dexteram, in muro depicta. Quæ aliquando, res mira! vultum convertit ad Hegumenum Monaſterii; ipſique inſidias furum declaravit, & incurſionem, quam facturi erant in Monaſterium: quod ita ſine detrimento ſervatum eſt. Et ſane Imaginis vultus hactenus ad dexteram verſus conſpicitur. Atque ad hunc uſque diem lampas, & quidem prægrandis, jugiter ardet in ejus honorem, & ad memoriam vere tremendi miraculi.* In Monaſterio Iberorum pag. 475. *Ibi eſt Imago Deiparæ quæ vocatur Portatiſſæ: quæ Iconomachorum tempore ſuopte motu per mare iſtuc profecta eſt.* Et poſt pauca: *Imago miraculis inſignitur: fert autem in gutture ſignum infixi gladii, unde, o prodigium! ſanguis multus effluxit, & hactenus conſpicitur.* In Monaſterio Dionyſii pag. 478. *Illic item reperitur Imago Sanctiſſimæ Deiparæ, miraculis inſignis, quæ paucis abhinc annis ex omnibus ſuis partibus undique unguentum effudit; ita ut totum argentum, quo illita erat, unguento circumquaque perfuſum fuerit, atque in præſentem uſque diem aperte conſpiciatur.* In Monaſterio Protati pag. 484. *Extat ibi Imago miraculis inſignis, quæ ſemel, o res mira! loquuta eſt, & dixit,* Pſallant quod dignum eſt. *Habetur item altera Imago Salvatoris Chriſti in Altari, quæ Sacerdoti dixit, ut feſtinaret ſacram Liturgiam celebrare, propter ſeniorem Monachum, qui divinis Myſteriis communicare volebat, & ob aſperum multorum dierum jejunium, animo deficiebat, nec poterat ultra ſuſtinere.* In Monaſterio Zographi pag. 488. duæ Imagines S. Georgii Martyris, quarum altera non mortali manu facta, ſed ab eodem ipſo Sancto depicta dicitur, ſuopte motu ex Palæſtina & Arabia in illud Monaſterium per mare veniſſe perhibentur. Poſtremo pag. 492. in Monaſterio Pauli, *eſt & alia Imago parva cum pictura quoad artificium inimitabili, quam Imperator Theophilus, utpote Iconomachus, conjecit in ignem; & tamen, o res mira! combuſta non eſt, ſed ſervata & ad hanc uſque diem ſalva & integra manet.* Quid ad hæc Kieslingius? nonne magna miraculorum opinio apud Græcos, & fortaſſe major, quam apud Latinos? An vero in Eccleſia Schiſmatica aut Hæretica poſſint per Imagines fieri vera miracula, conſule præſtantiſſimum opus Sanctiſſimi Domini noſtri Benedicti XIV. de Canonizat. Sanctor. ubi lib. 4. par. 1. cap. 3. ex profeſſo tractat hanc materiam, *de malis ſcilicet*

cet Angelis, Infidelibus, Hæreticis, & Antichriſto, quoad miraculorum patrationem.

CAPUT VI.

Tabularum Capponianarum cum Athoniticis Imaginibus comparatio.

NUnc ad Græcas Moſcoviticaſque Athonitarum Monachorum Imagines redeo.

Jam vidimus ex Joanne Comneno, non modo Græcos, verum etiam Iberos, Bulgaros, Servos, & Ruſſos Monachos in monte Atho ſuum cœnobium olim habuiſſe, & nunc habere. Sic autem ſcribit Joannes Comnenus de Bulgaris & Servis p.472. „ Qui autem ibi (*hoc eſt, in Monaſterio Chilantarii*) aſceticam „ vitam agunt Patres, genere Servi & Bulgari ſunt. *Et pag.*491. „ Divinum & ſacrum Monaſterium S. Pauli a Bulgaris & Servis „ incolitur. *Et pag.*494. Patres autem iſtic (*in Monaſterio Xenophontis*) habitantes Servi & Bulgari ſunt. *De Iberis pag.*473. „ Celebre Monaſterium Iberorum eſt antiquiſſimum fundatum „ ab orthodoxis Imperatoribus Romanorum (*ideſt Græcorum*) „ & primum quidem ab Imperatrice Romani Imperatoris uxore, & a filiis ejus. Deinde vero ſplendidius & magnificentius „ ſtructum eſt ab illuſtriſſimo Tornicio, qui tunc Dux exercitus „ erat, & ibi Monachus effectus eſt. Defuncto itaque Romano, „ & Imperatrice Vidua relicta cum filiis orphanis & tenellis, „ quum Imperium a Perſarum incurſionibus periclitaretur, Imperatrix & Senatus Princeps miſerunt ad Monaſterium, ipſumque (*Tornicium*) Conſtantinopolim deduxerunt: multiſque „ precibus atque ſuaſionibus devictum, Ducem exercitus conſtituerunt. Ipſe vero in Iberiam profectus, quum exercitum „ magnum collegiſſet, Barbaris obviam ivit, & commiſſo prælio, devicit ipſos & in fugam convertit, magnamque prædam „ cum captivis agens, ad Regiam victor & triumphans rediit. „ Petitaque ab Imperatrice venia, ad ſacrum Montem ſecundo „ rediit, & hoc ipſum Monaſterium, ubi nunc viſitur, ad refugium patriæ ſuæ Georgiæ conſtruxit. Ideoque vocatur Iberorum. Manſit autem Tornicius ibi Monachus, donec quieſceret in Domino. Renovatum deinde magnifice fuit a Regi- „ bus

I. Bulgari, Servi, Iberi, & Ruſſi, præter Græcos, ſua habent in Monte Atho Monaſteria.

Digitized by Google

„ bus & Principibus Iberiæ, cum valido & pulcro muro in cir-
„ cuitu. *Demum de Ruſſis pag.497.* Sacrum ac venerandum
„ Monaſterium Ruſſorum eſt in loco plano, & umbroſo, aquis
„ irriguo, muris cinctum, cum cellis, turribus, & ceteris. Tem-
„ plum autem in honorem Sancti & magni Martyris Pantelee-
„ monis conſecratum eſt: neque tamen latitudine & amplitu-
„ dine ædificii commendatur, quantum altitudine. Habet Sa-
„ cella ſex, & alia ædificia memoratu digna. Fundator ejus fuit
„ Knezes Serviæ Lazarus, qui ob incorruptam virtutem San-
„ ctus poſtea fuit „. Carolus du Freſne Ducangius in præclaro illo libro de Familiis Bryzantinis, deque Familiis Dalmaticis, Sclavonicis, & Turcicis, tit. IX. *de Serviæ deſpotis*, Lazaros duos exhibet: unum edit. Pariſ. pag.336. & Venet. pag.260. qui *Lazarus Bukovitzius* audit, *Wxus* a Luccario appellatus, Solymani Turcarum Imperatoris bello, quod contra Muſam geſſit, partes ſequutus, ab eodem Muſa captus, & Philippopoli capite truncatus eſt: alterum edit. Pariſien. pag.338. & Venet.262. qui *Lazarus Brankovvitzius*, vel *Bukovitzius* quoque dicitur, tertius Georgii Serviæ deſpotæ filius; hic pulſo & exacto fratre Georgio, Serviam invaſit: quumque Mahometes Turcarum Sultanus, ad quem Georgius confugerat, ingenti copiarum militarium apparatu in Serviam irrupiſſet, Lazarus, ejus adventu terrore ſimul ac mœrore perculſus, qui alium de hac injuſta uſurpatione ſubditorum odium incurrerat, haud multo poſt, vitam exuit menſe Decembri anno 1458. Uxorem duxerat anno 1445. Helenam Palæologinam, Thomæ Moreæ deſpotæ filiam, quæ obiit exul 7. Novembris, anno 1474. quum paulo ante mortem veſtem induiſſet Monachicam. Hactenus Ducangius ex Phranze lib.2.& 3. & ex Laonico lib.7. Helenæ vir Lazarus is fortaſſe eſt, de quo Joannes Comnenus.

II. Moſcoviticæ ſacræ Imagines noſtris Tabulis ſimiles in Athoniticis Monaſteriis.

Vidimus etiam ex eodem Joanne Comneno, Moſcoviticas Imagines in Templis Athoniticis ſuſpenſas eſſe: nimirum p.467. in Templo Batopedii, *in Choro*, *& in Altari* pluſquam centum *Imagines Moſcoviticæ*, omnes argenteæ deauratæ: pag.492. in Templo Pauli, *habet Eccleſia Imagines multas Moſcoviticas eleganter ornatas*. Et pag.486. de Monaſterio Simonis Petræ; *in dextero Choro ſunt duodecim Imagines Moſcoviticæ*, *quæ Sanctos ſingulis menſibus coli ſolitos referunt*. Quis non videt *Moſcoviticas illas duodecim Imagines* a noſtris Tabulis Græco-Moſchis nihil differ-

differre? in utriſque enim Sancti ſingulis menſibus coli ſoliti repræſentantur. Quod vero ſpectat ad Dominicas & Solemnitates per annum, quæ in noſtris etiam Tabulis Græco-Moſchis depictæ viſuntur; earum ſimilis eſt illa ab eodem Comneno memorata Pictura, ubi de Monaſterio Pauli pag.492. poſt allata ſuperius verba, *habet Eccleſia Imagines multas Moſcoviticas eleganter ornatas*, hæc ſubjungit: „ Illic habetur Crux admiranda argentea „ deaurata tota, a Conſtantino Magno facta, cum vetuſtiſſima „ pictura duodecim Solemnitatum Dominicarum, inſculpta li- „ teris Latinis ad picturarum inſcriptiones, antiquis characteri- „ bus Longobardicis & Gothicis „. Quamquam enim in hac Comneni narratione aſyſtatum ſit, ſibique repugnet, quod dicitur de Conſtantino Magno Crucis illius auctore, deque literis Longobardicis & Gothicis eidem Cruci inſcriptis: (Conſtantini ſiquidem Magni ævo nondum literæ Longobardicæ & Gothicæ emerſerant: adeoque pro Conſtantino Magno reponendum puto Conſtantini Monomachi nomen:) res tamen ipſa, quæ ibi narratur; eo tantum errore demto, mirum quantum Tabulas noſtras Græco-Moſcas illuſtrat. Quemadmodum pictura illa duodecim Solemnitatum Dominicarum, a Græco fortaſſe pictore, ſed ad uſum Latinorum elaborata, non Græcis, ſed Latinis literis fuit inſcripta; ſic Tabulæ noſtræ Ruthenicæ, a Græco, ut videtur, pictore, in aliquo Montis Atho cœnobio, vel Bulgarorum & Servorum, vel Iberorum, aut etiam Græcorum, confectæ, Ruſſorum tamen uſui futuræ, non Græcis, ſed Ruthenicis literis fuerunt inſcribendæ. In Athoniticis dixi Monaſteriis Bulgarorum & Servorum, vel Iberorum, aut etiam Græcorum: non tamen in Monaſterio Ruſſorum; etenim ea quidem Monaſteria ætatem noſtrarum Tabularum antecedunt, quum fere omnia fuerint ante annum Chriſti 1100. condita: at vero cœnobium Ruſſorum, ut ex Comneno liquet, quum a Lazaro Serviæ Deſpota, adeoque poſt annum Chr. 1400., fundatum ſit, Tabulis noſtris eſt recentius.

III. Aut a Græco pictore, aut certe a Bulgaro ſeu Serviano ſunt noſtræ Tabulæ elaboratæ.

Neque mirum videri debet, quod Ruthenicæ Imaginibus literæ a Græco pictore ſint inſcriptæ in Monaſteriis Athoniticis Græcorum, ſive Iberorum, aut etiam Bulgarorum & Servorum. Nam ſicuti Moſcoviticæ Imagines, a Ruſſis utique depictæ, in Græcorum Eccleſiis, ut ſupra vidimus, ſunt ſuſpenſæ; ſic etiam fieri potuit, ut Græcus pictor, Slavonicarum literarum non igna-

Digitized by Google

rus, ſacras illas Ephemerides, Ruſſiæ, aut Serviæ Principibus, ſive Metropolitis uſui futuras, in Græcorum Aſceterio, aut in liberorum, ſive in Servorum & Bulgarorum laudatis Monaſteriis elaboraverit. Quid? quod nihil vero propius conjici poteſt, quam ut dicatur, in aliquo ex Athoniticis Servorum & Bulgarorum Monaſteriis illas fuiſſe depictas. Servi enim & Bulgari, tum iiſdem Slavonicis literis, tum eodem ac Ruſſi ritu, Græco nimirum, utuntur. Præterea iidem fuere earum gentium Apoſtoli, Cyrillus ſcilicet, ac Methodius, eademque fere lingua, ut infra oſtendam, hoc in præſenti Kulcinii teſtimonio contentus in præfat. ad Specimen Eccleſiæ Ruthenicæ pag. 2. „ Cyrillus inde (*ex urbe* „ *Regia*) ad inſtantiam Ratislai Principis in Moraviam ſe contu„ lit, ibidemque cum ſocio Methodio multis annis laboravit in „ converſione Slavorum, Moravorum nimirum, Bulgarorum, „ ac Ruſſorum „. *Et in ſerie Chronologica magnorum Ruſſiæ, ſeu Moſcoviæ Ducum pag.* 100. „ Peculiaria deinde nomina Sauro„ matæ ſumſerunt, vel a locis, vel a Principibus, vel ab aliquo „ eventu; hinc Ruſſi ſeu Roxolani, Slavi, Veneti, Antæ, Polo„ ni, Serbi, Raſcii, Bulgari, Bohemi, totque aliis nominibus, „ quæ jam ſunt antiquata. *Et paucis interjectis*. Quatuor enim „ gentibus Sarmaticis late per orbem diffuſis diverſa fuerint co„ gnomenta, mores varii, animique diſcordes, imo & linguæ „ ejuſdem confuſiones multiplices; ubi tamen eædem gentes „ Sarmaticæ ſub communi Slavorum nomine, a *Slava*, ideſt, glo„ ria, derivato, armis ac potentia excellere cœperunt, facile „ quoque in unius linguæ dialecton conſenſerunt, quo vix ali„ quantulum alicubi diverſo nunc utuntur, Bohemi, Moravi, Po„ loni, Ruſſi, Bulgari, Raſcii, Dalmatæ, & Moſchi univerſi „. *Hactenus Kulcinius*.

CAPUT VII.

De Diptychis, Faſtis, Kalendariis, Menologiis, & Ephemeridibus, effigiatis, & non effigiatis.

De diverſis Picturarum ſeu Imaginum ſpeciebus diximus ſatis. Nunc de Tabularum tum Græco-Moſcharum, tum aliarum nominibus.

Suas Græco-Moſchas Tabulas Papebrochius appellat *Ephemeri-*

I. Ephemerides effigiatæ Græco-Moſchæ Papebrochii.

merides, & cum addito, *Ephemerides figuratas*: Sic enim ſcribit in Prolegomenis ad Tom. I. Sanctorum *Maji pag.* I. „Quum „ placuiſſet ſemel ſub unum aſpectum dare totius Græcanici Anni ſacri curſum, hexametris illis comprehenſum, potius quam „ eum ſic menſtruatim diſtrahere, ſub eadem Ephemeridum ap„ pellatione id faciendum cenſui: ſub eademque comprehende„ re etiam volui quartum quoddam Menæorum, ſeu Menolo„ giorum genus, in quo iidem fere totius anni Sancti, per duo„ decim Tabulas diſtributi, exprimuntur effigiati; atque Ephe„ merides Figuratas, ſumto ex re nomine, nuncupare: ſicuti iſtas „ ex propria ſibi ſtyli ratione, vocavi metricas „. Eſt autem Ἐφημερὶς, *Ephemeris*, libellus, in quo acta quotidiana continentur: commentarius, regeſtum, memoriale. Latini *Diarium* dicunt, ſeu *Diurnum*. Et quidem aptiſſime id nomen Tabulis noſtris Capponianis convenit, in quibus Sanctorum nomina ſingulis anni diebus recenſentur: convenit & aliis tam pictis, quam ſcriptis Kalendariis ſeu Menologiis, de quibus ſuo loco dicendum erit.

II. Eaſdem Ephemerides Papebrochius *Menæa* & *Menologia* appellat.

Idem Cl. Vir Papebrochius triplex *Menæorum*, ſeu *Menologiorum* genus paulo ante notaverat. „Habebamus, *inquit*, du„ plex Menæorum ſeu Menologiorum, a menſibus, in quos an„ nus dividitur, dictorum, breviſſimum unum, quod totum poſ„ ſit membrana una expanſa objici oculis; plenius alterum, quod „ debeat integrum volumen implere. Sed præter hæc aliud „ tertium deprehendi in ipſo majorum Menæorum corpore lati„ tare, prorſus ei Martyrologio ſimile, quod ante octingentos „ annos Wandelbertus Prumienſis Monachus verſibus hexame„ tris deſcripſit; quodque Joannes Molanus ante Uſuardi Mar„ tyrologium verſiculatim diſtractum exhibuit, iterumque col„ lectum recudit Acherius Tom. V. Specilegiorum ſuorum. Re„ peri enim in prædictis Menæis de ſingulorum dierum Sancto „ uno præcipuo, ante ejus elogium hexametrum unum; pri„ mumque inventi hujus mei ſpecimen, collectis totius Martii „ verſiculis, ante Græca Acta ejuſdem menſis exhibui, rurſum„ que inter Acta menſis Aprilis, ſub appellatione *Ephemeridum* „ *Metricarum*, haud omnino (ut mihi videbatur) inepta, & „ necdum in ſacris occupata, Latinis vero omnibus non diſplici„ tura, quibus eadem ex aurei ſeculi Poëtis Propertio, Ovidio, „ Martiale innotuiſſet.

Et

III. Quid ſint apud Græcos *Menæa*, quid *Synaxaria*.

Et recte quidem Papebrochius, prout Tabulæ illæ ferebant, quas ipſe illuſtrandas ſuſceperat. Nam earum quædam hexametrum continent de ſingulorum dierum totius anni Sancto uno præcipuo; aliæ vero Sanctos exprimunt effigiatos, per duodecim tabulas diſtributos, pro totidem anni menſibus. Cæterum Græci, *Menæi* nomine intelligunt brevem aliquam Sanctorum, ſeu Chriſti ac Deiparæ Feſtorum, ut vocant, Immobilium, toto anno quotidie recurrentium nomenclaturam, qualis non in noſtris ſpectatur *Kalendariis*, ut idem Papebrochius autumat; ſed qualis in Officio proprio Sanctorum juxta Romanum Ritum conſpicitur. Non enim nomina tantum Sanctorum uniuſcujuſque diei, ut fit in noſtris Kalendariis, recenſentur; ſed etiam præter Cantus Lectioneſque, explicatior quædam habetur unius pluriumve per dies ſingulos recolendorum notitia, quoad vitæ aut paſſionis modum, tempus & locum, ſive recurrentis Dominicæ ſolennitatis hiſtoriam, qualem continent, quæ etiam vocantur, & paſſim laudantur *Synaxaria*, iis ſimilia Martyrologiis, quæ apud Latinos exorſi ſunt ſcribere Beda & Florus, quæque deinde abſolverunt Rabanus, Uſuardus, Ado, Notkerus, ſtrictioris laxiorisve epitomæ formam obſervantes.

IV. Kalendaria, Faſti, Laterculi, Album, & Matricula, differunt a Græcorum Menæis, & Synaxariis.

At vero *Kalendaria*, & *Faſti*, tametſi ad normam Eccleſiaſticam transferuntur, longe differunt a *Menæis* Græcorum, longiſſime a *Synaxariis*. Illa enim, hoc eſt, *Kalendaria*, & *Faſti*, nomina tantum Sanctorum & celebritatum uniuſcujuſque diei & menſis repræſentant: hæc autem, *Synaxaria* ſcilicet, & *Menæa*, elogium, & hiſtoriam præterea continent Sanctorum & ſolemnitatum toto anno per ſingulos dies recurrentium. *Faſtorum libri* appellantur, inquit Feſtus, *in quibus totius anni fit deſcriptio*: & Verrius: *Faſti ſunt libri, quibus dierum totius anni continetur computatio*. Tales ſub eodem nomine, verſibus ſuis illuſtravit Ovidius, Feſta & Laudos Populi Romani, ortus item atque occaſus ſiderum notantes, nec non illuſtriora quædam geſta, quæ publica auctoritate judicata erant mereri memoriam quotannis populo renovandam. Eorum ſic appellandorum principium fuiſſe a Tabulis quibuſdam, *Faſtos dies & Nefaſtos* notantibus, nemo tam parum Romanæ antiquitatis peritus eſt ut neſciat; neque velim dubitare, quin ejuſmodi Tabulis idem *Faſtorum* nomen remanſerit, quandiu ſub Romanis Conſulibus Imperatoribuſque Gentilibus Reſpublica ſtetit. *Faſti* etiam & *Laterculi*, dicebantur

tur Magiſtratuum vel Civilium vel Militarium *Catalogi*, imo & *Nomenclaturæ* ſingularum Legionum ac Tribuum, quas poſteriora tempora *Album*, aut *Matriculam* nuncupaverunt. Sed & *Laterculum* Theophilus Alexandriæ Epiſcopus, teſte Sigiberto, appellavit Cyclum de obſervatione Paſchæ per centum annos digeſtum: quem loquendi morem etiam recentiores Latini uſurparunt in ſuis geographicis, hiſtoricis, ſeu Arithmeticis Tabulis. Ab hac ampliore ad longe reſtrictioremſignificationem, *Faſtorum*, *Laterculorum*, *Albi*, *&* *Matricularum* nomina frequentior uſus ſub Chriſtianis Imperatoribus tranſtulit: non quidem, ut Faſtos Nefaſtoſque dies juri dicundo notarent; ſed ut ſive recurrentes ſacras per annum celebritates indicarent, ſive Sanctorum nomina unoquoque menſe recolendorum, aut Catalogum Epiſcoporum aliorumque Fidelium ad Liturgiam recitandorum, ſeu demum Clericorum alicui Eccleſiæ inſervientium: qui quidem Catalogi, ſumto ex re nomine, appellati ſunt etiam *Kalendaria*, & *Diptycha*; Kalendaria quidem, eo quod deſcriptis columnatim Kalendarum, Nonarum, atque Iduum notis cum literis Dominicalibus, totius anni Feſta in iis adnotarentur; Diptycha autem, quod Tabulæ plicatiles eſſent, geminas ſe pandentes ac porrigentes.

V. De ſacris & profanis Diptychis.

Hinc, ut in ſuo infinitæ propemodum diligentiæ eruditioniſque Gloſſario mediæ infimæque Latinitatis breviſſime ſimul & clariſſime ſacrorum profanorumque *Diptychorum* uſum omnem explicavit Carolus du Freſne Dominus du Cange, (quem *Cangium* brevitatis gratia in poſterum appellabimus) dicuntur *δίθυρον δίπτυχον*, *γραμματίδιον*, vel *γραμμαλεῖον*, Herodoto, Polluci, & Heſychio: *γραμματεῖον δίθυρον*, Libanio: *Bipatens pugillar*, Auſonio. Sunt enim *Diptycha*, ut Suidas & Heſychius exponunt, *δύο περιβόλαια, ἢ δύο ἐπιβολὰς ἔχοντα, ὥστε τῷ μὲν ὑπεστρῶσθαι τὸ ἐπίπλουν. τῷ δὲ ἐπιβεβλῆσθαι*, *quæ duabus conſtant tunicis, ſeu operimentis, quorum alterum operimento ſubſternatur, altero idem obtegatur*. Quum vero Diptychorum hujuſmodi, ſeu Tabellarum uſus multiplex eſſe poſſit, ſive ſacer, ſive profanus (quid enim in Tabellis ſcribi, pingi, ſeu inſculpi non poteſt?) hinc alia ſunt *Diptycha* Civilia, alia Eccleſiaſtica. Civilia ſunt *Diptycha Conſulum*, *Quæſtorum*, & majorum Magiſtratuum, eorum nominibus inſcripta, & imaginibus adornata, quæ ipſi ad amicos mittebant vice apophoreti, in Magiſtratus

Digitized by Google

tus initi & adepti ſymbolum, de quibus Jacobus Gothofredus ad lib. 15. Cod. Theodoſ. de expenſ. Ludorum, & Alexander Wilthemius in commentario de Diptycho Leodienſi cap. 1. & 7.

VI. Diptychorum Eccleſiaſticorum tria genera. Primum genus Epiſcoporũ, ſeu Sanctorum.

Eccleſiaſticorum Diptychorum tria ſunt genera: primum, *Epiſcoporum* ſeu Sanctorum: alterum *Vivorum*: tertium *Defunctorum*. Diptycha *Epiſcoporum* illa dicuntur, in quibus Sanctorum Præſulum vita functorum, eorum ſcilicet qui in pace Eccleſiæ obdormierant, aut aliqua vitæ ſanctitate inclaruerant, nomina exarabantur, quæ inter Miſſarum ſolemnia publice recitarentur. ἱερὰ Δίπτυχα, Græcis, ſeu ἱεραὶ & ἅγιαι δέλτοι, Latinis appellata reperiuntur, *ſacra Diptycha*, *Tabulæ ſacræ*, *Catalogus Epiſcoporum*, *Codices vel Diptycha Eccleſiarum*, *ſalutatio beatiſſimorum Epiſcoporum*. Vide Concilium Chalcedonenſe Act. XI. Conſtantinopolitanum ſub Mena Act. 5. Georgium Alexandrinum in vita S. Joannis Chryſoſtomi, Facundum Hermianenſem lib. 4. cap. 1. de B. Cyrillo: Hadrianum II. Papam epiſt. 9. Hincmarum Rhemenſem opuſc. 17. ad Nicolaum Papam: & alios apud Cangium in Gloſſario Græco & Latino, & Macros Fratres in Hierolexico. Diptycha hujuſmodi vocantur *Complexus* ab Hormiſda Papa in epiſt. ad Juſtinum n. 33. Tom. 4. Concil. Labb. pag. 1479. Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymitanus in quinta myſtagogica Catecheſi tria Diptychorum genera diſtinguit: Sanctorum ſcilicet, Epiſcoporum & Defunctorum. *Poſtquam confectum eſt* (inquit) *illud ſpirituale Sacrificium, ipſum offerimus, ut meminerimus etiam ipſorum, qui ante nos obdormierunt. Primum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras: deinde pro defunctis Patribus, & Epiſcopis, denique pro omnibus oramus qui inter nos vita functi, maximum credentes eſſe animorum juvamen, pro quibus offertur precatio ſancti illius & tremendi Sacrificii*. Erant igitur tres inſcriptorum, & recitandorum Ordines (ut notat Lupus ad Canones 5. Concilii pag. 752.) Primus palam Beatorum, ſecundus palam non Beatorum, tertius erat Patrum ſeu Epiſcoporum, quorum ſtatus erat incertus: ideoque illos neque invocabat Eccleſia, neque pro illis deprecabatur. Hinc illos errare idem Lupus demonſtrat pag. 751. qui exiſtimant, inſcriptionem iſtam Epiſcoporum in pace Eccleſiæ defunctorum, fuiſſe antiquam Canonizationis ac Beatificationis formam, omnemque ita inſcriptum Epiſcopum, dum ad Altare recitare-

tare-

Digitized by Google

taretur, fuiſſe a Fidelibus cultum ac invocatum. Nam S. Auguſtinus lib. 1. Collat. Carthagin. cap. 230. Petiliano Donatiſtarum Epiſcopo exiſtimanti, Cæcilianum Carthaginienſem Epiſcopum a nobis coli ut Sanctum, reſpondet: *In Eccleſia ſumus, in qua Cæcilianus Epiſcopatum geſſit, & diem obiit. Ejus nomen ad altare recitamus, ejus memoriæ communicamus, tamquam memoriæ fratris non tamquam patris aut matris*. Ejus nomen ſalutabant, verum non ut Sancti, ſed ut probi Epiſcopi, Sacerdotali officio citra querelam perfuncti, & a nobis cum pace & bona fama ad Deum profecti. Diverſa enim fuiſſe ſalutandi & ad Altare recitandi genera oſtendit idem Auguſtinus frequenter dicens de Sanctis Martyribus: *norunt Fideles, quo loco & ordine ad Altare recitentur*. Igitur eorum Antiſtitum, quorum nomina in ejuſmodi ſacra Diptycha referebantur poſt illorum exceſſum, quæ recitabatur in Liturgia memoria, longe alia erat ab ea quæ fiebat pro Sanctis: & Sacerdos aliter Sanctos, aliter Epiſcopos, & aliter defunctos commemoraret, uti ex S. Cyrillo Hieroſolymitano patet. Ex eo autem modo, quo Sanctorum commemoratio peragebatur, initium ſumſit *Canonizationis* ritus, cujus vocabuli vis nulla alia eſt, quam quod Summi Pontificis juſſu, re prius diligenter expenſa, virorum vitæ integritate & ſanctitate atque editis miraculis inſignium nomen in *Canonem* Sanctorum referatur. In *Canonem* itaque, ac in Diptycha, ſeu Catalogum, Album, & Tabulas Sanctorum referri, una eademque res eſt. Sed neque Sanctos Viros tantum in Diptychis, ſive Tabulis ſacris unacum Epiſcopis pie ſancteque defunctis mos fuit recenſeri; verum etiam Œcumenica Synodus, ut docent Acta Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Mena, & Cyrillus in vita S. Sabbæ Abbatis fuſe deſcribit modum, quo ex ambone prædicatæ ſunt ſanctæ quatuor Synodi: quem ritum hodieque ſervant Syri orthodoxi, quum in Liturgia publice & palam ſacras quatuor Synodos commemorant; ſervant etiam Jacobitæ Syri, Ægyptii & Abiſſini, a quibus tamen quarta Synodus omittitur. Hinc in Tabulis ſeu Kalendariis, & Menologiis, eundem morem legere eſt, ſacrarum nempe Synodorum unacum Sanctorum Catalogo diſertam commemorationem. Vide Ephemerides Græco-Moſchas Papebrochii ad diem 16. Julii, qua Sanctorum ſex Synodorum fit mentio.

VII. Alterum Diptychorum genus, Fidelium vivorum.

Diptycha vivorum, illa nuncupant, in quibus exarabantur nomina Romani Pontificis, Patriarcharum, Epiſcoporum, & eo-

rum qui Clero adſcripti ſunt: deinde Imperatorum, Auguſtarum, & aliorum dignitate conſpicuorum, qui eo tempore vivebant: poſtremo plebs ipſa & populus recenſebatur, ac ii potiſſimum, qui offerebant. Chryſoſtomus in Liturgia: *Diaconus in circuitu ſacram menſam thurificat, & Defunctorum ac Vivorum Diptycha, ut illi lubet, percurrit*. S. Maximus in Collatione cum Principibus, in Secretario: *Verumtamen quid volumus per multa diſcurrere? Inter ſacras oblationes ſupra ſanctam menſam poſt Pontifices, & Sacerdotes, & Diaconos, omnemque ſacratum Ordinem, cum Laicis Imperatores memorantur, dicente Diacono: Et eorum qui in fide dormierunt Laicorum, Conſtantini, Conſtantis, & cæterorum. Sic autem & Vivorum memoriam facit Imperatorum poſt ſacratos omnes*: apud Allat. in Concordia utriuſque Eccleſiæ pag. 1185. De lapideo Imperatorum & Patriarcharum Regiæ Urbis Diptycho hæc apud Macros Fratres in Hierolexico pagin. 224. *Prodigioſum quidem fuit id, quod in Chronico Belgico fol. mihi 379. narratur: extitiſſe nempe in Eccleſia S. Laurentii Conſtantinopolitanæ urbis quandam marmoream columnam laterculis ſculptam; in quorum primo ordine Iperatorum, & in ſecundo ordine Patriarcharum notabantur nomina, ut de eis fieret in Miſſa commemoratio: quas notationes quidam Philoſophus, nomine Leo, contemplans, vaticinatus eſt, dicens, quod quando laterculi illi eſſent completi, tunc fore, ut capiatur ab hoſtibus Civitas, & Græcorum Imperium ceſſaret. Quod ita evenit: nam in ultimo laterculo nominibus Coſtantini Palæologi Inperatoris, & Gregorii Patriarchæ, qui appellatus eſt Gennadius ſecundus, infauſtum vaticinium verificatum fuit, & Urbs illa ſub tyrannica Turcarum ſervitute redacta fuit*. De Romani Pontificis nomine in Diptycha Græcorum olim relato, poſtea ob ſchiſma & hæreſim Patriarcharum Orientalium deleto & abraſo, hæc teſtimonia ſufficiant. Theophanes ad annum 14. Zenonis Imp. Καὶ τὸ ὄνομα αὐτῦ ἐξῆρεν τῶν διπτόχων, *nomenque ejus*, (ideſt, Felicis Papæ) *e Diptychis ſuſtulit*. Idem ad annum 3. Juſtini Senioris: Ἐυφράσιος δὲ Ἀντιοχείας τὴν ἐν Χαλκηδόνι Σύνοδον ἐξέβαλε τῶν διπτύχων, καὶ τὸ ὄνομα τῦ Πάπα Ρώμης: *Euphraſius autem Antiochiæ Epiſcopus Calcedonenſem Synodum e Diptychis abraſit, necnon nomen Papæ Romæ*. Michaël Cerularius Patriarcha Conſtantinopolitanus in Epiſtola ad Petrum Patriarcham Antiochenum num. 9. apud Coteleriurn Tom. 2. monument. Eccleſ. Græc. pag. 140.

εἶδας

οἶδας γὰρ ὅτι ἀπὸ τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς ἕκτης Συνόδου καὶ ἐπιτάδε, ἡ ἐν τοῖς ἱεροῖς Διπτύχοις ἀναφορὰ ταῖς καθ' ἡμᾶς δηλαδὴ Ἐκκλησίαις ἐξεκόπη τοῦ Πάπα: Noſti enim a tempore ſanctæ & æcumenicæ ſextæ Synodi ac deinceps, relationem Papæ in ſacris Diptychis, apud noſtras videlicet ſanctas Eccleſias, exciſam fuiſſe. Id quod tamen a veritate quam longiſſime abhorrere, affirmat Petrus Patriarcha Antiochenus in Reſponſione ad eundem Cerularium, arguens eum ejuſque Chartophylacem & oſcitantiæ, & falſi, his verbis; pag. 148. tom. cit. num. 5. *Adhæc ego quoque teſtis ſum omni exceptione major, aliique mecum plures eorum qui in Eccleſia præcellunt, quod ſub beatæ memoriæ Patriarcha Antiochiæ domno Joanne, Papa Romæ ipſe etiam Johannes nominatus, in ſacris Diptychis referretur. Conſtantinopolim præterea ante hos annos quadragintaquinque reperi ſub ſanctæ memoriæ Patriarcha domno Sergio prædictum Papam in ſacra Miſſa cum aliis Patriarchis referri. Quo autem pacto poſtea ejus amputata fuerit relatio, quamque ob cauſam, clam me eſt.* Cauſa certe non alia fuit, quam ſchiſma Græcorum per ipſum Michaëlem Cerularium longe lateque propagatum.

VIII. Tertium Diptychorum genus, Fidelium Defunctorum.

Tertium denique Diptychorum genus erat *mortuorum*, eorum nempe qui in fide obdormierant, pro quibus Deum orabant, quorum nomina recitabantur, ac præſertim fundatorum Eccleſiæ & benefactorum, quorum proinde & Imagines in Eccleſiis depictæ erant, ut ſupra ex Joanne Comneno de Monaſteriis montis Atho vidimus, & nomina e Diptychis ad ſacram Liturgiam legebantur. Liturgia S. Chryſoſtomi: *καὶ τὰ δίπτυχα τῶν τε κεκοιμημένων καὶ ζώντων, ὡς βούλεται, μνημονεύει, & Defunctorum ac Vivorum Diptycha, ut illi lubet, percurrit.* Liturgia S. Marci: *ὁ Διάκονος τὰ Δίπτυχα τῶν κεκοιμημένων, Diaconus Diptycha mortuorum* legit. Alcuinus: *Poſt illa verba, quibus dicitur: in ſomno pacis, uſus fuit antiquorum, ſicut etiam hodie Romana agit Eccleſia, ut ſtatim recitarentur a Diptychis nomina Defunctorum.* Memoria vero illa, quæ agitur pro Defunctis in ſacrificio Miſſæ, inſcribitur apud S. Gregorium Magnum in libro Sacramentorum, *ſuper Diptycha*; & in expoſitione Miſſæ, *Oratio ſuper Diptychos*. Diptychus enim Latinis idem eſt ac *Bipatens*: hinc S. Ambroſius lib. 5. Hexamer. cap. 5. *Diptychum* vocat Conchylium marinum, quia in modum libri aperitur & clauditur: loquens enim de aſtutia Cancri marini, *explorat*, inquit, *ſi quan-*

quando oſtream remotis in locis ab omni vento contra Solis radios Diptychum illud ſuum aperiat, & reſeret clauſtra teſtarum. Sic etiam S. Auguſtinus lib. 15. cap. 1. contra Fauſtum, duas Tabulas Decalogi, *Diptychum lapideum* nominat. Symmachus quoque epiſt. 7. *offero igitur vobis eburneum Diptychum*, & Fortunatus lib. 10. Poëm. 10. de S. Martino.

Nomina veſtra legat Patriarchis atque Prophetis,
Cui hodie in Templo Diptychus edit ebur.

Demum Hieronymus Rubeus lib. 3. hiſtor. Ravennatis ad an. 515. Diptychum ſumit pro Caſula Sacerdotali: *quamquam*, inquit, *Eccleſiarum Diptycha putantur fuiſſe tabulæ ſacræ duæ, quarum in altera vivorum, in altera mortuorum Epiſcoporum, qui recitabatur in ſacrificio Miſſæ, nomina deſcribantur; non erit tamen fortaſſis abſonum opinari, fuiſſe etiam quandoque veſtem illam, qua ſupra ceteram induitur Sacerdos, quum Miſſam celebrat: Caſulam & Planetam appellant. In hanc ſententiam adducit me, tum quod ea ſit Veſtis duplex, anterius & poſterius ex humeris delabens; tum quod inter ſacras divorum Reliquias in Claſſenſi ſacrario hujuſmodi Veſtem repererim vel antiquitate venerabilem, in qua talia inſcripta ſunt nomina:* Sanctorum ſcilicet Angelorum Michaëlis, & Gabrielis, & Epiſcoporum Sigeberti, Andreæ, Conceſſi, Euprepii, Petronii, Zenonis, & aliorum, quæ brevitatis cauſa omiſimus.

IX. Tabulæ noſtræ Græco-Moſchæ referri quidem poſſunt ad primum genus Diptychorum: ab iis tamen differunt.

Ad primum Diptychorum Eccleſiaſticorum genus referri poſſunt Tabulæ noſtræ Græco-Moſchæ, eo ſcilicet quod Sanctorum nomina per ſingulos dies recolendorum in divinis Officiis exhibeant. Differunt tamen ab iis in eo, quod præter nomina, etiam Imagines Sanctorum repræſentant. Hinc Papebrochius de ſuis Ephemeridibus: *Ecce e Moſcovia adſunt Tabellæ ſacræ, non vivorum defunctorumque nominibus inſcriptæ, ſed Imaginibus Sanctorum pro uniuſcujuſque devotione diſtinctæ, eæque plicatiles, quas pro numero partium licebit etiam* Diptycha, *vel* Triptycha *appellare, donec aliunde doceamur, quæ ſit earum nuncupatio propria apud Græcos, quorum exemplo ipſas facere Moſchos credo. Interim ut commune omnibus nomen facerem, propiuſque earum uſum ac formam explicarem, novam iis appellationem condidi in titulo, &* Hagioptycha *ſcripſi.*

X. Græca Tabularum noſtrarum nomina.

Mihi ipſe non tantum tribuo, ut novam Tabulis noſtris Græcam appellationem imponam. Satis mihi eſt, ea uti voce, qua Joan-

Joannes Comnenus Tabulas illas Moſcoviticas noſtris ſimillimas deſignavit in hæc verba pag. 486. Εἶναι δὲ καὶ εἰς τὸν δεξιὸν χορὸν δώδεκα εἰκονίσματα Μοσκόβικα περιέχοντα τοὺς ἑορταζομένους ἁγίους ἑκάστου μηνός: *In dextro Choro ſunt duodecim Imagines Moſcoviticæ, quæ Sanctos ſingulis menſibus coli ſolitos referunt.* En Tabulæ illæ Moſcoviticæ noſtris ſimiles, vocantur Græce, εἰκονίσματα, *Effigies, Imagines, Figuræ*; a verbo. εἴκω *aſſimilor, ſum ſimilis*; unde εἰκὼν, όνος, *Imago, ſimilitudo*; *ſtatua, ſimulacrum, effigies*, & εἰκονίζω, *effingo, exprimo*, εἰκονισμὸς, *Effigies, imago*. Idem Comnenus *Picturam* ſolemnitatum Dominicarum & Sanctorum, quæ in Athonitico Chilantarii Monaſterio ſervatur, quæque omnino convenit cum noſtris Tabulis Græco Moſchis, Sanctos, & Dominicas feriaſque anni præcipuas repræſentantibus, pag. 472. εἰκόνες vocat: τὰ φωτιστικὰ τῆς ἐκκλησίας εἶναι κατασκευασμένα εἰς σχήματα καὶ εἰκόνας τῶν ἑορτῶν καὶ ἁγίων: *Eccleſiæ feneſtræ formas & Imagines ſolennitatum, & Sanctorum repræſentant.* Et pag. 492. *Picturam duodecim ſolemnitatum Dominicarum, quæ in Monaſterio Pauli extat*, ἱστορίαν *appellat*: Imagines autem tum Græcas, tum Moſcoviticas εἰκόνες & εἰκονίσματα: Sic enim ſcribit: ἔχει ἡ ἐκκλησία καὶ εἰκόνες πολλαῖς μοσκόβικαις τεχνικῶς καθωραϊσμέναις. ἐκεῖ εὑρίσκεται σταυρὸς ἀξιοθαύμαστος ἀργυροδιάχρυσος ὅλος, παρὰ τοῦ ἁγίου Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου πεποιημένος, μὲ ἱστορίαν παλαιοτάτην τῶν δώδεκα δεσποτικῶν ἑορτῶν. ἔχει δὲ καὶ γράμματα λατινικὰ εἰς τὰς ἐπιγραφὰς τῶν ἱστοριῶν κατὰ τοὺς παλαιοὺς χαρακτῆρας τῶν λογγιβάρδων καὶ γότθων. εἶναι καὶ ἕνα εἰκόνισμα μικρὸν μὲ ἱστορίαν ἀμίμητον εἰς τὴν τέχνην: *Habet Eccleſia Imagines multas Moſcoviticas eleganter ornatas. Illic habetur Crux admiranda argentea deaurata tota, a Conſtantino Magno facta, cum vetuſtiſſima Pictura duodecim ſolemnitatum Dominicarum, inſculpta literis Latinis, ad Picturarum inſcriptiones, antiquis characteribus Longobardicis & Gothicis. Eſt & alia Imago parva cum Pictura quoad artificium inimitabili.* Pictura illa, ut vides, duodecim ſolemnitatum Dominicarum, ex argento confecta erat, adeoque inſculpta, non coloribus penicillo depicta: vocatur tamen ἱστορία, non minus, quam altera coloribus expreſſa in Imagine parva, quæ dicitur ab Imperatore Theophilo Iconomacho in ignem conjecta, nec tamen combuſta. Utrobique Comnenus adhibet vocem ἱστορία, quam etiam vocem uſurpat, quum de muſivo opere loquitur pag. 464. Καὶ ἐπάνω

εἰκὼν, εἰκονισμὸς, & εἰκονίσματα, hoc eſt, Imagines.

Digitized by Google

νω εἰς τὰ δύο Κιόνια ὁπȣ̃ εἶναι πρὸς τὸ τέμπλον εἶναι ὁ εὐαγγελισμὸς τῆς Θεοτόκȣ ἱϛορισμένος διὰ μȣσίȣ, ἤτοι διὰ ψηφίδων χρυσῶν. *Et ſupra duas columnas, quæ Ciborium reſpiciunt, eſt Annunciatio Deiparæ muſivo, ideſt Calculis aureis, expreſſa.* Itaque Tabulæ hujuſmodi ſive Sanctos, ſive ſolemnitates Dominicas referentes, vocantur Græcis εἰκόνες, εἰκονισμοὶ, εἰκονίσματα; & pictura ipſa, ſive coloribus penicillo expreſſa, ſeu ſculpta & ſcalpta, hoc eſt, ebore, argento, aut ligno inciſa, dicitur ἱϛορία. Quæ autem Imago eſt coloribus picta ſeu inſculpta, Comneno nuncupatur ἱϛορισμένη, ζωγραφισμένη, & τυπωμένη, ſeu ἐντετυπωμένη: Sic enim ſcribit pag. 454. de Imaginibus Imperatorum in argento effictis. Εἶναι δὲ εἰς ἑκάτερα τὰ πλάγια τῶν εἰκόνων ὁ, τε Βασιλεὺς, καὶ ἡ Βασίλισσα αὐτȣ̃ ἐντετυπωμένοι μὲ ἀσίμι σκαπτόν. εἶναι καὶ ἄλλη τȣ̃ ἁγίȣ Ἀθανασίȣ τȣ̃ Ἀθωνίτȣ ἐγκαλλωπισμένη μὲ ἀσίμι ἀπὸ τὸν ἐκλαμπρότατον Αὐθέντην τῆς Οὐγγροβλαχίας Νεάγȣλον Βοεβόνδαν. Καὶ εἰς τὰ πλάγια εἶναι τυπωμένος μὲ τὴν δόμναν τȣ ἐπάνω εἰς ἀσίμι διὰ ἐνθύμησιν. *Ad latera Imaginum* (Chriſti, & Deiparæ) *ſunt Imperator* (Andronicus Palæologus) *& uxor ejus Imperatrix, in argento effícti. Eſt & alia Imago S. Athanaſii Athonitæ argento exornata a magnificentiſſimo Authente Ungaro-Ulachiæ Neagulo Voëvoda: ad cujus latera ipſe depictus eſt cum Conjuge ad rei memoriam.* At pag. 453. de depicto Refectorio Monaſterii S. Athanaſii in Monte Atho. Εἶναι δὲ τραπεζαρεῖον ἀντικρὺ εἰς τὴν μεγάλην πόρταν τῆς ἐκκλησίας πρὸς δυσμὰς μέγιϛον καὶ εὐρυχωρότατον, ὅλον ζωγραφισμένον ἔσωθεν μὲ ὡραιοτάτην ἱϛορίαν: *Eſt autem Refectorium e regione magni Eccleſiæ oſtii ad Occidentem, peramplum ſane & ſpatioſiſſimum, totum interius exteriuſque depictum jucundiſſima hiſtoria.* Pag. 466. Ἐπάνω δὲ εἰς τὴν πόρταν τȣ̃ νάρθηκος εἶναι ὁ δεσπότης Χριϛὸς ζωγραφισμένος διὰ ψηφίων, καὶ ὁ εὐαγγελισμὸς τῆς Θεοτόκȣ παραπλησίως. εἰς δὲ τὸν τοῖχον τȣ̃ νάρθηκος εἶναι καὶ μερικοὶ ἀπὸ τȣὺς Βασιλεῖς καὶ κτήτορας τȣ̃ μοναϛηρίȣ μετὰ μȣσίȣ ζωγραφισμένοι. ἔξω δὲ εἰς τὸν μικρὸν νάρθηκα πρὸς τὸ ἀριϛερὸν μέρος εἶναι ἱϛορισμένη καὶ ἐκείνη ἡ εἰκὼν τῆς Θεοτόκȣ, τὴν ὁποίαν ἕνας διάκονος θυμωθεὶς κατὰ τȣ̃ κελλαρίτȣ, πῶς δὲν τȣ̃ ἔδωσε κρασὶ διὰ νὰ πίῃ, ἐκτύπησεν ὡς ἀνόητος μὲ τὸ μαχαίριον εἰς τὸ δεξιὸν μάγȣλον, πλησίον τȣ̃ ὀφθαλμȣ̃. *Supra Narthecis portam eſt Dominus Chriſtus muſivo opere depictus, ſimiliterque Annunciatio Deiparæ. In muro Narthecis muſivo item opere delineati habentur Imperatores quidam*

Digitized by Google

dam hujuſce Monaſterii fundatores. Extrinſecus autem in parvo Narthece ad lævam depicta eſt illa Deiparæ Imago, quam Diaconus quidam in Cellerarium iratus, quod ſibi vinum non daret ad potandum, in genam dexteram proxime oculum gladio percuſſit inſanus. Demum pag. 480. ἔκαμε δὲ καὶ τὴν ἐκκλησίαν πλέον εὐρυχώρην παρὰ ὅπου ἦτον τὸ πρῶτον καὶ ὑψηλοτέρην. καὶ τὴν ἱστόρησεν ὅλην μὲ θαυμαστὴν ζωγραφίαν: *Eccleſiam extruxit latiorem ſublimioremque, quam antea erat, totamque picturis egregiis decoravit.*

Sed cur Comnenus, & Græci Moſchique, Tabulas hujuſmodi, quæ Sanctos & ſolemnitates repræſentant, nuſquam *Diptychorum* nomine dignantur? An quia Diptycha apud ipſos nonniſi in ſenſu Liturgico ſumuntur? hoc eſt, pro eo Codice, in quo nomina Vivorum & Defunctorum ſunt inſcripta, quæ ad ſacrum Altare recitantur. An vero, quia priſca origine videntur Diptycha fuiſſe bina folia, ut obſervarunt bene multi, plerumque eburnea, quæ muneris loco mittebantur, tametſi uſu Eccleſiaſtico ad alium ſenſum, ut modo dicebam, ſint traducta? Montfauconius in Palæographia Græca pag. 34. recte quidem monet, fuiſſe Diptycha *duo operimenta, quorum aliud ſubſternebatur, aliud ſuperponebatur: atque adeo hoc libri genus ab operimento nomen habuiſſe* δίπτυχον, *ideſt, duæ plicæ; nimirum operimenti tantum, licet plurima folia intus eſſent, eaque ratione* πολύπτυχον *dici poſſet*; nullum tamen Græcorum Scriptorum teſtimonium afferre potuit, ut oſtenderet, Figuratas Sanctorum & ſolemnitatum Dominicarum Tabulas etiam Diptychorum nomine a Græcis vocatas fuiſſe. Hinc de ſua Tabula optime ſcribit Joſephus Rocchus Vulpius eam de genere quidem Diptychorum vocans, quod a Diptychis originem trahat; a Diptychis tamen diverſam. *Jam vero Tabulam ad hanc noſtram Græco-Palæſtinam quod attinet, illam ex Diptychorum genere eſſe dixi. Fuere autem Diptycha, quod græce eruditi ſciunt omnes, parvæ Tabellæ duplices, ſive Bipatentes; unde nomen illis apud Græcos factum, in quibus ſacri Antiſtitis Civitatis cujuſque nomen primo deſcribi ſolitum fuit, ut publice inter Sacrificii ſolemnia apud populum enunciaretur, quo preces pro illius incolumitate communiter Deo Optimo Maximo offerrentur: quemadmodum & hodie Græci Latinique quamvis hi ſecreto, illi exclamantes, conſuevere. Porro & vita functi deinde ſacri iidem Antiſtites, qui præcipue virtutum fama, ac rebus*

XI. Non tamen Diptychorum nomine a Græcis appellantur.

rebus pie ſanƈteque geſtis inclaruiſſent, ſacras haſce in Tabellas nomine referri cœpere. Nomini deſcripto acceſſere nonnumquam Imagines exiguæ penicillo repræſentatæ. Mox, creſcente in dies Sanƈtorum Virorum numero, in eoſque Chriſtianorum cultu, ſeries in ſingulos anni menſes per dies ſtatos diſtributa, alia tamen regionibus aliis, ex parte ſaltem, confici cœpit: quæ tum Sacerdotum ad aram facientium, dum adſtantis populi oculis ſubjiceretur, Tabulis eleganter pro regionum more depiƈtis conſignata, quæ ſingulorum & nomina, & facies oſtenderet. Jamque Tabulæ hujuſmodi diverſæ omnimode a Diptychis illis primis fuerunt. Ab illis tamen exordium ſuique originem accepere. Quare merito Tabulam hanc noſtram Græco-Palæſtinam e Diptychorum genere fuiſſe pronunciavi; non quidem proprie e Diptychis unum. Hæc ille: erudite quidem quoad originem Tabularum hujuſmodi effigiatarum; non tamen vere, quoad appellationem Tabulæ ſuæ Græco-Palæſtinæ: non enim illa fuit in Palæſtina, ut ipſe putat, elaborata; ſed in Monte Atho, ut ex diƈtis patet, & nos ſuo loco manifeſtius oſtendemus.

XII. Kalendarium Sanƈtorum a Græcis vocatur Μηνολόγιον hoc eſt *Menologiũ*: quod a *Menæis* eſt diverſum.

Haƈtenus de Græcis Tabularum piƈtarum nominibus. Quæ autem Sanƈtorum & Solemnitatum nomina per anni circulum non piƈta, neque ſculpta, ſed calamo deſcripta continent Kalendaria, ea vocantur Græce Μηνολόγιον, ideſt, *libellus*, in quo per ſingulos menſes Sanƈtorum nomina recenſentur: Sic in impreſſis & manu exaratis Codicibus, Μηνολόγιον τȣ̃ ὅλȣ ἐνιαυτȣ̃, *Menologium totius anni*, initio, ut Græci, ſolent, a menſe Septembris duƈto. Cangius in Gloſſario mediæ & infimæ Græcitatis non in hoc ſenſu accipit Græcorum *Menologium*, ſed pro libro Martyrologii Romani ſimili, in quo præter nomina, etiam Sanƈtorum vitæ continentur. Sic enim primum de Menæis ſcribit. Μηναῖα, *Menæa, dicuntur volumina cujuſque diei & cujuſque ſanƈti officia continentia, in duodecim menſes diſpertita, in quibus deſcribuntur præterea eorumdem Sanƈtorum, quorum feſtum agitur, Vitæ aut Martyrii compendia, quæ* Συναξάρια *vocant. Quæ quidem Menæa in tot volumina, quot ſunt menſes, diſtribuuntur.* Deinde de Menologio. Μηνολόγιον, *liber Eccleſiaſticus Græcorum, qui Latinis vulgo* Martyrologium *dicitur, in quo Sanƈtorum vitæ quolibet die per totum annum ſummatim exponuntur, vel certe, nomina recitantur, ex quo non ſemel quæ ibi habentur in* μηναῖα *referuntur.* Et profert exempla Menologiorum. *Ejuſmodi ſunt,* in-

inquit, *Menologium ex Verſione Cardinalis Sirleti editum Tom. 5. antiquar. Lectionum Caniſii*: Μηνολόγιον, *Baſilio Porphyrogenito Bulgaroctono imperante, ejuſque juſſu exaratum, quod aſſervatur in Bibliotheca Vaticana, unde excerpta ſunt quæ deſcribuntur in Actis Sanctorum Bollandianis, & de quo copioſe egit Allatius in diſſert. 1. de libr. Eccl. Græcorum pag. 83. 84. 85. 86. Denique Menologium ex Menæis Græcorum erutum, & in linguam Vernaculam verſum a Maximo Margunio Cytherorum Epiſcopo, Venetiis ab Antonio Pinello an.* 1529. *in 4. editum*. Eadem de Menæis & Menologiis habet lib. 4. de Canonizatione Sanctorum part. 2. cap. 19. num. 26. Sanctiſſimus Dominus Noſter Benedictus XIV. *Nonnulli*, inquit, *confundunt Menæa cum Menologiis. At Menæa continent ſingulis diebus officia unius, vel plurium Sanctorum, quorum ſolemnitas eo die celebratur; Menologia vero continent Sanctorum vitas quolibet die per totum annum ſummatim expoſitas, vel quorum vitæ non habentur, commemorationem. Menologia autem hæc reſpondent Martyrologiis Latinorum, uti obſervant Leo Allatius de libris Eccleſiæ Græcæ num. 11. & poſt eum & alios plurimos ſcripſit Joannes Franciſcus Buddæus in Iſogoge Hiſtorico-Theologica tom. 2. pag.* 804. Non inficior a Græcis *Menologium* vocari, tam *Sirletanum*, quam *Baſilianum*, & *Margunianum*; in quibus Sanctorum vitæ quolibet die per duodecim anni menſes, ſummatim exponuntur. At *Menologium* illud, quod in fine *Horologii* Græcorum, & in manuſcriptis Evangeliorum ſeu Lectionum Evangelicarum per anni circulum Codicibus apponi ſolet, longe diverſum eſt a Menologiis Sirletano, Baſiliano, & Marguniano: in eo quippe non vitæ, ſed nomina tantum Sanctorum per totum annum recenſentur. Utrumque Menologii genus complexus eſt Cangius his verbis: *Liber*, inquit, *Sanctorum vitæ quolibet die per totum annum ſummatim exponuntur, vel certe nomina recitantur, ex quo non ſemel quæ ibi habentur in* Μηναῖα *referuntur*. Referuntur quidem in *Menæa*, non ſolum vitæ Sanctorum ex Menologiis Sirletano, & Baſiliano deſumtæ, aut certe a Nicephoro Xanthopulo Synaxariorum auctore, adinſtar Sirletani & Baſiliani Menologii compoſitæ; ſed etiam nuda Sanctorum nomina, quæ ſunt unicuique menſium diei præmiſſa.

Hæc nomina Kalendariis Romanis reſpondent, ſive iis quæ apud Ethnicos olim in uſu fuerant, ſive quæ poſtea Chriſtiana Religio nominibus Sanctorum ſacravit. Primi generis Kalendaria

XIII. Kalendaria Romana Ethnicæ vetuſtatis, cum marmorea,

ria

ria ſatis vetuſta profert cl. Joannes Georgius Grævius, Theſauri Antiquitatum Romanarum Volumine VIII., in quo ad Lectorem ſic præfatus: *Habet antiqua Romanorum Kalendaria, & primum quidem Urbanum Auguſti temporibus marmori inciſum, quod in ædibus Maſſejorum ad Agrippinum Romæ videbatur, in quod extant notæ Ariæ Montani, & Petri Ciaconii Toletani, Viri eruditiſſimi, quem Arias Thraconium nominat. Dein Kalendarium Ruſticum, quod itidem ex Romæ ruderibus erutum extabat in Bibliotheca Farneſiana. Id notis illuſtravit Fulvius Urſinus. Sequitur Kalendarii veteris fragmentum marmoreum, quod viſebatur in ædibus Capranicorum, & aliud fruſtum quod poſſidebat Fulvius Urſinus.* Hæc de marmoribus Grævius. Sibrandus Siccama Commentario in Faſtos Kalendares Romanorum, cap. 1. laudat alia marmorea Fragmenta, quorum primum, inquit, inter antiqua rudera ſub colle Hortulorum, ſive ſub Monte SS. Trinitatis, Romæ erutum, continet particulas menſis Julii, Auguſti, Septembris, Octobris. Alterum fragmentum, item Romæ in Exquiliis ad Sanctæ Martinæ effoſſum fuit, continens fragmenta menſis Maji & Junii. Tertium fragmentum Præneſte effoſum eſt, cujus unicum tantum Feſtum ſupereſt. Quarta Feſtorum ſive Kalendariorum Tabula marmorea, pene integra, paucorum dierum defectu in Novembri & Decembri deformata, quam ipſe Siccama ſupplevit, ad Forum Romanum effoſſa eſt, & ut ex Feſtis, Feriiſque patet, antiqua admodum, & non multo poſt Auguſti ævum inciſa, quia præter Cæſaris Auguſtique ſacra, nullis ſequentium Principum honoribus eſt occupata, ſoliſque Deorum ſacrificiis ornata. Quem venerandæ antiquitatis theſaurum (ut idem Siccama ſubjungit) debemus immortali memoriæ Benedicti Hegis Spoletini, & Pauli Manutii, quorum alter inter tabida marmorum oſſa ſepultam in lucem reſtituit, alter brevi commentariolo, quod Faſtos judiciarioſque dies illuſtravit, ita tamen ut in ipſo corpore nævos aliquot reliquerit, in quibus ſanandis illuſtria ingenia ſeſe exercerent. Idem vero Siccama non ſolum nævis illis medicinam quæſivit, verum Faſtos ipſos multis Feſtis ſacriſque, quæ aut longæva vetuſtas exedit, aut primitus adſculpta non fuerunt, ornavit ex veterum ſcriptis, antiquis marmoribus, nummis, aliiſque priſcis monimentis, perque ſingulos menſes a cap. 7. ad 18. perpetuis commentariis illuſtravit.

XIV. Tum membranacea.

Hactenus Kalendaria Veterum Romanorum marmorea. Sequun-

quuntur Membranacea, quæ in libris antiquis ſervantur. Horum primum eſt vetus Kalendarium, quod in Codicibus antiquis præfigitur Faſtis Ovidii; ſex priores menſes complectens a Jannario ad Junium: reliqui enim ſex menſes, ut in Ovidio, ſic & in libro ſuo deſiderantur, ex quo cl. Grævius Volum. 8. Antiq. Roman. Variantes Lectiones edidit. Alterum vetus Kalendarium Romanum, quod ex vetuſtiſſima membrana Heribertus Roſweidus deſcripſit, notiſque Ægidius Bucherius Atrebas, Vir doctiſſimus, Societatis Jeſu, in commentario ad Victorii Aquitani Canonem Paſchalem illuſtravit, circa tempora Conſtantii Imperatoris, Conſtantini Magni filii, exaratum eſt a quodam Furio Dionyſio Filocalo, dicatumque Valentino, qui ex Primicerio Protectorum Tribunus, & ex Tribuno Dux Illyrici ſub Conſtantio Imperatore fuit, quemadmodum ex pictura primi folii conſtat, ubi hæc leguntur: *Valentine floreas in Deo: Valentine lege feliciter. Valentine vivas, floreas. Valentine vivas, gaudeas. Furius Dionyſius Filocalus titulavit*. Membranaceus vero Codex fuit Joannis Brenneri, qui Regio Senatui Luxemburgenſi fuerat olim a ſecretis & actis, quem donaverat Afionvillio Regi Hiſpaniarum Bruxellis a privatis conſiliis. Ei præfigebantur Imagines menſium cum tetraſtichis Auſonii: ſed in illo deſiderabantur quinque menſes, Januarius, Aprilis, Majus, Junius, Julius. Sic & in ipſo Kalendario deerant quatuor menſes, Martius, Aprilis, Majus, Junius. Quæ omnia ex antiquiſſimo Codice Bibliothecæ Cæſareæ ſupplevit Vir clariſſimus Petrus Lambecius in Bibliotheca Cæſarea tom. 4. Additamento 1. a pag. 275. ubi de præſtantiſſimo illo Codice hæc habet: *Hic igitur eximius Codex manuſcriptus, quem ille ibi* (ideſt Bucherius in doctiſſimo de Doctrina temporum Commentario in Victorium Aquitanum, alioſque antiquos Canonum Paſchalium Scriptores, ex Officina Plantiniana Balthaſaris Moreti Antuerpiæ anno 1634. edito, cap. 14. & 15.) *tantopere laudat & deſiderat, ſed fere tamquam perditum deplorat, ſupereſt etiamnum in Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi æque integer, ut ipſe Cuſpinianus olim eo uſus eſt, obtinetque inter Codices manuſcriptos hiſtoricos Latinos locum quinquageſimum ſextum*. Idem Lambecius de ejuſdem præclari Codicis poſſeſſoribus ſubjungit hanc notam: *Ejuſdem Codicis manuſcripti ante Joannem Cuſpinianum poſſeſſor fuit Joannes Fuſchmagius J. U. D. & Imperatoris Maximiliani Primi Conſiliarius, ut ipſe propria manu ibi te-*

ſtatur in principio. Poſt Cuſpiniani autem obitum, quam idem ille præſtantiſſimus Codex a reliqua ipſius Bibliotheca, qua neſcio ratione, avulſus eſſet, emit eundem Joannes Faber Epiſcopus Vindobonenſis ſive Viennenſis, quo anno Chriſti 1541. mortuo, pervenit idem Codex cum aliis multis præſtantiſſimis Codicibus manuſcriptis, quos jam memoratus Epiſcopus magno ſtudio & ſumptu collegerat, in Auguſtiſſimam Bibliothecam Cæſaream. Hoc Kalendarium publicarat ante Bucherium, ſed ſine menſium Imaginibus, Joannes Georgius Herwart ab Hochenburg, Sereniſſimi Electoris Bavarici Cancellarius, aliis quoque ſcriptis celebris, quod & ſuo Uranologio inſeruit Dionyſius Petavius. Id non vidiſſe Bucherium miratur Grævius, ſed ſuum mutilum pro inedito venditaſſe. Cauſam hanc fuiſſe exiſtimo, quia nimirum Bucherius Kalendarium illud voluit una cum Imaginibus & tetraſtichis Auſonii evulgare, idque ex vetuſtiſſimo illo Codice, de quo ipſe hæc habet. *Quintum & ultimum opuſculum erat vetus Kalendarium, tametſi quatuor menſibus mutilum, cum præcipuorum meliorumque Cæſarum natalibus, non ultra eundem Conſtantium Auguſtum, in cujus conſulatu ſeptimo priorum Conſulum ſeriem concluſerat; quem proinde, ceu ſuperſtitem, Dominum vocat, quum alios Imperatores jam mortuos, Divos appellet:* ac proinde ex mente Bucherii, ſcriptum fuerit hoc Kalendarium, oportet, anno Chr. 354. in quem ſeptimus Conſtantini Auguſti Conſulatus incidit. An vero hæc cl. Bucherii conjectura uſquequaque probanda ſit, nolim in dubium revocare: ita enim ſentiunt docti Viri Grævius, Lambecius, alii: & colligi videtur ex eo, quod poſtremo inter Imperatores loco appellatur *Conſtantius*: item ad Conſtantium uſque producuntur tria priora opuſcula, quæ ex eodem vetuſto Codice in lucem emiſit Bucherius; de quibus mox ſermo erit. Cæterum in hoc ipſo Kalendario, quod Grævius & Lambecius publici juris fecerunt, eodem prorſus modo natalis *Conſtantii* ad VII. Auguſti deſcribitur, ac aliorum Imperatorum. Sic enim legitur: *N. Conſtantii C͞M. XXIIII.* ideſt, *Natalis Conſtantii. Congiarium XXIV.* At vero antecedentium Imperatorum Natalis dupliciter ſignatur, aut ſolo nomine expreſſo, ſic xx. Jan. *N. Gordiani C͞M. XXIIII.* 26. *April. N. M. Antonini.* 10. Maji: *N. Claudii.* 19. Auguſti *N. Probi.* 8. Septembr. *N. Aureliani.* 18. Septembr. *N. Trajani.* 1. Octobr. *N. Alexandri.* 8. Novembr., *N. Nervæ*, & *Conſtantii C͞M. XLVIII.* (duplicatur enim Congiarium): 17. Novembr.

Digitized by Google

vembr. *N. Veſpaſiani*. Aut præfixo *Divi* titulo, ſic 24. Januar. *N. D. Hadriani*. 27. Febr. *N. D. Conſtantini*. 31. Mart. *N. D. Conſtantini*. 10. Apr. *N. Divi Severi*. 25. Jul. *N. D. Conſtantini*. 1. Aug. *N. Divi Pertinacis*. 23. Sept. *N. D. Auguſti*. 15. Decembr. *N. Divi Veri*. 30. ejuſdem, *N. D. Titi*. Lambecius tamen pag. 295. notat, in Codice Bucheriano, natalem Conſtantii aliter ſignari: *Per N. Conſtantii*, inquit, *ſignificatur Natalis Imperatoris Conſtantii, filii Imperatoris Conſtantini Magni, ideoque in Codice manuſcripto, quo R. P. Bucherius uſus eſt, ſcriptum fuit*, Natalis D. N. Conſtantii, *hoc eſt*, *Natalis Domini Noſtri Conſtantii, nempe tamquam de Imperatore adhuc vivente*. Atqui Codex ille, quo uſus eſt Bucherius, non alius ab eo fuit, quem Cuſpinianus adhibuit, adeoque unus idemque cum eo, quem Lambecius integrum edidit, uti ſupra idem Lambecius pag. 275. affirmat: in quo tamen Codice, non, *N. D. N. Conſtantii*, ſed ſimpliciter, *N. Conſtantii* legitur. Sed ad Kalendaria Romana membranacea redeo.

Tertium vetus Kalendarium, quod laudatus Bucherius e vetuſtiſſima eadem membrana exſcriptum edidit, opuſculum exhibet ſola Conſulum nomina cum annuis Kalendarum Januariarum Feriis, nomine Planetarum expreſſis, Epactis, anniſque Biſſextilibus, a Conſulibus Antonino II. & Geta, ſeu anno Chriſti vulgari 205. uſque ad Conſtantium Auguſtum VII. & Conſtantium Cæſarem III., ideſt, annum Chriſti 354. mox tamen rurſum poſteriora Conſulum collegia 43. repræſentat, additis aliis 57. ita ut Laterculum centum annorum expleat, a ſecundo nimirum Conſtantini Liciniique Conſulatu ſeu anno Chriſti 312. uſque ad annum 411.

Quartum Kalendarium ab eodem Bucherio ex iiſdem ſchedis erutum, Præfectus Urbis Romæ exhibet cum ſolis rurſum Conſulum nominibus, a Gallieni Imp. temporibus & anno Chriſti 254. uſque ad annum 354. quo Conſules item notantur Conſtantius Auguſtus VII. & Conſtantius Cæſar III. Hoc opus Cuſpinianus & Panvinius Libellum de Præfectis Urbis vocant, & in Faſtos totum transferunt. De duobus hiſce poſtremis Kalendariis hæc Lambecius lib. 4. pag. 275. ubi de Codice manuſcripto Cæſareo 56. loquitur. *Nec ea ſolum, quæ a R. P. Bucherio ſupra enumerantur, verum etiam alia quædam egregia monumenta complectitur, quæ ad ipſius notitiam non pervenerunt, ſed diligenter*

genter & accurate a me recenſebuntur, ſi Deus vitam & vires mihi conceſſerit, ut in continuatione hujus Catalogi uſque ad Codices manuſcriptos hiſtoricos Latinos perveniam. Tunc quoque Faſtos illos Conſulares, a Cuſpiniano tam frequenter citatos, & a Bucherio tam vehementer laudatos, publicabo integros, & quantum obiter fieri poterit, neceſſariis Annotationibus illuſtrabo. Fidem datam præſtantiſſimus Lambecius, morte præventus, liberare nequivit.

XV. Alia Kalendaria Romana recentiora.

His quatuor antiquis ethnicæ vetuſtatis Romanis Kalendariis, alia recentiora ſubjunguntur a noſtrorum fere temporum hominibus concinnata: quorum primum edidit Thomas Dempſterus, alterum Dionyſius Petavius, tertium Joannes Ruſſius. Ruſſiani Kalendarii meminit Lambecius in notis ad Kalendarium Cæſareum lib. 4. pag. 293. ad menſem Majum, num. 5. *In Joannis*, inquit, *Ruſſii Kalendario Romano ethnicæ vetuſtatis ex variis antiquis Kalendariis & Auctoribus collecto, & Sangalli typis Leonardi Straub anno* 1584. *in quarto edito, pro, Macellus Roſo ſumat, perperam legitur, Marcellus Roſa fumat*. Alios ejuſdem Ruſſii errores notat pag. 294. ad menſem Junium num. 5. & pag. 296. ad menſem Auguſtum num. 4. Thomæ autem Dempſteri Kalendarium prodiit apud Grævium volum. 8. Roman. Antiq. pag. 116. hoc titulo: *Thomæ Dempſteri Kalendarium Romanum, in quo præter ortum & occaſum ſignorum cæleſtium, quæ in ſex libris Faſtorum notantur, Ludi item & Dedicationes templorum Romanorum & Græcorum per ſeriem integri anni habentur*. Idem Grævius volum. cit. Demſtero ſubnectit Kalendarium Petavii pag. 125. hoc titulo prænotatum: *Dionyſii Petavii Kalendarium Vetus Romanum, cum ortu occaſuque Stellarum, ex Ovidii Faſtis, Columella lib.* XI. *cap.* 2. *Plinio lib.* 18. *cap.* 26. 27. 28. 29. & 30. *His addi poteſt* Hadriani Junii Faſtorum liber, *ſive* Hemerologion *rerum memorabilium quolibet anni die actarum*: quem librum idem Grævius publicavit in cit. vol. 8. a pag. 229.

XVI. Antiqua & recentia Romana Chriſtianorum Kalendaria.

Satis de profanis Kalendariis. Quæ vero ſunt a Chriſtianis uſurpata, quis enumerare queat? nam ſingulis fere Codicibus Biblicis, nec non Miſſalibus, Pſalteriis, præfigi ſolent ſua Sanctorum Kalendaria, de quibus ſuo loco erit ſermo. Interim pauca hic recenſebo, quæ a vetuſtate commendantur. Duo Kalendaria ſatis Vetuſta Actis Martyrum ſubjunxit Cl. Theodoricus Ruinartius. Primum, quod Eccleſiæ Romanæ uſui fuit, jam olim ab

ab Ægidio Bucherio editum, Liberii Papæ tempore, ideſt, circa ſeculi quarti medium, concinnatum: de quo hæc Bucherius loc. ſupra cit. ubi de manuſcripto Codice Cuſpiniani loquitur: *Tertium opuſculum erat parvi inſtar Martyrologii, quo dies depoſitionis ſeu mortis, primo quorumdam Pontificum Romanorum, quos, paucis forte demptis, Auctor videre potuit, tum nonnullorum etiam Martyrum, annotabantur*. Pergit idem Bucherius de alio opuſculo, quod æque ac tertium, ad Kalendarii genus referri poteſt. *Quartum*, inquiens, *opuſculum erat brevis Romanorum Pontificum Catalogus a S. Petro ad Liberium, Romæ ſub eodem Conſtantio Auguſto Epiſcopum, quo quibus illi Conſulibus inierint, quibus exceſſerint, compendio referebatur*. Alterum Eccleſiæ Carthaginienſis Kalendarium, quod ex veteribus membranis pene corroſis Monaſterii Cluniacenſis erutum, edidit Sacræ Antiquitatis ſtudioſiſſimus Mabillonius Analectorum Veterum tom. 3. Alia Kalendaria alii evulgarunt. Bollandus in Præfatione ad Tomum primum Actorum Sanctorum pag. XLIV. profert *Laterculum Polemii Silvii*, anno Chriſti 448. ſcriptum, in quo præter Solemnitates profanas, Martyrum etiam aliquot nomina, & paucæ aliæ ſacræ feſtivitates exhibentur. Muratorius in præclaro opere, cui titulus, *Scriptores Rerum Italicarum*, tria in lucem producit ſacra Kalendaria: nimirum *Mutinenſe*, tom. 2. Par. 1. pag. 216. *Mediolanenſe*, tom. 1. par. 2. pag. 235. & tom. 2. par. 2. pag. 1027. & *Sitonianum* tom. 2. par. 2. pag. 1035. Genebrardus ante Commentarium in Pſalmos, Kalendario Sanctorum Latino, hiſtoricorum teſtimoniis illuſtrato, Hebræum, Græcum, & Syriacum præpoſuit anno 1581.

XVII. Kalendarium Neapolitanum Latinum marmoreum.

Poſtremo, ut Græca, Syriaca, Armenica, Coptica, Æthiopica, Sanctorum Kalendaria omittam, quæ ſunt ab aliis edita, nobiſque ſuo loco fuſius expendenda; ut etiam ſileam de Latinis vetuſtiſſimis Kalendariis, quæ in Codicibus Vaticanis, Palatinis, Alexandrinis, Otthobonianis extant, a nobis quoque tum recitanda, quum iſti de Kalendariis operi extremam manum admovebimus: ut, inquam, hæc omnia miſſa faciam, præ omnibus quotquot hactenus deſcripta ſunt e membranis, illud Kalendarium Latinum mihi excellere videtur, quod nuper anno Chriſti 1742. Neapoli repertum eſt non in membranis, ſed in marmore ſcalptum: quo de Kalendario Commentarii eruditi prodiere, primum quidem Clariſſimi Viri Alexii Symmachi Mazochii

chii Neapolitanæ Eccleſiæ Canonici, & Regii Sacræ Scripturæ Interpretis, Neapoli 1744. deinde P. D. Ludovici Sabbatini de Amfora Presbyteri Congregationis Piorum Operariorum eadem in Urbe, eodemque anno. Doctiſſimi ipſius Mazochii verba de pretioſo illo ſacræ Antiquitatis Cimelio juvat deſcribere. *Inter antiquas*, inquit, *Neapolitanæ Urbis Baſilicas poſt Cathedralem facile nunc principem locum obtinet Abbatialis Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ, vulgo S. Joannis Majoris, a Vincentio Epiſcopo fundata olim medio* VI. *ſeculo; quam & inſigne Canonicorum Collegium illuſtriorem reddit. In ejus Baſilicæ latere, quod Septemtriones ſpectat, duo prægrandia marmora, longa ſingula palmos Neapolitanos (quorum ternideni fide doctiſſimi Architecti Donati Gallarani pedes Romanos decem æquant:)* XXIII., *alta* III. *cum quadrante, craſſa unum, parieti affixa erant ex utroque portæ latere in longum porrecta, ita ut unum ab altero lateralis ea Templi janua media dirimeret. Et ea quidem ante hominum memoriam ſic adhærebant parietibus, nulla ut ſubeſſet ſuſpicio de literis, quibus interior eorum facies, qua muro applicabatur, perſcripta erat: quumque dorſum, quod ſpectantibus adiiciebant, variis fabuloſorum animalium & ſtirpium formis pro ætatis illius ingenio inſculptum eſſet; facile quivis credidiſſet, eam non pro poſtica, ſed pro antica & primaria ſaxorum illorum parte haberi debere. Interea temporis Joſepho Mariæ Purpuræ ejuſdem Eccleſiæ Canonico & Curioni (hoc ipſo anno* 1744. *non ſine ſanctioris vitæ opinione demortuo) ea cura ſubiit, ut ea duo marmora, quæ ad frontis quidem ornatum nihil facerent, ac Baſilicæ operibus deſervitum viderentur, inde divelleret; quod & menſe Aprili anni* 1742. *factum fuit. Quæ ut literis certiſſimis a capite ad calcem exarata eſſe, compertum fuit; res tota per Scipionem Chriſtophorum ſacræ antiquitatis ſtudioſiſſimum ad Eminentiſſimum Archiepiſcopum Joſephum Cardinalem Spinellum defertur. Is agnito monumenti pretio (quippe quod integrum Eccleſiæ Neapolitanæ vetus Kalendarium complectitur: nec aliud uſquam, quod ſciam, exſtet marmoreum Kalendarium Eccleſiaſticum, quum interim profana Kalendaria plura aſſerventur) aſportari in ſuas ædes ea duo ſaxa, & ante omnia de Faſtorum ætate decerni juſſit. Itum eſt in diverſas ſententias. Cur autem eos Faſtos poſt octingenteſimum Chriſti annum, ac medio fere nono ſeculo ſcalptos fuiſſe ipſe cenſuerim, cauſas plures idoneas habeo.* Et poſt paulo.

Ac

Ac tantum quidem Cimelium Eminentiſſimus Cardinalis, ubi ex orci faucibus eripuiſſet, in vetus ædium ſuarum Sacellum tranſtulit: quo in Sacello nunc Sacra Theologia Clero Neapolitano univerſo exponitur. Ejus igitur Scholæ parietibus ea duo marmora ex utroque latere affixit. Et infra. *Poſtremo & utrumque Marmor in æs incidi juſſit: & id mihi negotii dedit, ut eos Faſtos quo poſſem Commentario inſtruerem.* Hactenus Mazochius, *vir* (ut verbis utar Cl. Pii Thomæ Milante Stabienſis Epiſcopi, in Auctar. ad Bibl. Sixti Senenſis in poſteriori Elencho pag. 529.) *nedum politioris literaturæ, ſelectioriſque Latinitatis, ſed rei antiquariæ, & Græcæ, Hebraicæ, ac Chaldaicæ linguarum peritiſſimus.*

XVIII. Tabulæ marmoreæ Kalendarium Eccleſiaſticum referentes.

Præclaro huic Neapolitano Kalendario, quod ſumma cum voluptate hoc anno 1749. menſe Majo propriis oculis conſpexi, cumque typis impreſſo diligenter contuli, proxime accedunt Tabulæ marmoreæ, quæ in nonnullis Urbanis Eccleſiis viſuntur, ſive Kalendaria integra, ſive nomina Sanctorum dumtaxat, qui ibi coluntur, referentes. Pauca e multis deſcribam. Primum laudat P. D. Conſtantinus Cajetanus, Abbas Ordinis S. Benedicti, vir in exſcribendis colligendiſque ſacris antiquitatibus celeberrimus, cujus miſcellanea ſacra & profana, Tomis duodeviginti comprehenſa, in Romani Archigymnaſii Bibliotheca ſervantur. Hic igitur Tom. 1. ſacror. miſcellaneorum fol. 514. deſcribit *Kalendarium Eccleſiaſticum, quod olim exſtabat in ruinoſo muro Monaſterii S. Mariæ in Monte Aventino.* Initium a menſe Januario, ſic: „ Kalendis. Circumciſio. VIII. Idus, Epiphania „ Domini. VII. Idus. S. Iſidori „. Deſinit in menſe Julio, II. *Idus*. De eodem Kalendario hæc idem Cajetanus fol. 516. „ Ve„ tuſtiſſimum Kalendarium Eccleſiaſticum, quod characteribus „ vix adhuc conſpicuis, plurimiſque deletis, temporum ſuper„ ſtes injuriis, conſpicitur in Hortorum veſtibulo S. Mariæ Prio„ ratus de Urbe, in monte Aventino.

Alterum non minus vetuſtum exhibet cl. Joannes Vignolius, Bibliothecæ noſtræ olim ſecundus Cuſtos, in *Libro Pontificali*, ſeu de geſtis Romanorum Pontificum, quem cum Codicibus manuſcriptis Vaticanis aliiſque ſummo ſtudio & labore collatum edidit *Romæ typis Rocchi Bernabò anno* 1724. ubi poſt indicem Codicum manuſcriptorum, quibus in præſtantiſſimo illo opere uſus eſt, ſic illud deſcribit. „ Antiqua Tabula marmorea

„ ſub porticu Eccleſiæ S. Silveſtri in Capite, Sanctorum aliquot, „ Romanorum præſertim Pontificum, dies natales exhibens „. Nomina menſium, dierum, & Sanctorum, uti in ipſa marmorea Tabula deſcripta ſunt, ſuo loco dabimus. Nunc, uti legenda ſunt, exponimus.

In nomine Domini. Hæc eſt notitia natalitiorum Sanctorum hic requieſcentium.

Menſe Januario, die III. *Natale Sancti Antheri Papæ. die* X. *menſis ſupraſcripti, Nat. S. Miltiadis Papæ.*

Menſe Februario, die XI. *Nat. Sanctorum Caloceri & Parthenii.*

Menſe Martio, die II. *Nat. S. Lucii Papæ. die* VIII. *menſis ſupraſcripti, Natale Sanctorum, quorum nomina Deus ſcit. Die* XVIII. *menſis ſupraſcripti. Nat. Sancti Pymenii Presbyteri & Martyris. Die* XIX. *menſis ſupr. Nat. Sanctorum Chryſanthi & Thraſonis. Die* XXIV. *menſis ſupr. Nat. Sancti Quirini Martyris.*

Menſe Aprili, die XXII. *Nat. Sancti Gaii Papæ. Die* XXV. *menſis ſupr. Nat. S. Militi Martyris.*

Menſe Majo, die XII. *Natale Sanctorum Trofimi & Caloceri.*

Menſe Julio, die XXVI. *Nat. Sanctorum Zefirini Papæ, & Tarſicii Martyris.*

Menſe Auguſto, die VIII. *Nat. Sanctorum Quiriaci, Largi, & Smaragdi Martyrum. Die* XIII. *menſis ſupraſcripti, Nat. S. Yppoliti.*

Menſe Septembrio, die X. *Nat. Sancti Gorgonii & aliorum, quorum nomina Deus ſcit. Die* XX. *menſis ſupraſcripti Sancti Januarii. Die* XXI. *Natale Sanctorum Pamfili, & Pauli Mitis.*

Manſe Octobris, die IX. *Natale Sanctorum multorum Martyrum. Die* XIII. *menſis ſupraſcr. Natale SS. Projecti, & Seberi.*

Menſe Novembri, die XXVII. *Natale Sancti Optati, & Polychami. Die* XI. *menſis ſupraſcr. Natale Sanctorum Viginti quinque.*

Menſe Decembri, die XXVII. *Natale Sancti Dionyſii Papæ. Die* XXIX. *menſis ſupraſcripti natale Sancti Nemeſii Diaconi.*

XIX. Kalendarium Romanum in pariete pictum.

At vero Tabulis noſtris Capponianis Græco-Moſchis, tamquam ovum ovo, quamſimillimum eſt pervetuſtum illud Romanum

num Kalendarium, quod in Clauſtro *S. Anaſtaſii ad Guttam jugiter manantem*, ſive *ad tres Fontes*, ubi Bernardus olim, poſtea Summus Pontifex Eugenii III. nomine, Abbas fuit, in pariete depictum eſt, de quo Mabillonius tom. I. Muſei Italici pag. 142. hæc habet. *In eodem Clauſtro Kalendarium Feſtorum, quæ per totum annum in ordine celebrari olim mos erat, item depictum eſt. Fugientes literas, atque picturas Illuſtriſſimus Commendator a Puteo depingi curavit. Picturæ utræque annos quadringentos excedunt.* Quamquam hoc Kalendarium Latinum, ut ajebam, in pariete pictum eſt; illæ vero Græco-Moſchæ Ephemerides in Tabulis.

XX. Menologium Græcum depictum in manuſcriptis Codicibus.

Nihil etiam differre ab Ephemeridibus Capponianis Ruthenicis dixerim Kalendaria picta, quæ adhuc ſervantur in Codicibus manuſcriptis Græcis, ut puta, Menologium Baſilianum, & alterum Menologium Vaticanum, quorum primum extat in Cod. manuſ. Græco Vaticano 16.3. alterum in Codice item Vaticano Græco 1156. In his enim depictæ Sanctorum uniuſcujuſque diei & menſis per anni circulum Imagines repræſentantur: etſi hoc amplius Tabulis Capponianis, ut ſupra diximus, habent, quod præter picturas, etiam Sanctorum res geſtas brevi oratione complectuntur. Codex quoque duodevigeſimus Bibliothecæ Cæſareæ; Lambecio inter Hiſtoricos Tom. 8. pag. 261. relatus, partem Menologii Græci depicti continet: menſem ſcilicet Octobrem, cujus menſis Sanctorum effigies ibi exhibentur. Sed de his & aliis pictis Sanctorum Imaginibus poſtea ſermo erit.

XXI. Injurioſa Macri cenſura in Menologium Græcum Baſilianum.

Ut igitur eo redeat, unde digreſſa eſt oratio, nuda Sanctorum nomina, quæ in Menologio Græcorum, inque Tabulis noſtris Græco-Moſchis leguntur, concinunt laudatis Latinorum, Syrorum, aliorumque Kalendariis; non tamen alio apud Græcos nuncupantur nomine, quam *Menologii*. At vero *Faſti*, *Ephemerides*, *Kalendaria*, *Diptycha*, voces ſunt a Latinis potius, quam a Græcis ad hanc rem, de qua loquimur, ſignificandam uſurpatæ. Interim in publica commoda peccaverim, niſi injurioſam plane Caroli Macri in Monologium Baſilianum cenſuram notavero. Hic in additionibus ad Dominici Macri fratris Hierolexicon, poſtquam de Menologio ex fratre eadem ipſa verba deſcripſiſſet, quæ ſunt a nobis ſupra ex Gloſſario Viri clariſſimi Cangii deſumta; nimirum, *Menologium* Μηνολόγιον, *ideſt Kalendarium, in quo notantur feſtivitates cujuſcumque menſis occurrentes*;

tes, Sanctorumque acta continet, quæ ad Matutinum leguntur: hæc ſubjungit; *Baſilius Macedo Imperator Græcorum auxit, & pulcherrimis Imaginibus Menologium Græcum ornavit, ubi martyria plurimorum Sanctorum ſeparatim exprimebantur, quod Baronius anno 886. num. 14. originaliter vidiſſe teſtatur: ſed a Catholicis caute legendum eſt, quia multi, qui Schiſmatici extiterant, pro Sanctis in hoc Kalendario celebrantur.* Duo hic peccat Macrus, & quidem graviſſima. Primum, quum aſſerit Menologium illud a Baſilio Macedone Imperatore auctum & imaginibus ornatum. Non Baſilius Macedo, qui anno Chr. 886. Imperium tenebat, id opus ſcribendum & augendum curavit; ſed Baſilius alter Porphyrogenitus, qui ſeculo integro poſterior Macedone fuit, uti ex cl. Allatio, & Ughellio, necnon ex præfixis eidem Menologio Græcis verſibus demonſtravi in Præfat. ad Lectorem Par. 1. Urbini 1727. Alterum, quum pronunciat, multos in eo Menologio Schiſmaticos pro Sanctis celebrari. Atqui nullus eſt ibi Schiſmaticus, omnes vere Orthodoxi, & pro Sanctis in utraque Eccleſia, Romana ſcilicet & Græca, habiti. Legantur Sanctorum nomina: conſulantur Allatius, Ughellius, Bollandiani. Unus eſt Macrus, qui quum librum illum neque vidiſſet, tam animoſum tamen, tamque injuſtum de eo profert judicium.

CAPUT VIII.

Ephemerides Græco-Moſchæ non effigiatæ, ſive Kalendaria Slavonica tum in manuſcriptis, tum in impreſſis Codicibus Slavicis.

I. Kalendarium Slavonicum tum in manuſcriptis, tum in impreſſis libris Eccleſiaſticis.

ADINSTAR Menologii Græcorum, ſuum quoque Ruſſi habent Menologium, in quo exhibentur Sanctorum nomina ſingulis menſium diebus recolendorum. Illud vocant, *Sobornik duvanadeſatim meſezam*, ideſt, *Collectio duodecim menſium*. Exſtat hujuſmodi *Collectio*, ſeu *Menologium*, tum in manuſcriptis, tum in impreſſis Codicibus Ruthenicis, ac præſertim in Anthologiis, in Miſſalibus, in Ritualibus ſive Euchologiis, & in ſacrarum Scripturarum Codicibus, ſive integris, ſive in fine Lectionum Evangelicarum per anni circulum, ſive etiam ad calcem Codicis Evangeliorum.

Habentur in Bibliotheca Vaticana *duo* optimi *Codices manuſcri-*

Digitized by Google

ſcripti, *Ruthenice*: Primus vetuſtiſſimus in membranis, ſignatus num. 1. continet folia ſcripta 275. quorum unum, aut alterum in fine deſideratur. Sunt autem *Lectiones Evangelicæ* per anni circulum, juxta ritum Eccleſiæ Græcæ; a *Dominica Paſchatis* Reſurrectionis, uſque ad *Sabbatum Sanctum*, ordine in Typico Græcorum inque Menæis præſcripto, a fol. 1. ad fol. 235. Subjungitur *Kalendarium Sanctorum* a menſe *Septembri* ad finem *Auguſti*, a fol. 236. ad fol. 271. Demum Evangelia quædam in quibuſdam Dominicis & Feſtis legenda a fol. 271. ad fol. 275. Codex, ut videtur, exaratus ſeculo undecimo, quum ea tantum in ipſo feſta Sanctorum occurrant, quæ illud ſeculum anteceſſere, uti ex Catalogo ſeu Kalendario mox patebit. Porro Lectionum ordo hic eſt: a fol. 1. ad fol. 33. ex Evangelio Joannis, *Dominicæ ſeptem* cum ſuis Feriis, a prima Dominica Reſurrectionis, ad eam Dominicam, in qua fit commemoratio Petrum Nicænorum, quæque Pentecoſten antecedit. Fol. 34. ad 36. ex Evangelio Matthæi, *Dominica* Pentecoſtes cum ſequentibus feriis. Fol. 37. ad 73. item ex Matthæo, *Dominicæ* VI. poſt Pentecoſten cum ſuis feriis. Fol. 73. ad 96. *Dominicæ* VI. ideſt, a XII. poſt Pentecoſten ad XVII. cum ſuis feriis, ex Marco. Fol. 97. ad 178. *Dominicæ* XIX. cum ſuis feriis, a prima Dominica poſt Feſtum Crucis, uſque ad Dominicam I. Jejunii Quadrageſimalis, ex Evangelio Lucæ. Folio 179. ad 186. *Dominicæ* V. cum ſuis Sabbatis, a Dominica I. Jejunii uſque ad Sabbatum, quod Dominicam Palmarum antecedit. Fol. 187. ad 235. a Dominica Palmarum uſque ad Sabbatum Sanctum, ubi Evangelia XII. in Feria VI. de Paſſione Domini, & Evangelia XI. de Reſurrectione Chriſti.

II. In Codice Vaticano manuſ. 1. membraneo, Lectiones Evangelicæ per annum, & Kalendarium Sanctorum Slavonice juxta ritum Eccleſiæ Græco-Moſchæ.

Kalendarium autem Sanctorum per menſes diſtributum eſt hujuſmodi, a Fol. 236.

„ September. 1. Simeonis Stylitæ. 5. Zachariæ Prophe-
„ tæ. 6. Michaëlis Archangeli. 8. Nativitas Deiparæ. 9. Joa-
„ chim & Annæ, parentum Deiparæ. 14. Exaltatio S. Crucis.
„ 15. Nicetæ Martyris. 16. Euphemiæ Martyris. 20. Euſtathii
„ Mart. 23. Conceptio Joannis Præcurſoris. 24. Theclæ Pro-
„ tomartyris. 26. Joannis Evangeliſtæ. 28. Charitonis Abba-
„ tis. 29. Cyriaci Abbatis. 30. Gregorii Armeniæ majoris Epi-
„ ſcopi.

„ October. 1. Ananiæ Apoſtoli. 2. Protectio Deiparæ. 3.

„ Dio-

„ Dionyſii Areopagitæ. 6. Thomæ Apoſtoli. 7. Sergii & Bacchi.
„ 8. Pelagiæ. 9. Jacobi Apoſtoli. 11. Philippi Diaconi. 12.
„ Probi, Tarachi, Andronici. 16. Longini Mart. 18. Lucæ
„ Apoſtoli. 21. Hilarionis Abbatis. 22. Abercii. 23. Jacobi
„ fratris Domini. 26. Demetrii Mart. 27. Neſtoris.

„ November. 1. Coſmæ & Damiani. 6. Pauli Confeſſoris.
„ 8. Michaëlis Archang. 11. Menæ Mart. 12. Joannis Eleemoſy-
„ narii. 13. Joannis Chryſoſtomi. 14. Philippi Apoſtoli. 16.
„ Matthæi Apoſtoli. 21. Præſentatio Deiparæ. 25. Clementis
„ Papæ Romani. 26. Alypii Stylitæ, & Georgii Mart. 27. Ja-
„ cobi Perſæ. 28. Stephani junioris. 31. Andreæ Apoſtoli.

„ December. 4. Barbaræ Virginis. 5. Sabæ Abbatis. 6. Ni-
„ colai Epiſcopi. 7. Ambroſii. 9. Conceptio Annæ. 11. Danie-
„ lis Stylitæ. 12. Spiridionis. 13. Euſtratii, Auxentii, Euge-
„ nii, Mardarii, & Oreſtæ. 17. Ananiæ, Azariæ, Miſaelis, &
„ Danielis.

„ Sabbato, & Dominica ante Nativitatem Domini.

„ Sabbato, & Dominica poſt Nativitatem Domini.
„ 20. Ignatii Mart. 22. Anaſtaſiæ. 24. Ante feſtum Nativitatis
„ Chriſti. 25. Nativitas Domini. 26. Feſtum Deiparæ. 27. Ste-
„ phani Protomartyris. 28. Nativitatis Chriſti. 29. Sanctorum
„ Infantium. 30. Nativitatis Chriſti. 31. Nativitatis Chriſti.

„ Januarius. 1. Circumciſio Domini; & S. Patris Baſilii.
„ Sabbato, & Dominica ante feſtum Luminum. 5. Ante feſtum
„ Epiphaniæ. 6. Feſtum Epiphaniæ. 7. Joannis Baptiſtæ. Sab-
„ bato & Dominica poſt Epiphaniam. 10 De Epiphania, & Gre-
„ gorii Nyſſeni. 11. Theodoſii Abbatis. 14. Patrum Montis Si-
„ nai. 16. Vincula S. Petri Apoſtoli. 17. Antonii Abbatis. 18.
„ Athanaſii & Cyrilli. 19. Macarii Abbat. 20. Euthymii Abba-
„ tis. 21. Maximi Confeſſoris. 22. Timothei Apoſtoli, & Ana-
„ ſtaſii. 25. Gregorii Theologi. 27. Translatio Joannis Chryſo-
„ ſtomi. 28. Ephræm Syri. 29. Translatio Ignatii. 31. Cyri,
„ & Joannis.

„ Februarius. 1. Tryphonis Mart. 2. Occurſus Domini.
„ 3. Simeonis & Annæ. 8. Zachariæ Prophetæ. 9. Nicephori
„ Mart. 17. Theodori Tyronis. 24. Inventio Capitis Joannis
„ Baptiſtæ.

„ Martius. 1. Eudociæ Mart. 9. Quadraginta Martyrum
„ Sebaſtenorum. 17. Alexii Viri Dei. 25. Annunciatio Deipa-
„ ræ. 26. Gabrielis Archangeli.

„ Apri-

Digitized by Google

„ Aprilis. 1. Mariæ Ægyptiacæ. 23. Georgii Martyris.
„ 25. Marci Evangeliſtæ. 27. Simeonis Hieruſalem Epiſcopi.
„ 30. Jacobi fratris Joannis Evangeliſtæ.
„ Majus 1. Jeremiæ Prophetæ. 5. Irenæ. 7. Apparitio Cru-
„ cis Chriſti. 8. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ. 10. Simonis
„ Zelotæ Apoſtoli. 15. Pachomii Abbatis. 20. Thalelæi Martyris.
„ 21. Conſtantini Imperatoris, & Matris ejus Helenæ. 25. Ter-
„ tia Inventio Capitis Joannis Baptiſtæ. 26. Judæ Apoſtoli.
„ Junius. 2. Nicephori Patriarchæ. 8. Theodori Militis.
„ 11. Bartholomæi & Barnabæ Apoſtolorum. 12. Onuphrii Ab-
„ batis. 14. Eliſæi Prophetæ. 19. Judæ Apoſtoli. 23. Agrippi-
„ næ Mart. 24. Nativitas Joannis Baptiſtæ. 25. Febroniæ Marty-
„ ris. 28. Cyri & Joannis. 29. Petri & Pauli Apoſtolorum. 30.
„ Apoſtolorum Duodecim.
„ Julius. 1. Coſmæ & Damiani. 2. Depoſitio Veſtis Dei-
„ paræ. 4. Andreæ Epiſcopi Cretæ. 8. Procopii Martyris. 11.
„ Euphemiæ Mart. 15. Cyriaci & Julitæ. 16. Patrum 630. Cal-
„ chedonenſium. 17. Marinæ Martyris. 20. Eliæ Prophetæ. 22.
„ Mariæ Magdalenæ. 24. Chriſtinæ Martyris. 25. Annæ Ma-
„ tris Deiparæ. 27. Panteleemonis Mart.
„ Auguſtus. 1. Machabæorum. 2. Translatio Corporis Ste-
„ phani Protomart. 5. Euſignii Mart. 6. Transfiguratio Domini.
„ 9. Matthiæ Apoſtoli. 10. Dormitio Deiparæ. 16. Diomedis
„ Martyris, & Translatio Imaginis non manufactæ. 18. Flori &
„ Lauri. 20. Samuelis Prophetæ. 24. Bartholomæi Apoſtoli.
„ 26. Adriani & Nataliæ. 29. Decollatio Joannis Baptiſtæ. 31.
„ Depoſitio Zonæ Deiparæ.

III. InCod. Ms. Vat. II. bombycino, Slavonico, quatuor Evangelia, & Kalendarium Sanctorum, juxta Ritum Ruthenorum.

Alter Ruthenicus Codex, paulo recentior eſt, ſeculo, ut videtur, tertiodecimo exaratus in folio bombycino, olim in Vaticanam Bibliothecam anno Chriſti 1543. illatus, uti poſtremo ejus folio adnotatur. Signatur inter Vaticanos Ruthenicos num. II. continet autem folia ſcripta 238. non tamen Lectiones Evangelicas per anni circulum recitandas, inſtar prioris Codicis, complectitur; ſed integer eſt quatuor Sanctorum Evangeliorum Codex, hoc ordine diſpoſitus. Fol. 1. Index Cap. LXVIII. Matthæi. Fol. 2. Theophylacti Archiepiſcopi Bulgariæ, Præfatio in Matthæum. Fol 5. Evangelium Matthæi. Fol. 68. Index Cap. XLVIII. Marci. Fol. 69. Præfatio in Marcum. Fol. 71. Evangelium Marci. Fol. 113. Index Cap. LXXXIII. Lucæ. Fol. 115. Præfatio in Lucam.

Digitized by Google

cam. Fol.116. Evangelium Lucæ. Folio 180. Index Cap.XVIII. Joannis. Fol. 180. Præfatio in Joannem. Fol.182. Evangelium Joannis.

Tum Fol.231. Evangeliis ſubjungitur Kalendarium Sanctorum, inſcriptum, *Sobornik* Bl.*Meſezam*, ideſt, *Collectio duodecim menſium*: qua in Collectione, non aliter ac in priori Codice, Sanctorum cujuslibet menſis nomina recenſentur, nec non indicantur Evangelicæ Lectiones, quæ eo die ſunt prælegendæ: ut ſequitur.

„ September. 1. Simeonis Stylitæ. 2. Mamantis Martyris,
„ & Joannis jejunatoris. 3. Anthimi Martyris. 4. Babylæ Mart.
„ 5. Zachariæ Prophetæ. 6. Michaëlis Archangeli. 8. Nativitas
„ Deiparæ. 9. Joachim & Annæ. 13. Menodotæ, Metrodoræ,
„ & Nymphodoræ: & Adoratio Crucis. 14. Exaltatio Crucis.
„ 15. Nicetæ Martyris. 16. Euphemiæ Mart. 20. Euſtathii Mart.
„ 22. Phocæ Mart. 23. Conceptio Joannis Baptiſtæ. 24. Theclæ
„ Protomartyris. 26. Joannis Evangeliſtæ. 28. Charitonis Ab-
„ batis. 30. Gregorii Armeniæ majoris.

„ Octobor. 1. Ananiæ Apoſtoli. 2. Romani Diaconi. 3.
„ Dionyſii Areopagitæ. 6. Thomæ Apoſtoli. 7. Sergii & Bacchi.
„ 11. Philippi Diaconi, & Theophanis Grapti Epiſcopi Nicææ.
„ 16. Longini Martyris. 18. Lucæ Apoſtoli & Evangeliſtæ. 20.
„ Artemii Mart. 21. Hilarionis Abbatis. 22. Abercii Epiſcopi.
„ 23. Jacobi Apoſtoli fratris Domini, 24. Arethæ & ſociorum.
„ 26. Demetrii Mart.

„ November. 1. Coſmæ & Damiani. 4. Joannicii Abbatis.
„ 6. Pauli Confeſſoris. 8. Michaëlis Anchangeli. 12. Joannis
„ Eleemoſynarii. 13. Joannis Chryſoſtomi Archiepiſcopi Con-
„ ſtantinopolitani. 14. Philippi Apoſtoli. 15. Guriæ, Samonæ,
„ & Abibi. 16. Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ. 17. Gregorii
„ Thaumaturgi. 21. Præſentatio Deiparæ. 24. Gregorii Agri-
„ gentini. 27. Jacobi Perſæ. 28. Stephani junioris. 30. Andreæ
„ Apoſtoli.

„ December. 4. Barbaræ Mart. & Joannis Damaſceni. 5. Sa-
„ bæ Abbatis. 6. Nicolai Epiſcopi. 9. Conceptio Annæ. 13. Eu-
„ ſtratii & ſociorum. 17. Trium puerorum, & Danielis Prophe-
„ tæ. 20. Ignatii Theophori. 25. Nativitas Domini. 26. Feſtum
„ Deiparæ. 27. Stephani Protomartyris. 28. Martyrum Nico-
„ mediæ. 29. Infantium. 30. Anyſiæ & Zotici.

„ Ja-

,, Januarius. 1. Circumciſio Domini: & Baſilii Magni. 2.
,, Silveſtri Papæ Romani. 3. Gordii Mart. 4. Septuaginta Apo-
,, ſtolorum. 6. Epiphania Domini. 7. Feſtum Joannis Baptiſtæ.
,, 9. Polyeucti Mart. 11. Theodoſii Abbatis. 12. Tatianæ Marty-
,, ris. 13. Hermyli & Stratonici. 15. Pauli Thebæi, & Joannis
,, Calibytæ. 16. Adoratio Catenæ Petri Apoſtoli. 17. Antonii
,, magni Abbatis. 18. Athanaſii & Cyrilli Alexandriæ. 20. Eu-
,, thymii Abbatis. 21. Maximi Confeſſoris. 22. Timothei Apo-
,, ſtoli, & Anaſtaſii. 23. Clementis Mart. 25. Gregorii Theolo-
,, gi. 27. Translatio Joannis Chryſoſtomi. 29. Translatio Igna-
,, tii. 31. Cyri & Joannis.

,, Februarius. 2. Occurſus Domini. 3. Simeonis Juſti. 8.
,, Theodori Militis. 9. Nicephori Martyris. 24. Inventio Capi-
,, tis Joannis Baptiſtæ.

,, Martius. 9. Quadraginta Martyrum Sebaſtenorum. 25.
,, Annunciatio Deiparæ. 26. Gabrielis Archangeli.

,, Aprilis. 1. Mariæ Ægyptiacæ. 22. Theodori Syceotæ.
,, 23. Georgii Mart. 25. Marci Evangeliſtæ. 27. Simeonis, pro-
,, pinqui Domini. 30. Jacobi Apoſtoli, filii Zebedæi.

,, Majus. 2. Athanaſii magni. 7. Apparitio Crucis. 8. Joan-
,, nis Apoſtoli & Evangeliſtæ: & Sancti Arſenii Abbatis. 21. Con-
,, ſtantini & Helenæ. 24. Simeonis Thaumaſtoritæ. 25. Tertia
,, Inventio Capitis Joannis Baptiſtæ. 26. Carpi Apoſtoli ex
,, LXX.

,, Junius. 8. Theodori Militis. 11. Bartholomæi & Barna-
,, bæ Apoſtolorum. 12. Onuphrii Abbatis. 14. Eliſæi Prophetæ.
,, 19. Judæ Apoſtoli, fratris Domini. 24. Nativitas Joannis Ba-
,, ptiſtæ. 27. Sampſonis Xenodochi. 28. Cyri & Joannis. 29. Pe-
,, tri & Pauli Apoſtolorum. 30. Apoſtolorum XII.

,, Julius. 1. Coſmæ & Damiani. 2. Depoſitio Veſtis Deipa-
,, ræ. 4. Andreæ Cretenſis. 8. Procopii Mart. 11. Euphemiæ
,, Mart. 15. Cyrici & Julitæ. 16. Athenogenis Martyr. 17. Mari-
,, næ Mart. 20. Eliæ Prophetæ. 22. Mariæ Magdalenæ. 25. An-
,, næ Matris Deiparæ. 27. Panteleemonis Martyris. 31. Eudo-
,, cimi Mart.

,, Auguſtus. 1. Machabæorum. 2. Translatio Stephani Pro-
,, tomart. 6. Transfiguratio Domini. 15. Dormitio Deiparæ.
,, 16. Diomedis Mart. & Translatio Imaginis non manufactæ
,, Chriſti Domini ex Urbe Edeſſa. 18. Flori & Lauri Martyr.

Digitized by Google

„ 25. Tranſlatio Bartholomæi Apoſtoli: & Commemoratio Ti-
„ ti Apoſtoli. 29. Decollatio Joannis Baptiſtæ. 31. Depoſitio
„ Zonæ Deiparæ.

Sequuntur a fol.335. ad fol. 237. Lectiones quædam Evangelicæ pro nonnullis feſtis, & de communi Sanctorum. Demum fol.238. notatur amanuenſis nomen, ποπα ΝΗΚΟΔημα, *Presbyter Nicodemus*.

IV. Kalendarium Sanctorum in Miſſali, Breviario, & Rituali Romano, in linguam Illyricam converſo ac primum de Breviario Illyrico: quod extat autographum in Biblioth. Vatic.

In his duobus Codicibus, ut vides, Slavicæ Eccleſiæ Ritus, a Græca non abhorrens, præſcribitur. In eadem autem Bibliotheca Vaticana, *ex Decreto Sacræ Congregationis de Propaganda Fide die* 17. *Decembris* 1647., conſervatur *Autographum manuſcriptum Breviari*, Ritu quidem non Græco, ſed Romano, idiomate autem *Slavanico*, & charactere, quem vulgo *S. Hieronymi*, nuncupant, quod Breviarium a Raphaële Levacovich, Croata, Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia, Achridæ ſeu Juſtianæ primæ Archiepiſcopo, juſſu Urbani VIII. recognitum, Methodius, Terlecki, Epiſcopus Chelmenſis & Belcenſis, ad vetuſta Illyricæ linguæ Breviaria diligentiſſime contulit die 17. Sept. anno Orbis conditi 7151. Chriſti 1643. uti ipſe Epiſc. Methodius teſtatur, in hæc varba. *Ego Methodius Terleki Epiſcpus Chelmenſis & Belcenſis: dum anno infraſcripto pro graviſſimis negotiis totius Ruſſiæ, nonnullisque meæ diœceſis, in primis vero, quæ opportuna atque perneceſſaria arbitratus ſum, pro ſanctiſſima unione in Ruſſia & aliis Slavonicæ nationis Provinciis conſervanda, & promovenda, apud Sedem Apoſtolicam ſummo ſtudio laborarem, atque in dies expeditionem eorumdem pro voto præſtolaret, Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinales Sacræ Congregationis de Propaganda Fide inſtantiam apud me fecerunt, ut juxta eorumdem Decretum ſub die prima Sept. anni præſentis* 1643. *editum, vocato R. P. Raphaele Croato Ord. Minorum de Obſervantia ad impreſſionem Breviarii Illyrici deputato, Pſalterium in eodem Breviario imprimendum, cum memorato R. P. Raphaele, ad Vulgatam tranſlationem, quantum phraſis Illyricæ linguæ pateretur, de verbo ad verbum accommodarem. Itaque qua in cauſa tam pia ut eorum voluntati morem gererem, ſepoſitis quibuſcumque privatis meis negotiis & occupationibus, accerſire curavi illico præfatum R. P. Raphaelem, afferreque plura vetuſtorum Illyricæ linquæ Breviariorum manuſcripta, & impreſſa exemplaria, atque autographum, quod idem R. P. Raphael ad Vul-*

Vulgatæ editionis ſenſum paraverat, adhibitis etiam antiquiſſimis, quibus ab ipſo ſuo exordio Ruthena, & cuncta Slavonica uſa eſt, & utitur Eccleſia, codicibus: poſt divinum imploratum auxilium, diligentiſſime inſimul contulimus ipſius R.P. Raphaelis autographum ſupradictum, cum antiquis Breviarii Illyrici Pſalteriis, Latina Vulgata ſemper præ oculis exiſtente, atque an conformis eſſet, examinavimus. Ita factum eſt, ut ſollicita adhibita cura, tale redditum eſt Pſalterium, quale a ſupradicta Sacra Congregatione expeteretur, hoc eſt, adamuſſim Vulgatæ translationi concordans. Nam exploſis nonnullis vulgatis Sermonis Dalmatici vocabulis, quæ ſcriptorum licentia in vetuſta Illyrica Breviaria, intruſa fuerant, quæque R.P. Raphael ſuæ translationi inſeruerat, pura, quæ in incorruptis apud me habebantur, Slavonica, eorum loco repoſuimus; punctuationemque, & periodos, atque initia verſuum ſingulorum, quum longe aliter in Illyricis leguntur, ubique juxta Vulgatam accommodavimus, ita ut divina opitulante gratia, Pſalterium ipſum per nos reviſum, atque ut dictum eſt, a peregrinis Dalmaticis vocibus purgatum, concordet in præſens in omnibus & per omnia cum deſiderato Pſalterio noviſſimi Breviarii moderni SS. D. N. Papæ Urbani VIII. vulgatæ editionis: neque eſt, ut eam ob cauſam Illyrici Breviarii impreſſio, ſummopere neceſſaria, & ab Illyricanæ Eccleſiæ Presbyteris quotidie expetita, diutius differatur. In cujus rei fidem præſens teſtimonium, mea manu ſubſcriptum, atque ſigillo munitum dedi. In Palatio Quirinali SS. D. N. die 16. Sept. anno a creatione Mundi ſecundum noſtrum computum 7151., a Nativitate vero Chriſti Domini 1643. Indict. XI. Idem qui ſupra Methodius Epiſcopus Chelmenſis & Belcenſis manu propria.

V. De Miſſali Romano Illyrico, in quo Kalendarium Sanctorum juxta Ritum Romanum.

In hoc igitur Slavonico, ſeu Illyriciano Breviario, quod exſtat in Vat. Bibl. Cod. Mss. 6471. a pag. 24. ad pag. 30. habetur *Kalendarium Sanctorum*, etſi, ut ſupra dictum eſt, Ritu Romano, non Ruthenico; quod quidem Kalendarium non ſolum *Breviario Romano* Illyrice impreſſo præfixum fuerat temporibus Urbani VIII. anno Chriſti 1631. ſed etiam Miſſali tum manuſcripto ſub Innocentio X. anno 1643. tum impreſſo ſub Innocentio XI. anno 1688. quemadmodum conſtat ex Urbani VIII. literis datis apud Sanctam Mariam Majorem die 29. Aprilis 1631. Pontificatus octavo, quæ literæ iterum ſunt præfixæ *Miſſali Romano Slavonico*

Digitized by Google

vonico idiomate juſſu SS. D. N. Papæ Urbani VIII. edito in fol. Romæ 1745. typis & impenſis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, curante Viro clariſſimo Matthæo Caramanio, nunc digniſſimo Jaderæ Archiepiſcopo, & ex literis Innocentii X. datis die XXII. Febr. 1648. quæ ſunt præfixæ *Breviario Romano Slavonico, juſſu SS. D. N. Innocentii Papæ XI. edito, Romæ typis & impenſis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide* 1688. *in* 4. Sed juvat hic tam præfixas Miſſali Slavonico, quam Breviario, Romanorum Pontificum literas audire, ex quibus manifeſtum fit, undenam Ritum ſuum Slavi, Latino more viventes, acceperint.

VI. Literæ Urb. VIII. circa Miſſale Romanum Illyricum.

Urbanus igitur Octavus, in Brevi Miſſalibus tum veteri, tum recentiori, præfixo ſic ait. *Eccleſia Catholica, cui divina favente clementia, nullo meritorum noſtrorum ſuffragio, præſidemus, ſicuti una eſt, ita requirit noſtræ paſtoralis vigilantiæ ſollicitudo, ut Chriſtifideles idipſum non ſolum ſapiant, ſed etiam quantum poſſibile eſt, omnes etiam unanimes uno ore, in orationibus & ſacrificiis honorificent Deum. Quum itaque, ſicut accepimus, Miſſale idiomate Slavonico olim a fel. rec. Joanne VIII. prædeceſſore noſtro conceſſum, a centum circiter annis typis editum non fuerit, atque inde acciderit, ut Slavonum Eccleſiæ Miſſalium inopia adeo laboraverint, ut pleriſque in locis, nec Sacerdotes ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium offerre, nec populi Eccleſiæ præcepto de illo audiendo ſatisfacere commode potuerint: nos Miſſalium inopiæ hujuſmodi ad divini nominis laudem & gloriam, animarumque Chriſtifidelium illarum partium ſalutem occurrere volentes, venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus negotio fidei in univerſum Orbem propagandæ præpoſitis, injunximus, ut quamplura Miſſalia, Slavonico conſcripta idiomate, a Provincia Dalmatiæ Romam juſſu noſtro afferri, iiſque per nonnullos linguæ Slavonicæ peritos, juxta emendationes a fel. etiam rec. Pio V. & Clemente VIII. Romanis Pontificibus, ſimiliter prædeceſſoribus noſtris, factas, & eorum literis Apoſtolicis approbatas, correctis, Miſſale, quod Romano prorſus conforme eſſet, componi, illudque præfato idiomate Slavonico, ad uſum & commodum eorumdem Chriſtifidelium Eccleſiarum, locorum & provinciarum, ubi hactenus præfato idiomate celebratum fuit, imprimi curarent. Quæ omnia quum præfati Cardinales diligenter præſtiterint, eodem per præfatos Cardinales, & pie, & accurate in præmiſſis ordinata & geſta approbantes, ac præfatum Miſſale*

ſale antiquum abrogantes, motu proprio, & ex certa ſcientia ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, antiquorum Miſſalium Slavonici idiomatis tam impreſſorum quam manuſcriptorum uſum, tenore præſentium, ſub indignationis noſtræ, ac aliis arbitrii noſtri, imo iis etiam pœnis, quæ eorumdem Pii, & Clementis prædeceſſorum noſtrorum literis continentur, tenore præſentium, penitus & omnino interdicimus. Præterea ſub eiſdem pœnis eo ipſo abſque aliqua declaratione incurrendis, Apoſtolica auctoritate eorumdem tenore præſentium, probibemus omnibus & ſingulis Presbyteris & Clericis, tam Sæcularibus, quam cujuſvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti, etiam ſpeciali nota dignis Regularibus, eorumdem Eccleſiarum, locorum & provinciarum, ubi hactenus, ut præfertur, præfato idiomate Slavonico celebratum fuit, ne elapſis octo menſibus a die publicationis præſentium in Urbe, alia, quam hujuſmodi novo Miſſali, niſi maluerint Latino, utantur.

Innocentius X. in Brevi, quod Breviario Romano Slavonico anno 1688. præmiſſum eſt: *Romanum Pontificem*, inquit, *cui ex diſpoſitione divina omnium Orbis Eccleſiarum cura incumbit, ſedulo decet invigilare, ut cuncta ad Catholicam fidem, divinumque cultum pertinentia, rite recteque in Eccleſiis prædictis peragantur; & præſertim ut ſacræ Scripturæ & alii Codices, qui fidei cultuſque hujuſmodi fundamenta, & ſacras preces, laudibus, gratiiſque Deo perſolvendis, continent, quocumque tempore, vel idiomate, aut charactere conſcripti ſint, mendis atque erroribus plane careant, illiſque omnino expertes ab omnibus habeantur. Quum igitur Illyricarum gentium, quæ longe lateque per Europam diffuſæ ſunt, atque ab ipſis glorioſis Apoſtolorum Principibus Petro & Paulo potiſſimum Chriſti fidem edoctæ fuerunt, libros ſacros jam inde a D. Hieronymi temporibus, ut pervetuſta ad nos detulit traditio; vel certe a Pontificatu fel. rec. Joannis Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, uti ex ejuſdem data ſuper ea re epiſtola conſtat, ritu quidem Romano, ſed idiomate Slavonico, & charactere S. Hieronymi vulgo nuncupato conſcriptos, opportuna recognitione indigere compertum ſit: nos rec. mem. Urbani Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris noſtri, qui Miſſale Illyricum emendatum juxta nuperrimas illius reformationes charactere Hieronymiano, ac lingua Slavonica typis vulgari mandavit, veſtigiis inhærentes, de venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotio propaga-*

VII. Literæ Innoc. X. circa Breviarium Romanum, Illyricum.

Digitized by Google

pagationis fidei per univerſum Mundum præpoſitorum conſilio, venerabili fratri Raphaëli Archiepiſcopo Achridæ, ſeu Primæ Juſtinianæ, mandavimus, ut Breviarium Illyricum, ante annos centum impreſſum, recognoſceret, & ad formam Breviarii Romani Latini nuper a prædicto Urbano Prædeceſſore reformati in prædictam linguam Slavonicam redigeret. Quod quum idem Raphaël Archiepiſcopus diligenter præſtiterit, dictumque novum Breviarium Illyricum a peritis prædictæ linguæ, & in ſacris literis edoctis viris comprobatum fuerit: idcirco nos motu proprio, ac ex certa ſcientia & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, de ſimili prædictorum Fratrum noſtrorum conſilio, Breviarium prædictum tenore præſentium confirmamus & approbamus, typiſque mandari jubemus. Hactenus Innocentius X. Hoc ipſum Miſſale nuper, hoc eſt, anno Chriſti 1745., curante clariſſimo ac linguæ Slavonicæ apprime perito Mattheo Caramanio, nunc digniſſimo Jadrenſium Archiepiſcopo, typis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, prodiit, unacum *Kalendario Sanctorum*, in morem tamen Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, non Græco-Moſchæ accomodato.

VIII. Kalendarium Sanctorum juxta Romanum Ritum, in Rituali Romano Illyrico, quod P. Caſſius unacum Teſtamento novo Illyrice reddidit.

Idem Kalendarium Romanum Slavonico idiomate impreſſum fuit in *Rituali Romano, quod Illyrica lingua juſſu Urbani VIII.* prodiit in 4. *Romæ ex typographia Sacræ Congregationis de Propaganda Fide* 1640. curante Bartholomæo Caſſio, Dalmata, Soc. Jeſu, qui illud *Rituale Illyrice* reddiderat anno Chriſti 1636. uti liquet ex ejuſdem epiſtola, literis Pauli V. de Romano Rituali die 17. Jun. 1614. datis, ſubjuncta. Caſſii verſionem probavit primo Mutius Vitelleſcus Societatis Jeſu Præpoſitus Generalis, Romæ 13. Martii 1637. deinde Franciſcus Manolla Spalatenſis, J.V.D. & Canonicus S. Hieronymi Illyricorum de Urbe, die 25. Martii 1637. ubi ait, *Se, jubente Nicolao Riccardio S. Palatii Apoſtolici Magiſtro, vidiſſe, diligenterque perlegiſſe hoc Rituale Romanum ex Latino Illyricum factum communiori modo loquendi, ab admodum R.P. Bartholomæo Caſſio Soc. Jeſu in Baſilica S. Petri Pœnitentiario.* Ipſe vero Caſſius in epiſtola ad Urbanum VIII., teſtatur, juſſu ejuſdem id opus a ſe ſuſceptum. *Prudenti*, inquit, *ac piiſſimo conſilio factum eſt*, B. *Pater, ut Rituale Latinum fieret, Illyricum, Te præcipiente, & expetitum a tota Natione in lucem ederetur. Perdifficile enim erat Illyricis Sacerdotibus non paucis ſacros Ritus Latino eloquio ſcriptos*

ptos intelligere, eoſque in praxi exercere, apud quos non ea Latinæ linguæ viget eruditio, ut poſſint exequi præſcripta rite recteque, ſicut oportet. Meum itaque fuit, ſacra jubente Congregatione, quum adhuc eſſem in Baſilica Vaticana Pœnitentiarius Illyricus, diuturno labore in pene infinita idiomatis Illyrici varietate perſcribere communiori dialecto Illyricis, quod Latinis ſermo Latinus præſcripſit. Quod quidem eo libentius atque alacrius elaboravi, quo gratius ac jucundius Tuæ ſanctitati futurum exiſtimavi. Ditiſſimus profecto theſaurus Eccleſiæ Illyricæ erit, ſacrorum Rituum Rituale effectum Illyricum, quo & gens univerſa ditabitur, & Catholica Fides in latiſſimis Provinciis propagabitur. Pergit de ſua novi Teſtamenti Verſione Illyrica diſſerens: *Utinam aliquando etiam lucem aſpiciat ſelecta a me ex antiquis Illyricis Codicibus Verſio Illyrica novi Teſtamenti, tuo imperio, tuiſque perurbanis auſpiciis, ut ea tota Natio luce nova Evangelicæ prædicationis, & veritatis illuſtrata, contra hereſes & Schiſmata, Tuæ Sanctitatis æterna recordatione glorietur & oblectetur*. Nondum hæc verſio Caſſiana, quod ſciam, prodiit in lucem: ſed adhuc latet in Dalmatia ipſius Caſſii autographum. Nam qui Latinum Ritum ſequuntur Slavi, præter libros Eccleſiaſticos ſupra recenſitos, nullos alios impreſſos habent; ſed vel manu exaratis Codicibus utuntur; vel iis, qui ſunt ex fide Græcorum Scripturæ Codicum evulgati, ac præcipue in Moſcovia aut in Polonia, de quibus mox ſermo erit.

Porro *Kalendaria Sanctorum*, quæ ſunt Miſſali, aut Breviario, aut Rituali ſupra laudatis præfixa, eadem prorſus ſunt, ac ea, quæ in Latinis Romani ritus Codicibus legimus; ac proinde rem nullius momenti eſſe ducimus, ea in publicum proferre.

IX. Kalendarium Sanctorum Slavonicū Ritu Græco-Moſcho, in BibliisOſtrovienſibus editis anno 1581.

At vero in iis, qui juxta Ritum Eccleſiæ Ruthenicæ, hoc eſt, Slavo-Græcæ, manuſcripti aut impreſſi ſunt, *Miſſalibus* libris, *Ritualibus*, ſeu ſacris *Bibliis*, *Kalendarium* Sanctorum, ſive, *Collectio*, ut vocant, *duodecim menſium*, ab iis quæ ſupra ex binis illis Codicibus Vaticanis exhibuimus, & a Tabulis noſtris Græco Moſchis, haud quaquam differt. Ad calcem *Bibliorum Oſtrovienſium* Slavonicorum, quæ præ manibus habuit Jo: Petrus Kohlius in Academia Scientiarum Petropolitana hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & humanarum literarum Profeſſor, quemadmodum ipſe affirmat in *hiſtoria Codicis ſacri Slavonici*, *Altanoviæ anno* 1729. pag. 198. adjectum eſt *Kalendarium Græcum*, cum an-

nexa

nexa Præfatiuncula Græce ac Ruthenice conſcripta, qua, Deo pro incepto feliciter abſolutoque opere, gratiæ perſolvuntur. Biblia illa Slavonica *Oſtrovienſia* laudantur a Papebrochio tom. I. Maji in Ephemeridibus Græco-Moſchis menſe Februario die 14. pag. 16. Et a Lelongio in Bibliotheca ſua ſacra cap. XI. editionis Pariſienſis: & a Kohlio loc. cit. pag. 23. & 188. Titulus eſt hic. *Biblia, hoc eſt, liber veteris & novi Teſtamenti, ex Hebræa in Græcam linguam ſeptuaginta duorum* θεοδιδάκτων *Interpretum ante Incarnationem Domini Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti trecenteſimo octavo* (lege, *decimo*: nam in textu Slavonico eſt nota hæc numeralis TI, nimirum, 310. non 308.) *anno, intento mandato Ptolemæi Philadelphi Regis Ægyptii, confecta Verſione quanta fieri potuit diligentia expreſſa & correcta, anno poſt Incarnationem Domini Salvatoris noſtri Jeſu,* 1581. Sequitur *Prima Præfatio* Græce, initium, Θεὲ Πάτερ παντοκράτωρ, *Deus Pater omnipotens*: ubi nomen Volhiniæ Principis Conſtantini, qui eam editionem curavit: *Ego Conſtantinus, dictus & in ſacro baptiſmate Baſilius, gratia Dei Salvatoris noſtri Dux Oſtroviæ, Vaivoda Kioviæ, Palatinus Volhiniæ, electis in Chriſto & dilectis fratribus non ſolum ſecundum carnem, ſed & in Spiritu Sancto omnibus linguam Slavicam ſcientibus, & viventibus in Eccleſia Apoſtolica & Catholica, magno ſtudio pronuncio, Verſionem iſtam, Bibliaque legenda commendo, Deoque gratias ago, quod benedictione & miſericordia Dei, atque ſuo erga homines amore dignus habitus ſim qui & initium facerem, & finem etiam viderem præſentis operis, quod nunc ubique videtis, nempe, vetus & novum Teſtamentum typis impreſſum in civitate a Deo cuſtodita & in primaria ſede noſtra* Ὀστροβίας ἐν Βολινδίᾳ, *Oſtroviæ in Volhinia*, ἔτει ἀπὸ κτίσεως Κόσμου ἑπταχιλιοστῷ ὀγδοηκοστῷ ἐννάτῳ. καὶ Χριστοῦ γονίας χιλιοστῷ πεντακοσιοστῷ ὀγδοηκοστῷ πρώτῳ, Βοηδρομιῶνος ἱσταμένου, *anno a creatione Mundi ſepties milleſimo octogeſimo nono, a nato Chriſto milleſimo quingenteſimo primo, medio menſe Boedremione, hoc eſt, Auguſto.* Lelongius perperam legit, *anno a creatione Mundi ſepties milleſimo octingenteſimo primo, a nato Chriſto* 1501. Ubi duplex eſt error; primus in anno mundi 7801., quum ſit in Bibliis illis Oſtrovienſibus ſignatus annus 7089. alter in anno Chriſti 1501. qui non reſpondet anno mundi 7801. ſed anno 7009. Atqui legendum omnino, *anno mundi 7089. Chriſti* 1581. ut Græca inſcriptio demonſtrat. Altera

Digitized by Google

tera *Præfatio* eundem, ut videtur, Conſtantinum Ducem habens auctorem, *Slavonica* eſt, adeoque ab omnibus, qui de Slavonicis Bibliis ſcripſerunt, *Lelongio*, *Uſſerio*, aliiſque ob linguæ Slavonicæ imperitiam, omiſſa. Nos illam ex Kohlii interpretatione pag. 191. integram producimus. *Primum hoc notandum eſt*, inquit Kohlius, *quod principio Præfationis refert; eo, quo Bibliorum edendorum opus ſuſceperit, tempore, nullum nec ſe habuiſſe, nec in Dominio plane ipſius inventum eſſe Slavonico ſermone conſcriptum, quem in conſilium adhibere potuerit, codicem. Accidiſſe tamen poſtea non ſine maxima ſua voluptate, ut ex Ruſſicis oris ea ipſa, quæ magni Ruſſorum Ducis Wolodimiri temporibus ante quingentos jam annos in Slavonicum ſermonem tranſlata ſunt Biblia, Garaburdii cujuſdam opera tandem nactus ſit. Verba ipſa Slavonica digna ſunt quæ opponantur. Ibo i Knig glagolemich Wivvlia &c. Hoc eſt, Ut & Liber vocatus Biblia, initio ſuſcepti hujus negotii (ſcilicet Bibliorum edendorum) non ſuppetiit qui noſtro propoſito, quum hoc inciperemus, omnino ſuffeciſſet. Sed & in omnibus partibus gentis noſtræ Slavonica lingua conſcriptus nec unus Codex inveniebatur omnibus veteris Teſtamenti libris conſtans. Tantum a ſumme religioſo & glorioſiſſimæ memoriæ auguſtiſſimo Domino & magno Duce Joanne Baſilovvitzio Ruſſiæ: & reliqua: per Deo electum virum Michaelem Garaburdium, ſcribam magni Ducis Lithuani; ſedulis precibus digni ſumus habiti accipere integra Biblia ex ſeptuaginta duorum Interpretum Græca Verſione ante quingentos & ultra annos, magni Wolodimiri, qui Ruſſicam terram baptizandam curavit, tempore in Slavonicam linguam tranſlata*. Ita nimirum Conſtantinus Dux ſentiebat de primis lingua Slavonica conſignatis Bibliis, non e Vulgata Latina, ſed e Græca ſeptuaginta virali Verſione converſis, tempore Volodimiri Ruſſorum Principis, hoc eſt, ſeculo poſt Chriſtum natum decimo. *Alterum hoc notatu dignum* (pergit idem Kohlius pag. 193.) *in Præfatione noſtra occurrit, præter ſupra commemoratum Slavonicum Codicem, multa alia variis linguis ac characteribus conſcripta Biblia reperiſſe, eorumque normam ut ſequerentur, quatenus cum ſacra Scriptura conſonent, interpretibus mandaſſe. Tantam vero Bibliorum Verſionum ac Codicum diſcrepantiam deprehendiſſe, tam multa Scripturæ loca dubia, perperam ſcripta, ac depravata, ut maxima cura animique ſollicitudine affectus ſit, parumque abfuiſſe, quin edendi Bi-*

Digitized by Google

blia conſilium abjecerit. Huc tandem acceſſiſſe varias hominum malevolorum calumnias, eorumque qui ſuſceptum opus adjuvarent paucitatem. Quæ omnia, graviſſima licet conſilii impedimenta, non tanti tamen ſibi eſſe viſa, ut animum plane deſponderet, atque a conſilio ſuo diſcederet: quin potius ad rem: quam aggreſſus eſſet, perficiendam alacriorem eſſe factum, certiſſima ſpe fretum, fore ut Deo adjuvante difficultates omnes ſuperet. Hac mente certos homines literarum peritos quaquaverſum ablegaſſe: qui diverſis terrarum orbis partibus, in his Italia, Candia inſula, aliiſque remotiſſimis regionibus peragratis, multiſque Græcis, Serbicis, & Bolgaricis Monaſteriis viſitatis; ad Vicarium denique Apoſtolorum, Orientalis Eccleſiæ Principem, ſanctiſſimum Jeremiam, Archiepiſcopum Conſtantinopolis ac novæ Romæ, (Oecumenicum Patriarcham) pervenerint, incorruptum planeque emendatum ab eo Bibliorum exemplar cum aliquot Græcæ Slavonicæque linguæ ac literarum peritis interpretibus flagitantes. Quem quidem, Deo animum flectente, adeo propenſum & obſequentem inveniſſe, ut & antiquum Codicem Bibliorum, a mendis omnibus purgatum, & ad Slavonicam Verſionem conficiendam idoneos homines illis tradiderit. Refert denique in Prefatione Princeps, ſeſe & Codices & interpretes partim a Jeremia Conſtantinopolitano Præſule, partim aliunde ex animi ſententia nactum, cum iis æque ac cum aliis multis ſacrarum literarum peritis rem deliberaſſe: communique tandem ſuffragio optimum fuiſſe judicatum, ſeptuaginta duorum Græcam Verſionem, utpote Hebræis maxime convenientem, quoad ejus fieri poſſit, ſumma cura diligentiaque vertendo exprimere. Sequitur *Tertia Præfatio* ad omnes fideles Chriſtianos directa, in qua præter cætera ad ſacrum Codicem pertinentia, utilitas, quæ maxima inde hauritur, eximiaque ejus auctoritas, exponitur. Claudunt eam nonnullæ preces ad Deum Euchariſticæ, quibus hæc infra adjecta ſunt: *Hæc Præfatio a peccatis pleno Geraſimo Danilovvitzſchio compoſita eſt.* Coronidis loco additi ſunt verſus rhythmici, Slavonici, triginta diſtichis conſtantes, quibus & *Wolodimiri*, illius Ruſſorum Principis, qui ad Chriſtiana ſarra Ruthenos perduxit, & *Conſtantini* Volhiniæ Principis, quo duce & auſpice hæc Biblia prodierunt, laudes decantantur. Carmen hoc excipit *Series ordoque Librorum* veteris ac novi Teſtamenti. Ad finem Codicis adjectum eſt *Kalendarium Græcum*, cum annexa precatiuncula

cula Euchariſtica, Græce ac Ruthenice coſcripta. Extremum eſt Typographi iſtud: Τὰ μὲν γὰρ παρόντα θεόδεκτα καὶ ψυχογωγικὰ Βιβλία παλαιᾶς τε καὶ νέας διαθήκης τετύπωνται ὑπ' ἐμοῦ ἁμαρτωλοτάτου Ἰωάννου τοῦ Θεοδώρου υἱοῦ, ἐκ τῆς μεγάλης Ῥωσίας, ἐν θεοφυλάκτῃ πόλει Ὀστροβίᾳ, ἔτει ἀπὸ κτίσεως τοῦ κόσμου ζπθ', καὶ ἀπὸ σαρκώσεως τοῦ κυρίου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἀφπά, Βοηδρομιῶνος ιβ'. ἡμέρᾳ: *Hac præſentia a Deo tradita & animam dirigentia Biblia veteris & novi Teſtamenti, typis impreſſa ſunt a me peccatorum omnium maximo Joanne Theodori filio, ex magna Ruſſia, in Deo cuſtodita urbe Oſtrovia, anno a Mundi creatione 7089. & ab incarnatione Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti 1581., die 12. Boedremionis*, ideſt Auguſti.

Ex Bibliis hiſce Oſtrovienſibus deſcripta ſunt & impreſſa Moſcuæ alia Biblia anno Chr. 1664. in quibus ad calcem quoque adjectum eſt *Kalendarium Sanctorum*, cui titulus; *Sobornik dvvana deſatim Meſezam*, h. e. *Collectio duodecim menſium*: ubi menſium ordine ſervato, ut recte advertit Kohlius p. 53. „Quinam ſacris diebus in Evangeliſtæ, Apoſtoli, Sancti, aut Martyris, quiſquis ille ſit, memoriam Textus Biblici in templis adſtanti populo prælegendi ſint, docetur: quales e. g. menſe Septembri die natzſchulo, indicta &c. hoc eſt, initio novi anni, & feſto beati patris Simeonis Columnaris, Slavonice Stolpnika dicti, ex Evangelio particulæ recitentur „. Biblia illa *Moſcuenſia* appellat idem Kohlius pag. 26. quorum titulum Slavonice & Latine hunc exhibet. „Biblia, hoc eſt, Liber veteris, & novi Teſtamenti ſecundum linguam Slavonicam, ex Hebræo in Græcum ſermonem ſeptuaginta duorum a Deo doctorum Interpretum, ante Incarnationem Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti trecenteſimo quinquageſimo anno, ex zeli pleno mandato Ptolemæi Philadelphi Ægyptii Regis olim tranſlatus; nunc vero æque zeli pleno mandato magni Ducis Alexii Michaëlowitzii, totius magnæ & parvæ, & albæ Ruſſiæ Autocratoris, & ex benedictione ſanctiſſimorum Metropolitarum, & Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, ex tranſlatione Bibliorum Oſtrovienſis typographiæ, quæ ſecundum Vetera Biblia correcta, quantum fieri potuit, ex potentia divina expreſſus & impreſſus anno poſt conditum mundum 7102. poſt Incarnationem Verbi 1663. „(indicta ſecunda, menſe ſe-

X. Kalendarium Slavonicum Græco-Moſchum in Bibliis Moſcuenſibus editis anno Ch. 1664.

ſexto.) Hæc ultima verba intra parentheſim, *Indicta ſecunda, menſe ſexto*, de ſuo addidiſſe videtur Kohlius, aut is, quo interpræte utebatur idem Kohlius: nam Slavonica verba non ipſe Latina fecit, ſed ex ore cujuſdam Interpretis deſcripſit, quemadmodum pag.28. fatetur his verbis: *Hactenus libri titulus, quem Interpretis, quo Petropoli ſolebam uti, ſubſidio in Latinum ſic convertimus*. Atqui Slavonicus libri titulus, qui ibidem tam literis Slavonicis, quam Latinis præfigitur, poſt annum *Chr*.1663. nihil aliud habet. Quinimo ex ipſis Slavonicis verbis colligo, deceptum fuiſſe Interpretem Moſchum, inque errorem graviſſimum induxiſſe ipſum Kohlium, dum *annum conditi mundi*, quo Biblia illa Moſcuenſia ſunt typis impreſſa, notat fuiſſe 7102., eundemque ab Incarnatione 1663. Errat utrobique: nam primum quidem in Textu Slavonico ſunt hæ notæ numerales ζροβ, quas Interpres latine ſcribit pag.28. lin.6. ſic: *S.R.O.VV.*, & interpretatur pag.29. lin.5. ſic, 7102. quum illæ ſignificent non annum 7102., ſed 7172. ut intelligenti Græcas notas patet. Deinde annus Chriſti in eodem Slavonico Textu eſt hic, αχξγ', quem idem quoque Interpres literis Latinis exprimit, *a*, *ch*, *x*, *g*; & interpretatur, 1663. Atqui annus Chriſti 1663. non reſpondet anno mundi 7102. ſed, 7172. nam Græci & Moſchi natum Chriſtum volunt anno mundi 5508. ut eſt res omnibus nota: ex quo deducitur, errorem etiam ineſſe in notis numerabilibus anni Chriſti, & pro, αχξγ', 1663. legendum, αχξδ', 1664. Si enim annum mundi 5508., quo Chriſtus eſt natus, ſubtrahas ab anno 7172., quo Biblia Moſcuenſia ſunt impreſſa, remanet annus 1664. non 1663. Præterea graviſſime errat Interpres in conſignando anno ante Incarnationem, quo primum dicit juſſu Ptolemæi Philadelphi fuiſſe Biblia in Græcum ſermonem a ſeptuaginta Interpretibus converſa: *anno*, inquit, *ante Incarnationem Domini trecenteſimo quinquageſimo*: quo quid abſurdius? nam Ptolemæus Philadelphi, poſt Alexandri Magni obitum, qui contigit anno ante Chriſtum 323., Periodi Græco-Romanæ 5171. (ut oſtendit Uſſerius in Annalibus Vet. Teſtam. ex Plutarcho in Alexandro:) & poſt annos 50. quos Ptolemæus Lagides, Philadelphi pater, in Ægypto regnaverat, ab anno ſcilicet Periodi Græco-Romanæ 5171. ad annum 5220., ſeu ab anno ante Chriſtum 323. ad annum ante ipſius Chriſti nativitatem 273.; Ptolemæus, inquam, Philadelphus tum demum Regnum Ægyptiacum

cum iniit, videlicet anno Periodi Græco-Romanæ 5220., ante Chriſti nativitatem 273. Falſa itaque eſt hæc ſupputatio, qua in Codice Slavonico, tum Oſtrovienſi, tum Moſcuenſi, dicitur Græca Verſio a ſeptuaginta Interpretibus confecta ſub Ptolemæo Philadelpho *anno ante Incarnationem* 310. 308. *aut* 350. Sed redeo ad Biblia Moſcuenſia.

Poſt Titulum libri, & imagines Chriſti ac Deiparæ, infra & ſupra titulum poſitas, *verſus* nonnulli leguntur Slavonico idiomate compoſiti, in tres illas, ut inquit Kohlius pag. 30. quas Ruſſicum inſigne præfert coronas, caput Aquilæ regentes. Sequuntur preces ad Deum, gratias eidem agentes, quod auxilio ſuo ad optatum finem Bibliorum opus perduxerit. „ Inter alia Ducis „ Alexii Michaelovitzii in Deum pietate religioneque ſummis „ in cœlum laudibus elata, Divinæ ſupplicatur clementiæ, ut ſi „ quid forte in convertendis Bibliis erratum ſit, corrigere ac ſup„ plere ipſa velit. Toti denique Orientali Eccleſiæ, omnibuſ„ que Græco cœtui addictis, Slavonica lingua loquentibus, etiam „ atque etiam hic liber ad ſedulo legendum commendatur „. Proximum his locum tenet præfixa operi *Epiſtola*, qua quid præſtiterint editores in primis indicant. „ Et in prima quidem Præ„ fationis parte (*Kohl. pag.* 38.) ſacroſanctum divinarum rerum „ ſtudium extollitur, juſtumque ei pretium conſtituitur. Qua „ quidem occaſione pietatem, ſummaque in cœtum ſacrum me„ rita Ducis Alexii Michaëlovitzii iterum honorifice prædicant: „ ſubjunguntque, quantum huic Principi Slavonica gens Codice „ ſacro propemodum deſtinata, pro hoc edendorum Bibliorum „ beneficio debeat „. Primum eſſe ajunt *Alexium Michaëlidem*, qui de Bibliis vel recognoſcendis, vel divulgandis ſalutare conſilium inierit; quum nemo majorum ſuorum inſigni Regio coronatorum, ad hoc animum adjecerit. Exponunt deinde quid in hac Moſcuenſi editione præſtitum ſit ſingulare. *Primam fuiſſe errorum tollendorum curam: non pauci quippe in Codicem Oſtrovienſem irrepſerant, typographorum non minus, quam editorum, translatorumque culpa commiſſi errores: qui ſi non omnes, extantiores certe in noſtro Codice ſublati ſunt, pleriſque in margine certo quodam ſigno notatis. At libere tamen ac ſincere ipſi fatentur, loco ſupereſſe bene multa politius a doctis limanda & emendanda, majorique cum ſtudio accurationeque ad Græcum, quam ſequuti ſunt, ſeptuaginta Interpretum Verſionem exprimenda ac conforman-*

manda. Hanc eſſe tamen culpam ſuam negant, varia, quominus accuratioribus ſibi eſſe licuerit, impedimenta excuſantes. Primum quidem manuſcriptis, quibus illi tamen, qui ſcripta jam olim impreſſa corrigunt ac recognoſcunt, inſtructi eſſe debeant, Codicibus antiquis fideque dignis caruiſſe. Dein præſto fuiſſe negant in transferendi corrigendique negotio tales, quales ad id rite obeundum requiruntur, Slavonicæ juxta ac Græcæ linguæ bene gnaros, & ad minutiſſima quæque accurato ſtudio intentos laborum adminiſtros. Tempora denique cauſantur tranquilla minus, belloque neſcio quæ Ruthenis eorumque ſacris infeſta, quæ præter cætera multa, hoc ſecum incommodum ferre ſoleant, ut ſcientia plane omnis jaceat, cumque religione literæ divinæ pariter ac humanæ ſepeliantur. Magnam quoque hujuſce culpæ partem tribuunt maleſanæ quorumdam ineptorum hominum, qui jam tum Eccleſiam Ruthenam turbabant, hæreſi, qua nihil rectum, nihil Orthodoxum, niſi quod antiquis ſcriptis, erroribus licet varii generis quammaxime ſcatentibus, conveniat, opinentur. Qua fit, ut quidquid tandem in antiquis Eccleſiæ libris cum cura emendatum, & maculis, quæ jamdudum inſederant, repurgatum inveniant, non probent, ſed innovatum, ſacroque cætui damnoſum exiſtiment. Horum quantum fieri poſſit vel inſcitiæ &c. vel pertinaciæ cedendum putantes, corrigere omnia, ſi vel maxime ex autographis e Græcia allatis potuiſſent, conſulto tamen noluiſſe. Futurum quippe prævidebant, ut mutatum nimis Codicem cane & angue pejus fugientes, his contra ſe verbis uterentur: quam tu nobis apportas Verſionem depravatam penitus & corruptam? quid malum! ad nos e Græcia ſervitutis jugo oppreſſa, omnique plane doctrina nunc carenti, allata ſubleſtæ fidei manaſcripta? His aliiſque rebus, quæ accuratiorem Verſionem tum impediverint, obtentui ſumtis, inque excuſationem ſui allatis, ſatius quidem viſum fuiſſe dicunt, in tempus magis opportunum hoc edendorum Bibliorum negotium differre, quam minus accurata emittere. Sed morem gerendum fuiſſe juſſui ac voluntati ſummi Ducis impreſſionem urgentis, ſapienterque ita judicantis; conſultius eſſe præſentibus quibuſcumque uti, quam longiori mora interpoſita, animorum populi ſui ſalutem negligere ac retardare. Hactenus editores in Præfatione. Per hæreſim illam, quam ſupra delinearunt, intelligunt Schiſmaticos illos Ruthenos, qui *Raskolski* vocantur. Horum errores Archimandrita Roſtovienſis cap. 8. de libris veteribus & novis

novis in manuſcripto Slavonico apud Kohlium pag.42. refert. De iiſdem Tractatum pollicetur idem Kohlius in Præfat. de libris ſuis mox edendis num. 11. in hæc verba: „ Hiſtoria Ruthenæ „ Eccleſiæ Schiſmatica, ſive hiſtoria de ortu, & progreſſu ſectæ „ illius, quæ ſuperiori jam ſeculo, Niconis Patriarchæ tempori- „ bus, a Ruthena Eccleſia divortium fecit, quæque Raskolnika, „ hoc eſt, Schiſmatica, vulgo appellatur, ex fide dignis dome- „ ſticis monumentis hauſta, variis obſervationibus illuſtrata „. Kulcinius vero in Specimine Eccleſiæ Ruthenæ pag. 134. ubi agit de Gabriele Kolenda quadrageſimo nono Metropolita, eorumdem Schiſmaticorum meminit his verbis: „ Correxerat jam Ni- „ con ſacros libros, probantibus talem correctionem Epiſcopis „ Moſcoviticis, ſed acto ipſo in exilium, magna pars Cleri, tum „ Secularis tum Regularis rejecit hoſce libros, dictitans multis „ erroribus eos ſcatere: unde accedente plebe crevit ingens „ Schiſma, cujus aſſeclæ a quodam Philippo Anteſignano dicti „ fuere Philippoviani. Animadverſum in eos igne ac ferro; ſed „ hiſce nil proficientibus, pulſi omnes ex ditionibus Moſcoviæ, „ in quibuſdam albæ Ruſſiæ locis domicilia fixere, quorum erro- „ res Synodus Zamoſciana refert ac damnat Tit. 1. de Fide Ca- „ tholica pag. 57. „ Idem Kulcinius in Appendice ad librum citatum pag. 131. ſummatim narrat bella, quæ Alexius Michaëlides cum Polonis & Svecis geſſit: quæ ſane bella reſpiciunt editores Bibliorum Moſcuenſium, quum ajunt, ob quædam bella ſibi ſuæque Eccleſiæ infeſta factum fuiſſe, ut Biblia illa minus correcta in lucem prodierint. Porro poſt Præfationem, de qua hactenus loquuti ſumus, ſubſequitur in Codice ſacro Moſcuenſi *ſeries & ordo librorum veteris & novi Teſtamenti* Slavonice *Riadovvii Tzſchin*, hoc eſt, conſtitutus vel verus ordo, dictus. Catalogo librorum Sacri codicis ſubjicitur brevis expoſitio argumentorum in unoquoque veteris & novi Teſtamenti libro contentorum, Slavonice *Oglaweni Knigi Wetgago i Nowago Sawieta*. In calce totius operis ſequitur *Kalendarium*, de quo ſupra, inſcriptum, *Sowornik Dwanadeſatim Meſevam*, h. e. Collectio duodecim menſium. Demum ſuccedit *Ordo, vel Enumeratio Capitum Evangelicorum*, matutino tempore legendorum.

XI. Kalendarium Slavonicum Græco-Moſchum in libris

A Bibliis integris ad partem Bibliorum ſacrorum tranſeo. Exſtant *Kalendaria Slavonica* in libris *novi Teſtamenti* impreſſis. Horum primum prodiit anno mundi 7072. Chriſti 1564. curan-

te

Digitized by Google

novi Teſtamenti editis an. Chr. 1564 1630. 1702. & 1705.

te magno Duce Joanne Baſilide: quo de novo Teſtamento hæc Joannes Leonh. Friſchius in Diſſertatione de Slavonica lingua cap. 2. hiſtoriam Ruſſiæ typographicam breviſſimis quaſi lineis depingens apud Kohlium pag. 44. *Ruſſi*, inquit, *ab Urbe Moſcovia (vel potius Moſkua) Sede Tzaris, Moſcovitæ dicti, non inter ultimos fuerunt, qui Typographias inſtituerunt. Primum quidem Tzaris Johannis Baſilii filii Jwan Baſilewits curæ debent: e qua anno mundi 7072. prodierunt Evangelia, Acta Apoſtolorum, & Epiſtolæ Apoſtolorum, poſtquam integrum decennium Typographiæ huic adornandæ inſumptum eſt.* Typographi primi fuerunt *Jwan Hoderſon & Peter Timofioffson*. Altera novi Teſtamenti editio exiit anno Chriſti 1630. cura Innocentii Archimandritæ, cui titulus apud Kohlium pag. 127. *Liber novi Teſtamenti, in quo Pſalterium benedicti Prophetæ & Regis Davidis, benedicente Deo, precibuſque ſuis auxiliante Domino Patre Innocentio Riſiela, divina gratia Archimandrita &c. in Monaſterio, quod Kioviæ eſt Pezarskienſi. primum typis editus anno poſt nativitatem Chriſti 1630. menſe Decembri die* 20. Ita legendum conjicio, non *Indicta* 20. ut habet Kohlius; nam quis neſcit, Indictionem eſſe revolutionem annorum ab 1. ad 15. qua revolutione peracta, iterum ad unitatem rediri? In extrema libri pagina, *Typis impreſſus eſt liber hic in ſplendido & ſancto magnoque Monaſterio Kiovienſi Petzſarshienſi, Stauropegii Archiepiſcopi Conſtantinopolitani, Patriarchæ Oocumenici. Kalendarium*, quod in fine adjectum eſt, eleganti manu colore rubro nigroque pictum, itemque lectiones Evangeliorum & Epiſtolarum ſecundum uſum Græcorum, & reliqua eodem modo, quo cæteræ novi Teſtamenti editiones, exhibet. Tertia novi Teſtamenti editio Slavonica lingua, lucem vidit an. Chr. 1702. juſſu Magni Ducis Petri Alexiovitzii, hoc titulo prænotata apud eundem Kohlium pag. 179. *In gloriam unius ſubſtantialis, vivificantis & indiviſæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Sancti Spiritus, juſſu Chriſtianiſſimi Magni Domini noſtri Zzar, & Magni Ducis Petri Alexiovitzii, totius magnæ, & parvæ & albæ Ruſſiæ Autocratoris: & maxime illuſtri proſapia orti Domini noſtri, Zzaaris filii, Alexii Petrowitzii; benedictione autem ſanctiſſimorum Archiſacerdotum, Patriarcharum locum tenentium, impreſſus hic liber benedictus novi Teſtamenti in Czarenſi magna Civitate Moſcua, anno mundi* 7210. *poſt natum Chriſtum anno* 1702. *Indict.* 10.

menſe

Digitized by Google

menſe Februario. Singulare hoc Codex habet, quod Apocalypſis S. Joannis, quæ in aliis Codicibus eſt reliquis novi Teſtamenti libris conjuncta, hic plane disjungitur, & poſt *Kalendarium*, & *Catalogum Feſtorum* ponitur. Ejuſdem *Petri magni* juſſu anno 1725. Quarta novi Teſtamenti editio in lucem eſt emiſſa, quæ ab aliis parum aut nihil differt.

CAPUT IX.

Quinam operam ſuam in æri incidendis, & elucidandis Ephemeridibus Græco-Moſchis contulere: & primum de Ruthenico Kalendario Poſſevini.

PRIMUM de iis loquar, qui in Tabulis noſtris æri incidendis laborem ſuum operamque contulere: deinde de iis, qui Kalendarium Ruthenicum quoquomodo Latina interpretatione aut notis illuſtrarunt: quo fiet, ut ſua laus unicuique docto viro pro impenſis ad literariam Rempublicam juvandam ſtudiis tribuatur.

I. In æri incidendis Tabulis Græco-Moſchis Capponianis, operam ſuam contulere Monachi Baſiliani Rutheni Matthæus Caramanius Illyricus, & P. Joſeph Vulpius Soc. Jeſu.

Quum Illuſtriſſimus Marchio Capponius Tabulas ſuas Græco-Moſchas æreis inciſas formis accuratiſſime, quoad fieri poſſet, in lucem emittere decreviſſet, eorum operam ad id munus ſibi perneceſſariam eſt ratus, qui Slavonicas Ruſſorum literas apprime callerent. Itaque primum quidem curam adhibuit Baſilianorum Monachorum Spiridionis Czapiovii, & Joſaphatis Dedulii, qui in Romano Græcorum Collegio Philoſophicis ac Theologicis ſtudiis operam navabant; poſtea vero Cl. Viri Matthæi Caramanii Illyrici Sacerdotis, qui quum Miſſalis Illyrici editionem curaſſet, brevemque linguæ Illyricæ Grammaticam typis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide edidiſſet, ad Inſulas Archiepiſcopales Civitatis Jaderæ in Dalmatia eſt evectus. Suam quoque ſymbolam in emendanda Tabularum inciſione contulit V. Cl. Vulpius Soc. Jeſu, quemadmodum ipſe in Diſſertatione de Tabula, quam Græco-Palæſtinam vocat, compoſita ante diem XIII. Kalen. Februar. anno a Virginis partu 1740. de eadem Tabula, deque noſtris Græco Moſchis ad Marchionem Capponium ſcribit in hæc verba. *Quare optime factum abs te, Vir Clariſſime, in hujuſce ſacri præclariſſimique Monumenti liberaliter procuranda editione: quemadmodum nuper in egregiis Tabulis*

Græco-Moſchis Sanctorum totius anni ſeriem pulcherrime exhibentibus, in eruditiſſimo pariter Muſeo Tuo nobiliſſime aſſervatis, feciſti. Quas & calamo delineari, & æreis tabulis incidi, & prælo excudi ſapientiſſime demandaſti: eaſdemque peculiari doctiſſimo commentario illuſtratas ab Viro clariſſimo Joſepho Aſſemano Syro Maronita Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtode meritiſſimo, in publicum ad communem literatorum utilitatem atque doctrinam prodire voluiſti. In quibus emendandis, & ad autographum recenſendis, me quoque opellæ nonnihil contuliſſe mihi gaudeo: quum a Te, ſuperiore anno (1739.) expreſſa illarum ex æreis inciſis formis exemplaria recolenda acceperim; eaque Baſilianorum Alumnorum Græci Collegii hujus mei, ſcilicet, Spiridionis Czapiovii, & Joſaphatis Dedulii Ruthenorum præſidio adjutus, a quamplurimis, quibus ob deſcriptoris atque inciſoris imperitiam, in tanta peregrinarum notarum conciſarum exiguitate, ſcatebant, perpurgata Tibi remiſerim. Quibus ſecundis curis & tertias Cl. Viri Matthæi Caramanii Illyrici Sacerdotis prudentiſſime adhibere decreviſti, ut, quatenus fieri poſſet, humanitus prodirent quam emendatiſſime.

II. Kalendarium Ruthenicum Antonii Poſſevini.

Hactenus de æreis inciſis formis. Quod vero ſpectat ad Kalendarium ipſum Ruthenicum, ſive Græco Moſchum, quod figuras & nomina Sanctorum Slavonicis literis expreſſa repræſentat, primus omnium Antonius Poſſevinus in *Apparatu Sacro* pag. 174. *Venetiis apud Societatem Venetam anno Chriſti* 1606. Latine evulgavit *Faſtos Ruthenicos*, quos idem pollicitus fuerat ſe ſubjecturum ei libro, quem *de rebus Moſchoviticis* anno 1581. ad Gregorium XIII. Pontificem ſcripſit: Sic enim loquitur de divinis Ruthenorum officiis & Kalendario in ſecundo Commentario edito Vilnæ anno 1586. pag. 8. *Jam quod attinet ad ſacrum, officiave divina, hæc omnia Ruthenice, ſeu potius lingua Moſchovitica recitantur, quæ fere prorſus eadem eſt, qua ſubditi Poloniæ Regis Rutheni utuntur. Libros autem omnes ipſi deſcribunt, nec typis cudunt, niſi quum pro ipſo tantum Principe aliquid prælo ſubjicitur, in oppido, quod Sloboda Alexandreska dicitur, ubi Typographiam habet: idque oppidum nonaginta Italicis milliaribus, quæ ipſi Verſtas nominant, Moſcua diſtat. Cæterum quos ipſi libros fere lectitant, aut etiam peritiores Monachi verſant, eorum nomina, quantum hoc tempore aſſequi potuimus, erunt in calce hujus narrationis adſcripta, unacum illorum*

Ka-

Kalendario, ex quo intelligi poſſit, quorum anniverſarios dies Sanctorum celebrant, vel item aliorum, quorum ſanctitas Latinis & Græcis necdum innotuit. Hæc Poſſevinus pollicetur: non tamen præſtitit, niſi in Apparatu ſacro loc. cit. ubi Kalendarium Ruthenicum deſcribit, in hæc verba: *Kalendarium autem Ruthenorum, quod tam in Moſcovia, quam in reliqua Ruſſia eſt in uſu, huc adjicimus, ut conſtet, quam multorum memoria quoque in eorum Anniverſariis habeatur, quorum Eccleſia Catholica ſemper mentionem fecit. At item in eodem Kalendario ſunt multi, quos non agnoſcimus, ſive quoniam fuere Schiſmatici, ſive quod eorum vita nobis haud innotuit. Sciendum eſt autem, eos a menſe Septembris ſuum Kalendarium, ſicuti & annum incipere.*

Iſtud Kalendarium, ſicuti eſt a Poſſevino editum, nos in tertia Parte hujus Libri deſcribemus, expendemus, palamque faciemus, Sanctos omnes qui ibi recenſentur, nequaquam fuiſſe Schiſmaticos, ſed vere Sanctos, eorumque vitam e Græcis orthodoxis Menæis eſſe petendam, præter diem 24. Julii, quo fit commemoratio *SS. Boriſii & Klebæ*, qui a Græcis quidem Menæis abſunt, ſed in omnibus Ruthenicis ſequioris ævi coluntur. Hos Kulcinius vocat *Boriſum & Hlibum*, dictos in Baptiſmo *Romanum, & Davidem*. Synodus Zamoſciana a Sacris Congregationibus de Propaganda Fide & Concilii examinata atque probata, necnon a Summo Pontifice Benedicto XIII. confirmata, *tit. de Jejun. & Feſt.* pag. 121. Feſtum horum Sanctorum Martyrum *Romani & Davidis* tum die 24. Julii, qua obitus, tum die 2. Maji, qua translatio eorumdem recolitur, inter Feſta de præcepto connumeravit, & ita in Lithuania ab orthodoxis Ruthenis celebrari juſſit. Quamobrem Poſſevinus hac in re non eſt audiendus, tum quia dubitationem immerito movet de vera eorum ſanctitate, qui in eo Kalendario recenſentur; tum etiam quia eorumdem Sanctorum nomina ſic turpiter corrumpit, ut niſi cum aliis Kalendariis comparentur, vix intelligi queat, hircocervorum ne, an hominum nomina ibi ſint deſcripta. Unde Kulcinius in eum hac cenſura merito invehitur in Specimine Eccleſiæ Ruthenæ Par. 2. p. 93. ubi de S. Bartholomæi Apoſtoli Tranſlatione. „ Ruthenice ſeu Moſcovitice Bartholomæus exprimi„ tur Varſtolomey. Hinc valde miror Poſſevinum virum adeo „ illuſtrem, prout dictionem Volphromi, ſic & alias plurimas „ ineptas, inſulſas, & plane monſtroſas auſum fuiſſe in publi-

Digitized by Google

„ eum producere: debuit enim ſane meliorem adhibuiſſe dili„ gentiam, aut fideliorem quæſiviſſe interpretem „. Hæc in anteceſſum monuiſſe juvat, nequis vocibus illis tam barbaris exterritus, Kalendarium Ruthenicum a Poſſevino evulgatum, cui ſuum cæteroquin, nec exiguum, pretium ineſt, tamquam rem nihili, parvipendat.

III. Animadverſiones in Antonii Poſſevini de rebus Moſcoviticis librum. Prima, quod Ruthenos ait a Græcis Schiſmaticis Chriſtianam fidem accepiſſe.

Atque hæc de Kalendario Ruthenico Poſſevinjano dicta ſunto. Cæterum in ſuo de Moſcoviticis rebus libro idem Poſſevinus tria de Ruthenis tradit, quæ hic ſunt maxime notanda. Primum, pag. 2. Ruthenos a Græcis Schiſmaticis fidem Chriſtianam accepiſſe: „ Quibus autem, *inquit in commentar.* 2. in uni„ verſum Moſci erroribus implicantur, ex eo intelligi poteſt, „ quod ante quingentos annos, Duce Moſcorum Volodimero, „ Chriſtianam fidem a Schiſmaticis hæreticis acceperunt. Ea im„ buti, ac proinde maximo ſeſe beneficio devinctos putantes, fa„ cile crediderunt, quicquid de Latinis Græci (Romanæ gloriæ „ atque pietatis æmuli) obloquebantur. In ea vero opinione „ alti, & a teneris educati, chronicaque corrupta legentes, nec „ habentes qui iſtas ex eorum animis calumnias ſerio poſſent ab„ ſtergere, a Catholicis valdè abhorruerunt. Itaque quum in„ gens alicui malum imprecantur; utinam te, inquiunt, Latinæ „ fidei videam. Quum vero imaginem aliquam piam ex iis, qui„ bus Catholici utuntur, a ſuis ſimplicioribus coli animadver„ tunt: ne colas, ajunt, quia noſtræ fidei non ſunt „. Verum hoc, quod Poſſevinus de origine Chriſtianæ fidei Ruthenicæ a Schiſmaticis acceptæ aſſerit, falſum eſſe, nos infra demonſtrabimus; demonſtravit & cl. Papebrochius in præfat. ad Ephemerides Græco-Moſchas num. XI. pag. 3. „ Ad Ruſſos quod attinet „ quorum pars una Moſcoviam conſtituit, altera Poloniæ Regi „ nunc paret unacum Lithuanis) oſtendit Magiſter meus Gode„ fridus Henſchenius, fidem Chriſtianam primum apud ipſos „ prædicatam, aut ſaltem ſtabilitam eſſe circa annum 990. a Mi„ chaële quodam, qui miſſus illuc a Nicolao Chryſoberga, Pa„ triarcha Conſtantinopolitano, vere orthodoxo, & unionis cum „ prima Sede retinendæ ſtudioſiſſimo, Wolodomirum baptiza„ vit, eique in matrimonium conjunxit Annam, Baſilii & Con„ ſtantini orthodoxorum Imperatorum Sororem, ex qua natus „ Jaroslaus, imperii ac fidei hæres factus eſt, non tamen abſque „ fratrum & cohæredum cæde atque injuria; & genuit Annam,

„ Hen-

Digitized by Google

„ Henrico I. Galliæ Regi deſponſam an. 1051. quæ deinde, eo
„ mortuo vidua, ſecundis nuptiis juncta fuit Rodulpho II. Cre-
„ piaci atque Valeſii Comiti, teſtibus Sanmarthanis in Hiſtoria
„ Genealogica; tandemque hoc etiam mortuo, in patriam rediit,
„ utique optima Catholica, & fundata apud Silvanectum S. Vin-
„ centii Eccleſia memorabilis „. Sero poſtea Ruſſos in Schiſma Græcanicum prolapſos, idem Papebrochius oſtendit num. cit. cujuſmodi ſententiam nos alibi expendemus. Alieni autem a Latinis Ruſſorum animi, quemadmodum a Poſſevino narratur, potiſſimum fundamentum Papebrochius id eſſe veriſsime ſcribit, quod non alios fere Latinos ſub Joanne Baſilide noſſent, quam Lutheranos, eorum judicio vix Chriſtianos. Ante Joannis vero Baſilidis tempora idcirco a Romana Eccleſia eos abhorruiſſe, quod Schiſmatici eorum Metropolitæ, quales poſt annum 1300. nonnullos fuiſſe certum eſt, Græcanicas in Latinos calumnias, a Michaële Cerulario longe lateque per Orientem diſſeminatas, in Ruſsiam invexerint.

IV. Secunda animadverſio, quod Poſſevinus aſſerit, Sanctos quoſdam a Ruthenis coli, qui Schiſmatici fuerint.

Alterum pag. 15. Sanctos quoſdam a Ruthenis coli, qui Schiſmatici fuerint. „ Præterea, *inquit Poſſevinus*, non minima
„ difficultas eſt, quæ Moſcos in ſchiſmate detinet, quod (licet
„ res plane fabuloſa ſit) corpora quorundam, qui Schiſmatici
„ fuerunt, integra ſeſe habere gloriantur, per quos miracula fre-
„ quenter edi, cæcis viſum reſtitui, ægrotos ſanari, conſtanter
„ affirmant. Ut plurimi periculi res eſſe videatur, ſiquis illo-
„ rum corporum elevet præceptam animis ſanctitatem, aut quaſi
„ dubius quærat, num ii vere Sancti, Martyreſve fuerint. Inter
„ alios autem numerantur Cleba & Boris, Petrus Metropolita,
„ Alexius, quorum corpora exſtare ajunt Moſcoviæ: Sergius
„ item quidam Monachus ante undeviginti annos mortuus, qui
„ in Monaſterio Trinitatis aſſervatur, procul ab ea Civitate mil-
„ liaribus Italicis ſexaginta. Quo in Monaſterio ducenti circiter
„ Monachi eſſe feruntur, univerſæ Moſcoviæ primario ac ſatis
„ opulento. Eo vero ad diem ipſius Sergii anniverſarium cele-
„ brandum etiam Princeps ex arce Stariciæ, triduo poſt diſceſſum
„ noſtrum (quum decimo octavo Kal. Octobris verſus Pleſco-
„ viam in viam nos dediſſemus) excurrit, inde in Slobodam
„ Alexandri oppidum, mox ad ſuam Regiam profecturus „.
Verum Papebrochius conſtanter pronunciat num. 20. pag. 6. tum commemoratos a Poſſevino, tum alios, quos Moſcovia colit, in San-

Digitized by Google

Sanctorum numero eſſe habendos: „ Interim, *inquit*, ut eo un-
„ de digreſſa eſt, revertatur oratio, & remotum maneat im-
„ pedimentum quod alias ferme inſuperabile imaginabatur ſibi
„ Poſſevinus, ex parte eorum, quos gentes Ruthenicæ colunt
„ Sanctorum, quoſque veteribus Græcis permixtos habent hæ
„ figuratæ Ephemerides; videtur (ſalva ſemper majoris certio-
„ riſque auctoritatis reverentia, & poſito ſemel principio noſtro,
„ de fide Orthodoxa ab Orthodoxis Græcis apud Ruſſos conſti-
„ tuta) videtur, inquam, dubitari non debere, quin vere San-
„ cti, Orthodoxique & extra Schiſmatis culpam poſiti poſsint ha-
„ beri ii omnes, quos nunc Moſcovia, quantumvis Schiſmatica,
„ colit ut Sanctos. Numquam enim hanc de iis opinionem gens
„ tota aſſumptura erat, niſi excellens quædam ac ſingularis vir-
„ tutum Chriſtianarum claritas, certis indubitatiſque miraculis
„ nixa, atque poſt mortem probata, eandem induxiſſet. Si
„ enim credimus (uti credere poſſumus, fortaſſis & debemus,
„ niſi integræ maximæque nationi eam negamus fidem, quam
„ putamus in re ſimili dandam noſtræ:) ſi, inquam, credimus,
„ frequentiſſima eſſe & vera miracula, quæ ad Deiparæ, Sancti-
„ que Nicolai & aliorum quorundam nobis quoque notorum Pa-
„ tronorum religioſam invocationem patrantur (utpote non
„ aliud quam Orthodoxum cœlitum cultum affirmantia, neque
„ ad ſtabiliendum Schiſma ullatenus trahenda:) cur ea quæ
„ apud Indigetum ſepulcra fieri dicuntur, habebimus erroris
„ impoſturæve ſuſpecta, quamdiu nulla affertur in contrarium
„ ratio, quæ ejuſmodi credulitatem evertat, niſi ſola præſum-
„ ptio ſchiſmatis, ut ita loquar, originalis, erroneo ut vidimus
„ principio nixa? cur in eo, de cujus contrario nobis non con-
„ ſtat, ponemus ſimplici populo ſcandalum, & optatæ unionis
„ impedimentum fere inſuperabile, abrogari jubendo partem
„ traditæ a majoribus religionis „? Ut vero omnia hic comple-
ctar, quæ Papebrochius affert, ad hanc rem oſtendendam, *omnes eos ſcilicet, quos nunc Moſcovia quamtumvis Schiſmatica colit, in Sanctorum numero eſſe vere collocandos*: addit idem Papebrochius num. 12. pag. 4. aliud argumentum ex eo petitum, quod, quamquam Græci Ruſſique ipſi Duces ac Metropolitæ fuerint aliquando Schiſmatici, non tamen tota gens Ruthenica Schiſmatica fuit, aut quid eſſet Schiſma intellexit, adeoque fieri potuit, ut vere Sancti fuerint ii omnes, qui in Kalendario Rutheni-

thenico coluntur. Verba ejus hæc ſunt. „ Verum inquies, ut „ bene Catholici fuerint Græci ſub Imperatoribus Baſilio & Con„ ſtantino; non tamen in unione Romana tenuere conſtantiam, „ ſed identidem relapſi ſunt in ſuum Schiſma varioſque errores: „ Metropolitis autem Moſcorum in uſu perpetuo fuit, uſque ad „ medietatem Seculi XVI., confirmationem ſuam a Patriarcha „ Conſtantinopolitano expetere. Sit ita ſane: ſed an continuo „ & toties Schiſmatici Moſci, mox, & quoties Græci a Romana „ unione reſilierunt? non exiſtimo. Sequeretur enim toties ite„ rum fuiſſe Catholicos, quoties ad eandem iſti rediverunt. „ De Græcis autem dixit Poſſevinus, quod omnino *quaterde„ cies publica confeſſione ſe nobis adjunxerint*: idque fere de ſe„ ptem ultimis ſeculis intelligi debet. Univerſim ergo de Mo„ ſcis videtur dici poſſe, & quidem jure multo majori, quod „ de Caſſinatibus pronunciavit Baronius ad annum 1136. quum „ narraſſet miraculum apertarum ſponte ad eorum preces ja„ nuarum Eccleſiæ tum, quum ipſi Anacleto II. Antipapæ contra „ Innocantium II. adhærebant. Non ſimul, *inquit*, ac Abbas „ vel Epiſcopus aliquis Schiſmaticus eſt, neceſſe eſt omnes ſibi „ ſubditos pariter eſſe Schiſmaticos: ſed illos tantum, qui certo „ ſciunt ſuum errare Præſulem. Cæteros autem dico non pecca„ re, qui perſuaſibilibus rationibus putant ipſum recta incedere „ via, & ſe verum ſequi Paſtorem; nec tanta ineſt ipſis doctri„ na, vel adeo explorata rerum geſtarum cognitio: hoſque ſua „ ipſorum bona conſcientia reddi crimine liberos. Sicut & tunc „ eveniſſe putamus, nimirum quod, etſi Abbas, & ex Præfectis „ aliquis apud Deum, & ejus Eccleſiam rei fuerint; ſimplicio„ res tamen his ſubditi, bona fide & conſcientia pura cuncta ge„ rentes, divinis tantum rebus vacantes, omnis curioſitatis ex„ pertes, nullo modo, (ut Canones docent) rei fuerint tanti „ criminis. (*Hactenus Baronius*). Si enim hoc valet in tam „ conjunctis, quam ſunt cum ſuo Abbate Monachi; quanto id „ magis valere debuit in Moſcis, qui lingua moribuſque diver„ ſiſſimi a Græcis, plerumque nec ſciebant, conjuncti an ſejun„ cti eſſent Latini & Græci inter ſe; ſolum autem conſiderabant „ ſuam ab initio ſuſceptæ fidei erga Conſtantinopolitanum Pa„ triarcham ſubjectionem „? Demum, poſtquam enarraſſet, Eccleſiam Ruthenam unionem cum Romana identidem profeſſam fuiſſe per Epiſcopos & Duces ſuos, poſtque diſcuſſa præju-

dicia,

Digitized by Google

dicia, quæ Latinis crearat hæreſis Lutherana, ſpem novam affulſiſſe ait circa annum 1669. & 1673. ab erroribus quibuſdam ad ſanam doctrinam reducendæ gentis, ignorantis potius, quam partinacis. *Quid autem*, inquit, *aliud judicaſſent homines pii magis, quam eruditi? quum hinc intelligerent varietatem ritus non ſcindere, ſed ornare Eccleſiam: utpote cum ipſis Apoſtolis cœptam: inde vero, ſublatis, quæ Lutheranorum abominationes nobis creaverant, præjudiciis, putarent, nullam, aut vix ullam eſſe ſibi nobiſque in fidei profeſsione differentiam; eo dumtaxat excepto, quod Nicænæ* (Conſtantinopolitanæ) *formulæ addamus verbum*, Filioque; *ipſi vero id non putent faciendum, non tam quia mordicus ſuſtinent a ſolo Patre Spiritum Sanctum procedere*, (*quum eorum Clerus, Regularis æque ac Secularis, omni Theologico ſtudio careat domi, foris autem diſcere non permittatur*): *ſed quia veteris ſuæ fidei retinentiſsimi, omnem in ea alterationem, etiam explicationis cauſa factam, reformidant; quod genti ſimplici non magno ſane vitio verti debet*. Hucuſque Papebrochius: cujus ſententiam ambabus, ut ajunt, ulnis amplectitur & laudat Ignatius Kulcinius in Præfatione ad Specimen Eccleſiæ Ruthenæ. Eadem fuerat ante Papebrochium ſententia de Ruthenis P. Joannis Kuleſza Societatis Jeſu, qui in Libro Polonico a ſe edito Vilnæ anno 1704. (cui titulus, *Fides orthodoxa*) probat, Ruſſos cum S. Uladimiro fidem Catholicam ſuſcepiſſe, eandemque fidem ſemper viguiſſe in Ruſſia, & hujus Primates omnes, ſi duos tantum exceperis, Photium ac Jonam II., orthodoxos fuiſſe: idque, ut ait, auctoritate Patrum Kuiatkievicz, Koialovicz, & Cichovii, probatiſſimorum ex eadem Soc. Jeſu Scriptorum. Quid vero nobis hac de re ſentiendum ſit, infra exponemus.

V. Tertia animadverſio, de libris e Græco in Ruthenicum converſis, quos Poſſevinus enumerat.

Tertium, quod de Ruthenis notat Poſſevinus, eſt hoc. Ait pag. 8. in lib. 2. de rebus Moſcoviticis, Jovium allucinatum fuiſſe, dum ſcribit, quatuor Eccleſiæ Latinæ Doctores, eorumque ſcripta apud Ruthenos in ſumma veneratione eſſe. „ Quod „ autem in ſuo de Moſcovia commentario ſcripſerat Jovius, „ quatuor Latinæ Eccleſiæ Doctorum & aliorum Patrum ſcripta „ circumferri apud hanc gentem, in ejus linguam converſa „ (quam item Slavicam eſse putabat) id nondum reſciri potuit, „ licet a me accurate perquiſitum ſit. Quin vero, ne illorum „ quidem nomina huc pervenisse, ſatis veriſimile eſt, quod ea,

„ præ-

„ præter D. Ambroſii nomen, in eorum Kalendario (in quo ta-
„ men quorumdam Pontificum Romanorum, Sylveſtri, Grego-
„ rii Magni, & aliorum mentio fit) non ſunt inſcripta. Et qui-
„ dem illa apud aulicos ipſos, qui ſolent Principem comitari,
„ fuiſse videntur hactenus inaudita. Nec vero Slavicam linguam
„ norunt, niſi quantum hæc cum Polonica, Ruthenica, & aliis
„ ejuſmodi ſic habet affinitatem, ut quem Moſcuam miſi Sacer-
„ dotem, natione Slavum, is pleraque jam multa Moſcoviticæ
„ linguæ ſtatim aſsequebatur, quum contra Moſci Slavicam dif-
„ ficilius percipere viderentur „. Libros Patrum, Scriptorumque, e Græco in Ruthenicam linguam converſos, idem Poſsevinus tam in Lithuania, quam in Moſcovia, dum eas regiones obiret, a ſe perquiſitos, & in manus ſuas perveniſse, Ruthenico ſermone conſcriptos, hoſce enumerat in Apparatu ſacro, v. *Rutheni*, pag. 173. in quorum tamen numero Latini Doctores nequaquam recenſentur. 1. *Liber dictus, Canones & norma Sanctorum Apoſtolorum, & Sanctorum Patrum.* 2. *Liber Magni Baſilii, ideſt, Quadrageſimales Conciones.* 3. *Liber Gregorii Theologi Nazianzeni.* 4. *Chryſoſtomi in Pſalterium explicatio.* 5. *Actorum Apoſtolorum explicatio.* 6. *Quatuor libri Collationum Sanctorum Evangeliſtarum.* 7. *Margarita.* 8. *Theodoreti in Pſalterium explicatio.* 9. *Liber Cyrilli Hieroſolymitani.* 10. *Liber Gregorii Ameriſtei.* 11. *Liber Gregorii Sinaitæ.* 12. *Liber Gregorii Humilis, minimi, Nyſſeni.* 13. *Liber Joannis Climaci.* 14. *Liber Iſaaci Sirinæ.* 15. *Liber Euphemii Sirinæ.* 16. *Liber Theodori Studitæ.* 17. *Liber Petri Damaſceni.* 18. *Liber Joannis Damaſceni.* 19. *Liber Anaſtaſii Sinaitæ.* 20. *Liber Abbatis Dorothei.* 21. *Tres libri Niconis Magni.* 22. *Simeonis Metaphraſtis.* 23. *Sententiæ plures ex Panario S. Epiphanii, & ex Limone, ſeu Prato ſpirituali: atque ex multis Sanctis Patribus qui Synodis interfuerunt.* 24. *Liber Maximi Confeſſoris.* 25. *Maximi Philoſophi.* 26. *Liber Nicolai Cabaſilæ.* 27. *Liturgiæ explicatio ejuſdem Cabaſilæ.* 28. *Liber Syllogiſmorum.* 29. *Liber Gregorii, dictus duorum verborum, in quo agitur de rebus moralibus. Alii vero libri Patrum Sanctorum extant verſi in linguam Slavicam, ſive Slavonicam.* Hactenus Poſsevinus de libris Ruthenicis, quorum tamen nonnullos aut non intellexit, aut e Ruthenico in latinum ab interprete male converſos edidit. Ut vero genuinum eorum titulum, ſaltem conjectando, Lector aſse-

quatur, Primus liber continet *Canones Apoſtolorum & Conciliorum*. Secundus, *orationes Baſilii magni*, in Quadrageſima recitandas. Tertius, *Homilias Gregorii Nazianzeni*. Quartus, *Chryſoſtomi commentaria in aliquot Pſalmos*. Quintus, fortaſſe ejuſdem Chryſoſtomi, in *Actus Apoſtolorum*. Sextus, ejuſdem *in Evangelia* Joannis & Matthæi: aut potius Joannis Ilinski concordantia Evangeliſtarum, de qua infra ſermo erit. Septimus, *Margarita*, videtur eſſe Chryſoſtomi ἐκλογαί, ſeu Florilegia per Theodorum Magiſtrum. Octavus, *Theodoreti* in Pſalmos. Nonus, *Cyrilli Hieroſolymitani* catecheſes. Decimus, *Gregorii* Neocæſarienſis, cognomento Thaumaturgi, Fides, & Epiſtola canonica. Undecimus, *Gregorii Sinaitæ Monachi* capita aſcetica, de quibus in Bibl. Vindobon. Cod. Theol. CXCII. fol. 241. & Cod. Theol. CCI. fol. 167. Duodecimus *Gregorii Niſſeni* opera, qui ad Nazianzenum relatus dicitur *humilis minimus*, h. e. Gregorius minor: nam ille major audit. Decimus tertius, *Joannis Climaci* Scala. Decimus quartus, *Liber Iſaaci Syri*, qui perperam Sirina, de contemptu Mundi. Decimus quintus, *Liber Ephræm Syri*, qui male Euphemius Sirina: quo de libro late differit Kohlius in hiſtoria Codicis Ephræmiani Slavonici. Decimus ſextus, *Theodori Studitæ* homiliæ Catecheticæ. Decimus ſeptimus, *Petri Damaſceni* ſermones aſcetici, de quibus Caveus Tom. 2. hiſtor. Liter. diſſertat. 1. pag. 14. Decimus octavus, *Joannis Damaſceni* opera. Decimus nonus, *Anaſtaſii Sinaitæ* Hodegis, & alia. Vigeſimus, *Dorothei Abbatis* doctrina de vita recte & pie inſtituenda in Auctario Duceano Tom. 1. pag. 743. Vigeſimus primus, *Niconis Magni* tres libri, ideſt, Pandectes, de quo libro vide catalogum Codicum manuſcriptorum Bibliothecæ Regiæ Pariſienſis Tom. 2. pag. 168. & pag. 212. Cod. manuſcr. 876. 877. 878. 879. 880. 1077. Vigeſimus ſecundus, Collectanea ex Panario Epiphanii, & Prato Spirituali Joannis Moſchi. Vigeſimus tertius *S. Maximi Confeſſoris* opera Didactica, & aſcetica, de quibus Caveus tom. 1. hiſt. Liter. pag. 322. Vigeſimus quartus, *Maximi Philoſophi*, nimirum Planudæ, de quo Caveus tom. cit. pag. 23. in Appendice. Vigeſimus quintus & ſextus *Nicolai Cabaſilæ*, Nili Theſſalonicenſis ex ſorore nepotis, opera apud eundem Caveum tom. cit. pag. 30. Vigeſimus ſeptimus, *Liber Syllogiſmorum*, fortaſſe Porphyrii Iſagoge. Vigeſimus octavus, *Gregorii magni Papæ Dialogi*, qui liber perperam dicitur duorum verborum.

Joan-

Digitized by Google

Joannes Petrus Kohlius in libro, cui titulus; *Introductio in hiſtoriam & rem literariam Slavorum*, *Altonaviæ* 1729. de libris Ruthenorum §. 1. pag. 3. hæc ſcribit. „ Plerique libri Ruthenorum e Græco ſermone a Græcis, quorum magna ſemper „ in his terris frequentia, ipſorum ſermone in Slavonicum, „ pauciſſimi vel omnino nulli in linguam Ruſſicam, ſunt tranſ„ lati. Hujus generis magnum numerum ſuppeditat Bibliothe„ ca Cæſarea Moſcuenſis, cujus Catalogum nondum editum, „ quem clariſſimus ac politiſſimus Vir Bibliothecæ Academicæ „ Petroburgenſis Præfectus J. D. Schumacherus liberaliter me„ cum Petropoli communicavit, poſſideo. In quo, præter Co„ dices Græcos manuſcriptos, in clariſſimi Schiadæ Catalogo jam „ reperiendos, non exiguus etiam numerus Slavonicorum libro„ rum, in primis Græcorum Patrum in Slavonicum translato„ rum, Johannis Chryſoſtomi, Baſilii, Iſaaci Syri, Johannis Cli„ maci (Leſtwiza Slavonice dicti) aliorumque exhibetur. Sed „ & non pauci ex Latino idiomate tranſlati libri proſtant. Ho„ rum inter rariores referendi ſunt duo priores Tomi Hiſtoriæ „ Eccleſiaſticæ Baronii, quos a nemine, quod ſciam, ullibi com„ memoratos, neſcio quo loco impreſſos in folio, Petropoli ali„ quando inter alios Slavonicos libros ad vendendum expoſitos „ videre mihi contigit. De aliis libris e Latino, Italico, & „ Germanico in Slavonicum converſis, quorum Catalogum nu„ perrime auxit Samuelis Puſendorfii de officio hominis & civis „ liber, a doctiſſimo quodam Archimandrita in Ruthenam, quæ „ ipſi vernacula eſt, linguam traductus „. Idem Kohlius lib. cit. alios nonnullos libros Slavonicos, præter ſacros Codices novi ac veteris Teſtamenti, laudat: nimirum in Præfat. de ſuis opuſculis num. 1. *Liber manuſcr. Slavonicus Bibliothecæ Iohanneæ Hamburgenſis*, *cui titulus*: *Concilium ultimum Moſcoviticum*, *concernens remotionem Patriarchæ Niconis*, *qui varias fovebat opiniones orthodoxiæ contrarias*. Num. 3. *Liber*, *qui de Fide inſcribitur*, *de quo Nicolaus Bergius in tractatu de Religione Ruthenorum pag.* 78. *Poſt ſacram Scripturam & Patres*, *ſummas deferunt libro*, *qui dicitur ipſis*, *Kniga o Wierie*, *de fide Liber*, *de quo nonnulla monenda*, *quum de libris Moſcoviticis erimus ſoliciti*: *Quantum enim nobis hactenus conſtitit*, *recipitur hic liber de fide non tantum a Roskolskianis*, *ſed & reliquis in univerſum Ruſſis*, *ut proinde ejus teſtimonium magni fecerimus*. Integer

VI. Libri Slavonici a Johanne Petro Kohlio recenſiti.

titulus libri, Kohlio auctore, eſt hic: *Knigo o Wierie jedinoi, Swiatoi, Sabornoi, Apoſtolskoi Tzerkwe*: h.e. *Liber de fide unius Sanctæ, Catholicæ, Apoſtolicæ Eccleſiæ*. Num. 4. *Syſtema religionis Muhamedanæ, quod Moldaviæ Princeps Demetrius Cantemirius lingua Slavonico-Ruthenica, divulgavit Petropoli*; Kohlius autem in Latinum convertit, variiſque obſervatis auctum, præmiſsa Prefatione de iis, qui ad hanc memoriam noſtram, Turcarum religionem literis conſignarunt, Scriptoribus illuſtravit. Lib. 2. pag. 304. „ Liber Sanctiſſimi Patris noſtri Ephræmi Syri, „ continens Sermones quidem antiquæ translationis CXIII., „ novæ vero Sermones XXXI. cui accedit beati Abbatis Dorothei liber: juſsu religioſiſſimi magni Domini noſtri Tzaris & „ magni Knaſa (Principis) Petri Alexiewitzii, totius magnæ „ & parvæ & albæ Ruſſiæ Autocratoris, ſub nobili ex ſtirpe genito Domino noſtro Tzarowitſchio & magno Knaſa Alexio Petrowitſchio, benedictione autem totius ſacri Concilii, Patriarchatus loco conſtituti: in Imperatoria Sede, magna urbe Moſcua, anno ab orbe condito 6210. poſt nativitatem autem incarnati Dei Verbi 1701. Indictione decima, menſe Decembri. Ex quo Ephræmi libro idem Kohlius pag. 372. & pag. 390. duos Sermones Slavonice & Latine vulgavit: treſque alios in Præfat. num. 7. ſe evulgaſse, aut evulgaturum aſserit, his verbis: *Tres Ephræmi Syri ſermones, qui in Slavonica Verſione adhuc continentur inediti, in Latinam linguam translati*. Demum in hiſtoria Codicis ſacri Slavonici pag. 16. & ſeq. poſtquam oſtendiſset, ad Slavos populos & in primis Ruſsos, literarum elementa ſeculo poſt Chriſtum nono per Conſtantinum Philoſophum, qui Cyrillus eſt appellatus, invecta fuiſse, de eorumdem Slavorum, & maxime Ruthenorum, ſumma diligentia in deſcribendis Patrum, & Scriptorum libris, hæc ſubjungit. „ Nullum credo „ populum in deſcribendis libris tam laborioſum ac frequentem „ eſse, quam Rutheni ſunt. Hinc plurimos apud eos homines „ videas, qui per totum diem nihil aliud agunt, quam ut libros „ Ruſſicos deſcribant, nulla alia re victum quæritantes: hiſque „ non tantum manuſcriptos & nondum editos, cujus generis „ ſunt libri hiſtoriam patriam complectentes, *Annales* dicti, ſed „ impreſsos etiam rariores ac pretioſiores deſcribendos tradunt: „ ac ſæpe tabernas mercatorum Petropoli ingreſsus, in quoſdam ſermones Chryſoſtomi vel Ephræmi Syri, vel ſacræ Scri-

„ ptu-

Digitized by Google

„ pturæ libros deſcriptos incidi „. Et pag. 19. qui ſint hujuſmodi libri typis impreſſi, exponit. „ Hi, *inquit*, ſi non omnes, „ plerique tamen Eccleſiaſtici erant argumenti, tam puris nitidiſque characteribus, tamque candidæ chartæ impreſſi, ut mirum dictu ſit, & in Batavica quadam, ſimilive officina typographica excuſi videantur. Qua in re conſentire mecum video „ clariſſimum Nicolaum Bergium pag. 155. ſequentia referentem „: nitidiſſimis & charta & ſtylo utuntur, ut nihil reliquis typographis Europæis concedant, vel in ullo inferiores ſint, cujus teſtes adduco Biblia, libros Chryſoſtomi de Sacerdotio, Liturgias, & vitas Sanctorum anno 1700. editorum. „ Præter cæteros Eccleſiæ libros, omnes propemodum qui ab Eccleſia Ruthena recepti ſunt, Doctores Græci, totus Chryſoſtomus, aliquot in folio ſpiſſis voluminibus conſtans, Baſilius item magnus (Slavonice Baſili Weliki dictus) aliique, quos aliquoties ipſe in privatis Ruthenorum Bibliothecis oculis uſurpavi, „ in folio pleroſque editos, meroque Slavonico ſermone ſcriptos tum temporis prodiere „. De imprimendorum vero librorum arte circa medium ſeculi decimiquinti ad Ruthenos traducta, idem Kohlius pag. 17. hæc notat. *De artis Typographicæ in Ruſſia fatis, hactenus commemorata ex libro Slavonicæ gentis, quem poſſidemus, manuſcripto depromſimus, cujus hic titulus eſt:* Roſisk o Raskolnitſcheskoi Brinskoi Wierie, o utſchenni ich, o dielach ich; *h. e.* Inquiſitio in fidem, doctrinam, & facta Roskolnikorum Brinskienſium: „ ubi circa initium rariſſimi hujus, „ nec in ulla alia Bibliotheca a me reperti Codicis, in hæc fere „ verba ſcribit doctiſſimus famaque apud ſuos celebris auctor, „ Roſtovienſis quondam Præſul Demetrius. Typographicæ, *inquit*, artis natalis in annum mundi circiter 7061., quum magnus ille Moſcoviæ Dux Magni Baſilii filius, Imperio; Eccleſiæ „ autem Metropolita Macarius Moſcuæ habitans præſideret, incidit. Prima libris imprimendis deſtinata domus, ſcilicet officina, Moſcuenſi in oppido extructa eſt. Factum autem non „ diu poſt in obſidione, devaſtationeque hujus urbis, quam a „ Polonis patiebatur, ut cum multis ſplendidiſſimis palatiis officina hæc typographica incendio periret. Quo ipſo ſimul magna papyri copia cum reliquo apparatu abſumebatur. Tandem „ reparatum hoc damnum eſt a magno Duce Michaële Federowitzio ſub Imperii ipſius finem, dignitatem Patriarchalem

„ tum

„ tum tenente Joſepho. Primus qui ex hac officina, quam ad „ ſuam manſiſſe memoriam Demetrius dicit, liber typis exſcri- „ ptus eſt, circa annum a condito mundo 7152. in lucem exiit. „ Ut totum adeo ſeculum a primæ officinæ incendio ad repara- „ tionem a Michaëlis filio factam præterfluxerit. Confer cl. Fri- „ ſchii de hiſtoria linguæ Slavonicæ ſchediaſma alterum: qui cum „ manuſcripto noſtro quodammodo conſentiens, Johannis Baſi- „ lii Imperio primam in Ruſſia Typographiam conditam, inde- „ que anno mundi 7072. Evangelia, Acta Apoſtolorum, & epi- „ ſtolas Apoſtolorum exiiſſe ſcribit. De re Typographica Ru- „ thenorum confer, ſi libet, Nicolaum Bergium *lib. cit. p.* 151. „ Plures ſunt, *inquit*, Typographiæ. Antiqua videtur illa ſa- „ tis, quæ Oſtrogiæ adhibita eſt ad Biblia imprimenda, quam „ comparavit Dux Oſtrogienſis circa annum 1580. deinde Kio- „ viæ inſtructam crediderim: itidem Moſcuæ, ubi nunc Pala- „ tium Typographorum magnifice exſtructum plura præla con- „ tinet „. Porro inter Eccleſiaſticos libros Ruthenice impreſ- ſos commemorat Kulcinius Anthologium ſeu Trypholagium, & Horologium ſive Uſtavum. De *Trypbologio* in Præfat. ad Speci- men Eccleſiæ Ruthenæ: *Vitas* (Sanctorum Ruthenorum) *ac ani- madverſiones deſumpſi ex meis libris, ac præcipue ex Anthologio, ſeu Trypbologio Leopoli anno* 1643. *typis impreſſo, quod contine- tur magno volumine in folio majori, eſtque ornatum non paucis ad præcipuas feſtivitates imaginibus*. Idem de *Uſtavo* in citata Præfatione: *Juvit me in præſenti lucubratione & alius libellus, Uſtavum ſeu Horologium dictus, pariter Leopoli anno* 1679. *typis impreſſus: inſignis eſt enim Typographia Ruthenica Leopolienſis, quam regit Confraternitas Stauropigiana ſub titulo Dormitionis Deiparæ antiquitus erecta, caſtro cum tribus propugnaculis, leo- ne in porta, & turri excelſa, pro ſtemmate utens*.

VII. Catalogus librorum Ruthenicorum ex Matthæo Caramanio Archiepiſcopo Iaderenſi.

Matthæus Caramanius Dalmata Spalatenſis, Archiepiſcopus Jaderæ, Vir clariſſimus, & amiciſſimus, dum Romæ degeret ad Miſſale Illyricum imprimendum, hunc mihi Catalogum librorum Eccleſiaſticorum, præter ſacra Biblia & novi Teſtamenti Codices impreſſos, liberaliter tradidit. 1. *Trebnik*, ſive Rituale. 2. *Trebnik* alterum, Archiepiſcopi *Moghillæ*, Petri nimirum Moghillæ, ſeu Mohillæ Metropolitæ Kiovienſis Schiſmatici, cujus meminit Kulcinius ad annum Chr. 1636. in ſerie Chronologica Metropolitarum Ruſſiæ num. XLVII. pag. 130. ubi de Raphaële

phaële Korſak agit. 3. *Sluxebnik*, ſivo Miſſale. 4. *Sluxebnik Archiereiski*, Pontificale, 5. *Sluxebnik* Archiepiſcopi Moghillæ. 6. *Trofoloi*, i. e. *Trypbologium* ſeu Anthologium. 7. *Jermoloi*, *Irmologium*. 8. *Octoib*, Octoëchus. 9. *Sinakſari*, Synaxarium. 10. *Triod*, Triodium. 11. *Ciaſſoslov*, Horologium. 12. *Uſtav*, *Zernovnii*, Ceremoniale. 13. *Akafiſti*, hymnus Acathiſtus. 14. *Xitia Sviatich*, vitæ Sanctorum, in fol. quatuor Tomis. 15. *Patirik*, vitæ Sanctorum Kiovienſium. 16. *Kamen Vieri*, Petra Fidei, opus Metropolitæ Razanenſis. 17. *Praſccbiza na Raskolcika*, Reſponſio ad 140. Propoſitiones Raskolcikorum, ideſt Schiſmaticorum, auctore Epiſcopo Nixegorodenſi. 18. *Kormcjaja Kniga*, Directorium. 19. *Tirei*, Menæa, Tomi XII. 20. *Sinodalnoe Iſpoviedanie Pravoslavnia Vieri*, Synodalis confeſſio orothodoxæ fidei. 21. *Symphonia*, concordantia Evangeliorum & Actuum Apoſtolorum, Joannis Ilinski. 22. *Concordantia Pſalterii*, Principis Antiochi Cantemirii. Hactenus de libris Ruthenicis.

CAPUT X.

De Ephemeridibus Græco-Moſchis Papebrochii.

I. Ephemerides Græco-Moſchæ, effigiatæ, a Papebrochio illuſtratæ.

NUNC, ut unde digreſſi ſumus, eo revertamur, Poſſevinum in illuſtrandis Faſtis Ruthenicis excepit *Papebrochius*. Binas hic nactus eſt Græco-Moſchas effigiatas Ephemerides: alteram Amſtelodami anno 1671. apud Laurentium Vander Hem: alteram poſt biennium ſibi e Moſchovia allatam, dum in Ruſſiam iret extraordinarius Statuum Fœderatorum Legatus, indeque rediret. Et de priori quidem Græco Moſcho effigiato Kalendario hæc idem Papebrochius in Præfat. num. 6. „ Cœpi „ ergo ibidem Amſtelodami admovere manum operi (ſcilicet „ interpretationi ejuſdem Kalendarii) quod noſtra quoque San„ctorum Acta non raro juvare poſſet: ſed ſuperinducta minia„ tura, & inauratio (prout non certa aliqua ratio, ſed ſua lu„ bentia inexperto ad talia pictori ſuggeſſerat) multa alterave„ rat in veſtium pavimentorumque characteriſtica quadam di„ verſitate, per quam a Clericis & Monachis Laici, iſti ab Epi„ ſcopis, Epiſcopi a Patriarchis ſeu Metropolitis diſtinguendi „ erant, aliique nonnulli Sanctorum Ordines ſecernendi ab in-

„ vi-

Digitized by Google

„ vicem ; Ipſis quoque nominibus aliquando irrepſiſſe vitia de„ prehendi, quæ haud poſſent per meram conjecturamc orrigi „ abſque erroris periculo. Ad hæc ſimplex illa Sanctorum no„ menclatura non ſatis digna futura erat, aut tam pretioſa ſpe„ cioſaque expreſſione, qualem ille promittebat; aut nomine „ meo, quod ipſi præfigere idem volebat „. Quamobrem nova ſibi Ephemeridum Ruthenicarum exempla e Ruſſia quærenda exiſtimavit Vir doctus, quorum ſubſidio perfectum Græco-Moſchum Kalendarium edere poſſet. „ Succeſſit, *inquit num.* 7. „ conatus iſte primus tam feliciter, ut allatæ poſt biennium cir„ citer Tabulæ, non multum eſse mutandum probarint in iis, „ quæ jam pridem divinando definieram: & totum quem pro„ miſeram Commentariolum, prius abſolvi, quam menſe Junio „ anni prædicti (1675.) inciderem in morbum iſtum graviſſi„ mum, qui bis ad portas mortis adductum me arcuit a ſtudiis „ per ſemeſtre integrum. His periculis defuncto, & negotiis, „ quæ morbi tempore accumulata fuerant, expedito, licuit pro„ miſsum amico munus repræſentare: qui eo vehementer dele„ ctatus, iterum iterumque ſcripſit Meſcuam, nec acquievit „ prius, quam impetravit Tabulas, ad extremam operi manum „ imponendam requiſitas „. Porro Tabulas iſtiuſmodi pergit deſcribere. „ Duplicis, *inquit*, ſunt generis: aliæ inter ſe per „ latera conglutinatæ, longum conſtituunt volumen; & colori„ bus quatuor, purpureo, rubro, flavo, & viridi totæ, non di„ co pinguntur illuminanturque, ſed maculantur & obſcuran„ tur; taleſque vulgo venales proſtant, & tales etiam fuerant „ illæ, quarum deformem ruſticitatem videram Amſtelodami „ elegantiori miniatura obtectam: aliæ puræ ac ſimplices, vix „ poſt longam indaginem inventæ, ac demum in Belgium allatæ „ ſunt. Celatura omnium, in ligno facta, tam eſt inſulſa, ſive „ lineamentorum ductus, ſive figurarum ſingularum poſituram „ ſpectes, ut quidquid in eo genere inſulſum poteſt toto Belgio „ inveniri, cum iſtis Tabulis collatum, elegans valde videri „ debeat. Placuit ergo novas Tabulas condere, quibus in æs „ transferendis non prorſus inutiliter pretium aliquod impen„ deretur; nihil autem deperiret de ſubſtantia argumenti to„ tius: veſtium ſcilicet (quarum differentiam facile erat ſub ru„ di iſto ductu dignoſcere) formas eaſdem accipiendo, partim „ ex elegantius expreſſis Diptychis, Triptychiſque, de quibus

„ infra

Digitized by Google

„ ſra in Appendice, partim ex ſimilium figurarum Græcanica„ rum exemplis atque Ectypis variis, quarum nonnulla apud „ nos copia eſt: ſic tamen ut menſura tabularum, originaliter „ altior quam lata, & quinqueſariam diviſa, facta ſit pro majori „ commodo noſtro latior quam alta; & quinque in ſingulis San„ ctorum ſeries, ad quatuor ordines reformatæ „. Quid vero ipſe præſtiterit, ut eaſdem Tabulas elegantiori forma in æs inciſas, non prorſus inutiliter evulgaret, enarrat num. 9. his verbis, „ Inter iſtas variorum ſucceſſuum viciſſitudines conceptam na„ tamque lucubrationem in fronte hujus Maji Lectori exhibeo, „ cujus majori commodo ut ſerviam, a Januario, more Roma„ no, exordior annum; quem alias Græci, & horum exemplo „ Rutheni, a menſe Septembri auſpicantur. Addidi non ſolum „ obſervatiunculas aliquas nominibus ſingulis; ſed etiam quas, „ & quorum Sanctorum Græcas vitas ſeu Paſſiones deſideremus, „ quas habeamus „. Demum num. 10. obſervat „ figuratam „ illam Moſcorum Ephemeridem Sanctos quidem pleroſque ha„ bere a Græcis, a quibus ſatis certo ſibi conſtare ait neminem „ fere coli, qui eum honorem non acceperit a priſca & adhuc „ in fide integra apud illos Eccleſia; paucos tamen iiſdem ad„ mixtos, nationi iſti (*Ruthenicæ*) patrios proprioſque „: quibus de Sanctis quid ſibi ſentiendum putet, conſequenter exponit, quemadmodum nos ſupra, relatis ejuſdem verbis, enarravimus. In Præfatione autem ad figuratas Ephemerides num. 3. pag. XI. „ orat mixtos Lithuanis Ruthenos, eos maxime, qui „ Vilnæ vivunt S. Baſilii inſtitutum profeſſi, ut quæcumque vel „ ſcripturæ vel explicationis ſuæ errata, benigne correcta ad ſe „ remittant, ſaltem ad inſtructionem poſterorum. Addant etiam „ ſignorum Zodiaci in Tabulis ſuis deficientia nomina, quia in „ Ectypis omnino nequibant diſcerni characteres, quibus ea „ ſcribere debuiſſet, præterquam in paucis. Quodſi eadem ſi„ gna non ſunt ad normam Moſcoviticorum exemplarium re„ præſentata, excuſare rogat pictorem, cui in hac parte (uti & „ in loculis pleriſque hiſtorialibus) indulgeri debuiſſe ait, ne ſe„ ſe omnino adſtringeret inſulſiſſimæ, quam præ oculis habuit, „ coordinationi figurarum, atque invenuſtis omnino lineamen„ tis „. Ex quo ſatis conſtat, quam ſint noſtræ Capponianæ Tabulæ Papebrochianis illis anteponendæ: quia nimirum illæ omnino invenuſtæ erant & inſulſæ, adeoque ne iis in æs transferendis

prorſus inutiliter pretium aliquod impenderetur, novas Tabulas condere Papebrochio neceſſum fuit, formas elegantiores partim accipiendo ex Diptychis Triptychiſque Græcis ac Ruthenicis elegantius expreſſis, quæ idem Papebrochius Ephemeridibus antedictis ſubjecit; partim ex ſimilium figurarum Græcanicarum exemplis atque ectypis variis, quarum nonnulla apud ipſum copia erat. At vero noſtræ Capponianæ Tabulæ ſunt adeo venuſtæ & elegantes, ectypa etiam tam bene originalibus conſonant, ut nihil melius deſiderari poſſit.

II. Kalendarium Ruthenicum Poſſevini a Papebrochio emendatum.

Ut feliciter conatus Papebrochianus in Tabulis ſuis Græco-Moſchis æri incidendis ſucceſſerit, non tamen id felicitatis in exponendis Sanctorum nominibus ille eſt conſequutus. Poſſevini quidem Kalendarium non ſemel Papebrochius emendat, quippe quod, ut ſupra eſt dictum, Ruthenica Sanctorum nomina ubique corrupta repræſentat: Sic menſe Januario die 8. pro Domna Poſſevini, reponitur a Papebrochio *Domnica*: die 13. pro Hermogene, *Hermylus*: die 24. pro Euxemia, *Xenia*: die 26. pro Sozonte, *Xenophon*: die 28. pro Euchemio, *Ephræmus*. Menſe Februario die 5. pro S. Mart. Agapio, *Agatha*: die 6. pro Uculio, *Bucolus*: die 12. pro Mart. Melentio, *Meletius Epiſcopus Antiochenus*: die 14. pro Evagentio, *Auxentius*: die 22. pro Ugnifantio, *Eugenius*. Menſe Martio, die 8. pro Theophane, *Theophylactus*: die 10. pro Conrado, *Condratus* ſeu *Codratus*. Menſe Aprili, die 6. pro Euchemio, *Eutychius*: die 8. pro Radione, *Herodion*: die 9. pro Sutiphio, *Eupſychius*: die 14. pro Marciano, *Martinus*. die 20. pro Theodoſio, *Theodorus*. Menſe Majo, die 22. pro Baſilide, *Baſiliſcus*. Menſe Junio, die 6. pro Vicario, *Baſſarion*: die 11. pro S. Mart. Volphronio, *S. Bartholomæus Apoſtolus*: die 20. pro Maphædio, *Methodius*. Menſe Julio, die 29. pro Callimacho, *Callinicus*. Menſe Auguſto, die 5. pro Ereneo, *Euſignius*. die 7. pro Diomede, *Dometius*: die 18. pro Throlacono, *Florus & Laurus*: die 25. pro Sancto Apoſtolo Volphromo, *S. Bartholomæus Apoſtolus*. Menſe Septembri, die 10. pro Mart. Ruidona, *Menodora*, *Metrodora*, *Nymphodora*: die 12. pro Autonecho, *Autonomus*: die 17. pro S. Martyr. Verſolina, *Fides*, *Spes*, *Charitas*, *earumque mater Sophia*: die 19. pro Trochipeo, *Trophimus*: die 21. pro Conrado, *Codratus*. Menſe Octobri, die 4. pro Erophio, *Hierotheus*: die 10. pro Eulatipio, *Eulampius*: die 12. pro Protonarcho, *Probus*, *Tarachus*:

die 13.

Digitized by Google

die 13. pro Pabilia, *Papylus*: die 14. pro S. Mart. Oſatio, *Protaſius*: die 15. pro Lucrino, *Lucianus*: die 17. pro Joſin, *Oſeas*: die 22. pro Arechino, *Abercius*: die 30. pro Zenone, *Zenobius*: die 31. pro Euſtachio, *Stachys*. Menſe Novembri, die 3. pro Acceximo, *Acepſimas*: die 4. pro Onicio, *Joannicius*: die 5. pro Julacio, *Galaction*: die 6. pro S. P. Vorlamam, *Barlaamus*: die 9. pro Aniſiphorio, *Oneſiphorus*: die 11. pro Menſuiti, *Menas*; die 15. pro S. Mart. Utiniſati, *Gurias*, *Samonas*, *Abibus*: die 17. pro S. Mart. Gregorio, *Gregorius Thaumaturgus*: die 26. pro Olympio, *Alypius*. Menſe Decembri, die 10. pro Mino, *Menas*: die 11. pro S. Mart. Daniele, *Daniel Stylita*: die 14. pro Furſo, *Thyrſus*: die 15. pro Eliſcherio, *Eleutherius*: die 19. pro Vinſanto, *Bonifacius*: die 21. pro Ulnea, *Juliana*.

Verum ſuos etiam Papebrochius, nec paucos, in illo Kalendario effigiato Græco-Moſcho, admiſit errores. Et primo quidem in Appendice ed Ephemerides Græco-Moſchas pag. 64. Indiculum ponit *Sanctorum Ruthenis propriorum*, nec non eorum, de quibus ipſe dubitat, *ſintne Rutheni*, *an non*? quorum proinde nominibus Aſteriſcum præfigit. Kulcinius vero in Specimine Eccleſiæ Ruthenæ Par. 2. in Animadverſionibus ad eaſdem Papebrochianas Ephemerides, docte oſtendit, multos ex iis Sanctis nequaquam ad Eccleſiam Ruthenam pertinere: adeoque delendos eſse ex *Indiculo Sanctorum Ruthenis propriorum*: cujuſmodi ſunt, *menſe Januario*, die XI. *Marcianus Presbyter*, *&* *Ooconomus* Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ: die 14. *S. Agnes* Romana Martyr. *Menſe Februario*, die 14. *Eulogius* Patriarcha Alexandrinus. *Menſe Martio*, die 21. *Jacobus* Epiſcopus Catanenſis: die 19. Cyrillus, imo *Beryllus* ejuſdem Catanenſis Urbis Epiſcopus: die 24. *Iſacius Monachus* temporibus Valentis Imperatoris. *menſe Aprili*, die 20. *Theodorus* ab aſpero cilicio *Trichinas* dictus. *menſe Majo*, die 28. *Ignatius* Epiſcopus Conſtantinopolitanus. *menſe Junio*, die 1. 2. & 9. *Dionyſius Monachus* æque ac *Joannes Martyr*, & *Cyrillus Monachus*, inter Ruthenos indigenas ab eodem Kulcinio non agnoſcuntur. *menſe Auguſto*, die 30. pro S. Felice reponendum nomen *Fantini*, idemque ex indiculo Sanctorum Ruthenorum expungendum. *menſe Septembri*, die 7. non Eudocimus, neque Eudoxius, ſed *Evodus* colitur, Antiochiæ poſt Petrum Apoſtolum primus Epiſcopus: die 15. *Philotheus* Presbyter, non Archiepiſcopus Nidogradenſis, ſeu

Novogradenſis. *menſe Octobri*, die 24. *Athanaſius Metropolita*, imo Archiepiſcopus, ſeu Patriarcha Conſtantinopolitanus, non Kievienſis.

III. Papebrochii in Kalendario Græco-Moſcho effigiato allucinationes.

Deinde in Ruthenicis verbis interpretandis idem Papebrochius, ſeu potius ipſius Interpres, non ſemel allucinatur. Sic Menſe Januario die 24. Sanctæ Xenæ jungitur *Babylas Presbyter Martyr*, cujus loco reponendum nomen *Sacromartyris Pauli*, docet Kulcinius Par. 2. p. 71. his verbis: „ Hæc die S. Xe-„ næ, dictæ etiam Euſebiæ, jungitur Paulus, loco cujus perpe-„ ram inducit Papebrochius Presbyterum Martyrem Babylam; „ nam longe diverſimode ſcribuntur apud nos *Pavel*, & *Vavila*, „ ideſt, Paulus, & Babylas: in imagine vero præſentis diei ex-„ preſſe ponitur *Pavel*, Paulus, addito *Pr. M.*, quod ſignificat „ Prepodobno Muczenik, ideſt, Sacro-Martyr „. Et die 1. Aprilis in Tabulis Græco-Moſchis legitur, ΠΡ. MARIA, ideſt, *Sancta Maria*, nimirum Ægyptiaca, cujus loco Papebrochius ponit, ΠΟΡΝΉ MARIA, *meretrix Maria*, quum legendum ſit non Græce πόρνη, ſed Ruthenice, *Prepodobnaja*, *Sancta*, quemadmodum idem Kulcinius advertit Par. 2. p. 79. *Non bene explicavit Belga*, ΠΡ, *ſignificare Meretricem*: *nam ſimiles quoque literæ ponuntur ſupra Zoſimam*: *ſignificant itaque Prepodobny*, *y Prepodobnaja*, *Sanctus*, *& Sancta*. Alibi, ideſt pag. 63. in Appendice ad Ephemerides Græco-Moſchas, ubi agit de Tabella ſiniſtra Triptychi majoris Ruthenici, idem Papebrochius has literas ΠΡ. præfixas nominibus SS. Zoſimæ, & Sabbatii, perperam interpretatur, *Presbytero*, quum *Sanctum* ſignificent. Item die 19. Junii, nomen Judæ Apoſtoli, Fratris Domini, quod Ruthenice *Hoſpoda Brat*, & per breviores notas ΓΑ ΒΡΑ, dicitur, ipſe Papebrochius perperam legit *Gambratii*: „ Judas, *inquiens*, Apo-„ ſtolus, cui cur hic Epiſcopale Pallium additur, & quid ſibi „ velit additum cognomentum Gambratii, conjectura nulla aſ-„ ſequor „. Diſcat Papebrochius ex Kulcinio Part. 2. pag. 84. „ Riſum mihi movet cognomentum *Gambratii*, quod appoſuit „ Papebrochius: in Tabulis enim figuratis ſic legitur: *Juda Hd* „ (per abbreviationem loco, *Hoſpada*) *Brat*, ideſt, Judas Do-„ mini frater. Nam literam Rutheni proferunt per H, ut idem „ Kulcinius ſubjungit. Ex hac occaſione diſcat Lector, quod „ quamvis Rutheni ſcribant more Græcorum literam Gamma; „ pronunciant tamen eam per literam H, ut Gabriel, *Havryl*, „ Geor-

,, Georgius, *Heorbiy*. Similiter utuntur Rutheni paſſim lite-
,, ra B, ut *Brat*, frater: *Blabo*, bonum: ſed in pronunciandis
,, nominibus propriis imitantur Græcos, & loco B, literam V,
,, ſcribunt, ac proferunt, ut *Vaſiley*, Baſilius, *Vavila*, Babylas.
,, Demum pro ϑ, th, adhibent *Ft*, ut Timotheus, *Timoſtei*:
,, Thaddæus, *Ftaddey* ,,. Demum die 15. Decembris, poſt ti-
tulos Imaginibus Sanctorum Eleutherii & Stephani Epiſcoporum
præfixos, hæc verba Ruthenica in Tabulis Græco-Moſchis legun-
tur, NєΔ. ΠΡΑωΤΕΚ, ideſt, *Dominica Protoparentum*; quæ ver-
ba quum Papebrochius non intelligeret; ,, Ita, *inquit*, nos do-
,, cuit R. P. Ohilewicz, qui utinam plura nos de eo docuiſſet,
,, ſimulque indicaſſet, quid ſibi velit adjectum Epithetum *Ned-*
,, *parotecz*. Hoc nunc beneficium ab aliis patriarum rerum peritis
,, præſtolamur ,,. Papebrochio Kulcinius adeſt, docetque
pag. 116. quid illud epithetum ſibi velit. ,, Optat, *inquit*, Pa-
,, pebrochius, ut indicem, quid ſignificet adjectum huic dici
,, epithetum, *Nedparotecz*. Reſpondeo, eſſe terminum non ſi-
,, gnificativum, & dico, quod proximo ſubſequenti die Domi-
,, nicò celebratur *Nedela Praotec*, ideſt, Dominica Protoparen-
,, tum Domini noſtri Jeſu Chriſti. Habetur de ipſis Officium in
,, Anthologio cum duplici Canone, altero Theophanis, altero
,, Joſephi, & Synaxario breviuſculo.

In tabulis originalibus ad diem 14. Novembris inciſa eſt
Imago una cum nominibus Sanctorum *Philippi*, & *Gregorii*. Pa-
pebrochius in ſuis Ephemeridibus pag. 53. addit: *Joſaphat Epi-
ſcopus Polocenſis Martyr*: cujus tamen neque Imago, neque no-
men in antedictis Tabulis exſtat: quin imò Kulcinius in Specimi-
ne Eccleſiæ Ruthenæ Par. 1. pag. 40. affirmat, hujus Beati Marty-
ris feſtum a Ruthenis Catholicis coli non die 14. Novembris, ut
ſcribit Papebrochius, ſed die 16. Septembris.

IV. A Papebrochio laudati, Ohilevviczius Baſilianus, & Kojalovicziu**s** Soc. Jeſu: de rebus Ruthenicis bene meriti.

Idem Papebrochius in Præfat. pag. 3. num. 30. fatetur, in
Sanctis Ruthenis illuſtrandis ſe fuiſſe adjutum a P. Ohilewicz
Ordinis S. Baſilii Ruthenorum Provinciali, & a P. Kojawitz So-
cietatis Jeſu: & primum quidem ait, eadem qua Poſſevinus opi-
nione præventum, de vera quorundam Sanctorum Ruthenorum
ſanctitate dubitaſſe. ,, Eadem, *inquit*, qua Poſſevinus perſua-
,, ſione imbuti Rutheni in Lithuania Catholici, quum proprio-
,, rum typorum defectum iiſdem quibus Schiſmatici utantur Sy-
,, naxariis, verentur memoriam eorum facere, quos non inve-
,, niunt

„ niunt Græcorum Kalendariis adnotatos; ne forte in aliquos „ non Sanctos, ſed Schiſmaticos impingant; uti ad me perſcri„ bendum curavit R. admodum P. Obilewicz, Ordinis S. Baſi„ lii Provincialis, Romanus Theologus, quam eum ego rogan„ dum curaſſem, ut ex Synaxario Rutheno, quo ſuus ibi Ordo „ utitur, Latine vertenda curaret elogia Sanctorum, in Ruſſia „ additorum antiquis e Græcia acceptis. Reſponſum autem „ iſtud mihi miſit per R.P. Albertum Kojalowicz, qui meum „ ipſi expoſuerat deſiderium obſtrictum mihi ea opera, quam ſi„ bi contuleram in hic edenda hiſtoria Lithuaniæ. Utrumque „ autem hic debui nominare, quia Alberti hujus Miſcellanæis, „ ad ſtatum Eccleſiaſticum in eadem Lithunia pertinentibus, „ nonnihil adjutum me fateor ad ſequentia commentanda; non„ nihil etiam prædicti Provincialis Baſiliani reſponſis „. Utrumque laudat etiam Kulcinius in ſuo Specimine non ſemel: ſed præcipue in ſerie chronologica Metropolitanorum Ruſſiæ, ubi de Cypriano II. pag. 135. „ Claruerunt eodem tempore in Con„ gregatione Baſilianorum Ruthenorum Lithuana viri literis ac „ pietate illuſtres, Pachomius Ohilewicz, quem frequenter „ laudat Papebrochius in Ephemeridibus Moſchis, Simeon Cy„ prianowicz, Stephanus Martyzkiewitz, Joſeph Pietkiewicz, „ Joſaphat Brazyc dono liberandi energumenos a Deo illuſtra„ tus, & alii non pauci „. Verum tam Papebrochius, quam Kulcinius a Pachomii Ohilevitzii ſententia longe recedunt. Is enim, ut modo dictum eſt, non modo de vera Ruthenorum Sanctitate dubium movet; ſed etiam Theodoſium, Monaſticæ vitæ apud Ruthenos propagatorem, diſerte in numero Schiſmaticorum ponit ad diem 3. Maji apud Papebrochium pag. 27. his verbis. „ Obitus S.P. Theodoſii in Petſerra. Ita ad verbum „ noſter Belga. R.P. Ohilewicz interrogatus, reſpondit eſſe „ Theodoſium Kiovienſem, cujus virulentas contra Latinam fi„ dem blaſphemias coram Izaslao Ruſſiæ Principe penes ſe ha„ beat in manuſcripto Codice, quo uſus olim Dux Oſtrogius „ Schiſmaticus „. Hæc Ohilevitzius: cujus tamen auctoritatem non tanti eſſe exiſtimarunt Papebrochius & Kulcinius, ut eadem de S. Theodoſio ſentire cogerentur. Audiamus Papebrochium loc. cit. „ Difficile mihi eſt divinare, quem ille (*Obilevitzius*) „ Izaslaum intelligat: nam in epitome genealogica Ducum Mo„ ſcoviæ tres omnino *Iſoslavos* invenio, quorum primus fuerit

„ filius

„ filius Wlodomiri, ſub quo fides Chriſtiana recepta apud Moſcos; ſecundus ejuſdem Wlodomiri ex primogenito Iaroslavo nepos item ſecundogenitus; ac denique ex primogenito ſuo Wlodemiro nepos rurſus ſecundogenitus: omnes Principes Ruſſiæ, Dux nemo, quorum ultimus vixerit circa ann. 1150. Interim difficulter inducor ut credam ejuſmodi hominem, qualem indicat Ohilewicz, tam ſolemnem cultum potuiſſe apud Moſcos obtinere; & donec melius res examinata fuerit, opinabor potius diverſum eſſe Scriptorem iſtius libri, a Sancto tam magnifice hic expreſſo „. Et pag. 3. num. 11. in Præfat. „ Ceterum cum ipſius (*Ohilevitzii*) & Poſſevini pace dixerim, quod hujus opinio, & illorum (*Catholicorum Ruthenorum*) metus procedant ex opinione pro majori ſaltem parte erronea, de fide ad Ruſsos a Schiſmaticis, & quidem Hæreticis, inducta: quam quidem opinionem ſtrenue impugnat Papebrochius, ut ſupra eſt dictum. At vero Kulcinius non contentus hoc generali ad rejiciendam Ohilevitzii opinionem argumento, addit ſpecialem rationem. Poſtquam enim Par. 1. pag. 14. Synaxarium Sancti Theodoſii Hegumeni Pieczarenſis ad Kioviam, Monachorum in Ruſſia poſt Antonium inſtitutoris, a Rutheno in Latinum produxiſset, in hæc verba Ohilevitzio reſpondet. *Hactenus Synaxarium; ſed Patericon, ſeu Liber de vitis Patrum Cryptenſium, fuſius proſequitur acta hujus Sancti: cujus ſanctitatem quod noſter Ohilewitz vocaverit in dubium, falſus fuit per hoc, quod in ſuo Codice invenerit aliquam Epiſtolam contra Latinam Eccleſiam ab altero, ſed non ab iſto Theodoſio Pieczarenſis, exaratam, ut optime opinatur Papebrochius. Vel, quod veroſimilius eſt, virulentæ blaſphemiæ contentæ in Codice, quem habebat præ manibus P. Ohilewicz, imputatæ ſunt falſo Sancto Theodoſio a recentioribus Schiſmaticis, ad conciliandam impoſturæ authoritatem: quod paſſim antiquitus fiebat, & modo aliquando contigit. Cæterum eo tempore, quo claruit hic vir ſanctiſſimus, de ſchiſmate nec ſomniabatur*. Obiit enim anno Chr. 1074. quum Iſaslaus primus eſset Ruſsorum Dux, Jaroslai filius, & frater Annæ, quam Henricus I. Galliæ Rex uxorem duxerat.

IV. De Ruthenica Leopolienſi Typographia.

Verum, quod ait Ohilevitzius, Ruthenos in Lithuania Catholicos, propriorum typorum defectu, iiſdem quibus Schiſmatici, Synaxariis uti, adeoque in Kalendariis ſuis in aliquos non Sanctos, ſed Schiſmaticos aliquando impingere; adeo eſt hoc ve-

verum, ut ex ipſa Typographia Leopolienſi prodierint Schiſmaticorum nomina in Sanctorum numero relata. Laudat quidem Kulcinius in Præfat. ad ſuum Specimen, Librum Ruthenicum, cui nomen *Uſtavum*, ſeu *Horologium*, Leopoli in Typographia Laicorum Stauropigranorum impreſsum. ex quo libro nonnullas ipſe Sanctorum vitas profert. In hoc tamen Uſtavo pro Sanctis habentur Schiſmatici Metropolitæ *Photius*, *Jonas*, & alii. Sic die 20. Maji: *Inventio Corporis Sancti Patris noſtri Alexii Archiepiſcopi Metropolitani Kiovienſis, & totius Ruſſiæ, novi Thaumaturgi, quæ contigit anno* 1439., *imperante in Ruſſia Baſilio Baſilii filio, agente Pontificatum Photio Metropolitano*. Et die 27. ejuſdem menſis: *Translatio corporum Sanctorum Patrum noſtrorum Metropolitanorum Kiovienſium, Cypriani, Photii, & Jonæ, qui extiterunt anno* 1309. Denique die 30. Martii: *Dormitio Sancti Patris noſtri Jonæ Metropolitæ Kiovienſis, & totius Ruſſiæ, qui extitit anno* 1461. Conſtat quidem ex accurata Metropolitanorum Kiovienſium ſerie, cohærere non poſse ea, quæ de Cypriano, Photio, & Jona ad annum 1309. dicuntur: nam Cyprianus Alexio ſucceſſit anno 1372. Photius anno 1415. in Synodo Novogrodecenſi depoſitus fuit: & Jonas anno 1458. pro Archiepiſcopo Kiovienſi ſeſe gerebat, ut liquet ex Bulla Pii II. data anno 1458. tertio non. Sept. ubi hæc de Schiſmatico iſto Pſeudometropolitano apud Kulcinium in Appendice pag. 138. „ Dudum felic. record. Callixtus Papa III. Prædeceſsor noſter provida conſideratione attendens, quod iniquitatis & perditionis „ filius Jonas de Aſciſcenia Monachus Schiſmaticus ad dignitates „ & honores Eccleſiaſticos ambitioſe aſpirans, ſpiritu rebellionis aſsumptus, ſe pro Archiepiſcopo Ruthenenſi auſu ſacrilego gerere & nominare, ac venerabili Fratre noſtro Iſidoro „ Epiſcopo Sabinenſi, & ex diſpenſatione Apoſtolica Archiepiſcopo Ruthenenſi, a Sede ſua Ruthenenſi ejecto, in Archiepiſcopatu prædicto non vacante, temeritate propria ſe de facto „ intrudere, & Archiepiſcopatum Ruthenenſem prædictum in „ animæ ſuæ periculum, ac Sedis Apoſtolicæ vilipendium, indebite detinere præſumpſerat „. At ex hoc id ſolum conficitur, in aſſignanda illorum Metropolitanorum Epocha Uſtavum erraſse; non in die ac menſe, quibus Schiſmatici Photium, & Jonam Schiſmaticos colunt.

C A-

Digitized by Google

C A P U T XI.

De Ruthenicis Kulcinii Ephemeridibus.

A Papebrochio ad Kulcinium tranſeo. Ignatius Kulczynski (quem nos Kulcinium appellamus) Monachus Ordinis S. Baſilii Magni, Ruthenus, Procurator Generalis & Rector SS. Sergii & Bacchi ad Montes, rogatus ab Illuſtriſſimo Marchione Capponio, ut quid de ſuis Tabulis Græco-Moſchis, deque Papebrochianis ſentiret, palam & libere pronunciaret; Capponianas ait Papebrochianis longe antecellere tum venuſtate, tum antiquitate: Papebrochianas enim anno Chriſti 1628. fuiſſe confectas, uti ex nota temporis ipſis appoſita liquet; Capponianas autem *vel ante obitum, vel paulo poſt obitum Uladimiri*, Ruſſorum Ducis, ſub quo gens Ruthena fidem Chriſti accepit, *depictas*: antequam ſcilicet idem Ulodimirus, ejus filii Romanus & David, atque Abbates Antonius ac Theodoſius, pro Sanctis declararentur: quorum proinde nomina in iiſdem Tabulis idcirco non ſunt inſcripta. Quumque Marchio Capponius etiam atque etiam rogaret, ut Kulcinius ſuam de Tabulis Capponianis ſententiam literis mandaret, ſimulque Papebrochianas Ephemerides illuſtraret, quæ multis in locis a viro illo docto in obſcuro relictæ fuerant, ac præſertim ubi de Eccleſiaſtica Ruthenorum Sanctorum hiſtoria agitur: annuit Kulcinius, & operi illi erudito perſcribendo manum ſtatim admovit, quod ipſe titulo, *Speciminis Eccleſiæ Ruthenicæ, ab origine ſuſceptæ Fidei ad noſtra uſque tempora in ſuis Capitibus ſeu Primatibus Ruſſiæ, cum Sancta Sede Apoſtolica Romana ſemper unitæ*, prænotatum, publici juris fecit, *Romæ typis Hieronymi Mainardi anno* 1733. Quo in opere quid idem Kulcinius præſtiterit, ex adjuncta eidem titulo hac adnotatione colligitur. *Primo nonnullas Sanctorum Indigenarum Vitas ac Elogia; dein in Moſcoviticas Papebrochii Ephemeridas notabiliores quaſdam animadverſiones: ac tandem ſuccinctam Archiepiſcoporum Kiovienſium totiuſque Ruſſiæ Metropolitarum Chronologiam, breviter complectitur*. In tres proinde Partes librum ſuum Kulcinius diſtribuit, quarum *Prima* inſcribitur *De Sanctis Ruthenicæ Eccleſiæ propriis* a pag. 1. ad pag. 68. Pars ſecunda, *nonnullæ animadverſiones in Ephemeridas Moſcorum fi-*

I. Ignatius Kulczynski, al. Kulcinius, auctor libri anno 1733 editi, cui titulus, *Specimen Eccleſiæ Ruthenicæ*.]

guratas, *Actis Sanctorum inſertas*, *Tomo primo Maji præmiſſas*, *& per* R.P. *Danielem Papebrochium Societat. Jeſu*, *variis obſervationibus illuſtratas*, a pag.69. ad pag.109. Pars Tertia *De Archiepiſcopis Kiovienſibus ac Metropolitis totius Ruſſiæ*, a pag.110. ad pag.144. *Appendicem* ſubjungit *ad* laudatum *Specimen Eccleſiæ Ruthenicæ*, in qua *duo Officia*, *unum de S. Uladimiro*, *alterum de SS. Romano & Davide*: item *Conſtitutiones S. Uladimiri*, *Jaroslai ejus filii*, *& Baſilii*, magnorum Ruſſiæ Ducum: demum *Synodos Kiovienſem*, *Novogrodenſem*, *Kobrynenſem*: *Acta in cauſa Beati Joſaphati* Archiepiſcopi Polocenſis & Martyris: *Inſcriptiones Ephemeridum Moſcoviticarum* Papebrochii, Ruthenice & Latine: *Synaxarium de S. Andrea Apoſtolo*: Aliud *de S. Paraſcevia* Iconienſi: *Seriem Chronologicam magnorum Ruſſiæ Ducum* uſque ad annum 1730. *Adnotationem de Metropolitis totius Ruſſiæ*, ac præſertim de Schiſmaticis ejus gentis Patriarchis, & Synodi Præſidibus, uſque ad Theophanem Metropolitam Novogorodenſem Synodi Moſcoviticæ Præſidem, a pagina 1. ad paginam 142.

II. Auctores laudati a Kulcinio in Specimine Eccleſiæ Ruthenicæ.

Binas utrique operi, nimirum & Specimini Eccleſiæ Ruthenicæ, & Appendici, *Præfationes* Kulcinius præmittit: quibus in Præfationibus quid utrobique tractaverit, exponit; aperitque, unde hauſerit Vitas Sanctorum Ruthenorum, & ſeriem Chronologicam Metropolitanorum, & Ducum Ruſſiæ. Laudat autem binos Leopoli impreſſos libros Eccleſiaſticos, videlicet *Trypbologium* ſeu Anthologium anno 1643. magno Volumine in folio majori, & *Uſtavum* ſive Horologium anno 1679. Prærerea multa deſcribit ex libro, cui titulus *Patericon*, ſeu Vitæ Patrum Cryptenſium, & ex altero vetuſto Volumine manuſcripto, quod *Rituale Ruthenicum* nuncupatur. Citat etiam librum Slavonicum, inſcriptum *Prolobi*, qui Menæis Græcorum reſpondet: necnon Annales Ruſſiæ, quibus titulus, *Stepennia Knibi*, ideſt, Libri Graduales.

In texenda vero tum hiſtoria, tum ſerie Metropolitanorum, Ducumque Ruſſiæ, fatetur ſua ſe omnia deſumpſiſſe ex hiſce Scriptoribus; quorum 1. *Coſſovius* Ruthenus Monachus Kiovienſis, qui in libro de Vitis Patrum Pieczarienſium apponit Chronologiam Metropolitarum, teſtaturque ſe extraxiſſe eandem ex authenticis Diptychis Kiovienſis Eccleſiæ. 2. Patres Societatis Jeſu, *Aloyſius Kuleſza* in libro Polonico impreſſo Vilnæ an-

anno 1704. cui titulus, *Fides Orthodoxa*: *Kujatkevicius* in Annalibus Lithuaniæ: *Albertus Kojalovitzius* in Miſcellaneis Eccleſiaſticis Lithuaniæ: & *Cichovius* in Tribun. Patr. 3. *Grotius* Profeſſor publicus in Academia Petropolitana in Hiſtoria Sacro-Politica Moſcorum. 4. *Bernardus Ribera* Ordinis Prædicatorum in libro impreſſo Viennæ in Auſtria anno 1733. cui titulus, *Echo Fidei*. 5. *Acta Ruthenica* quorundam Sanctorum approbata a Vilnenſis Archiepiſcopi Suffraganeo Georgio Epiſcopo Methonenſi, & Præpoſito Grodnenſi anno 1621. His addendi *Herberſteinius*, *Cromerus*, *Okolſcius*, aliique rerum Polonicarum, & Moſcoviticarum Scriptores, ab iis, quorum ſupra mentionem fecimus: & a Kulcinio ipſo laudati.

His ſubſidiis adjutus Kulcinius, Marchionis Capponii vota, quoad Papebrochianas Ephemerides, non modo implevit, ſed etiam ſuperavit. Optabat autem Capponius tam ſuas, quam Papebrochii Tabulas, unacum doctorum Virorum, quos conſuluerat, Commentariis, in quibus & Kulcinianum Specimen non poſtremum locum habebat, conjunctim edere. Hinc alia aliorum ſcripta, ſuis ſumtibus deſcribenda, inque ſua privata Bibliotheca diligenter aſſervanda curaverat, donec formis omnibus Imaginum Græco-Moſcharum ære inciſis per Chalcographum, liceret perductum ad finem opus typis evulgare. Ea res diutius protracta eſt, quam Capponius cogitaverat, aut Kulcinius putabat. Quamobrem hic moræ impatiens, quum præſertim ex Urbe in Poloniam eſſet brevi diſceſſurus; ſubodoratus inſuper alios doctos Viros ſententiam Poſſevini & Ohilovitzii quoad Sanctos Ruthenos recentiores magis, quam ſuam ipſius, & Papebrochii, laudare; adeoque veritus, ut eam ob cauſam elaboratum a ſe opus ſupprimeretur, aut ſaltem e Sanctorum albo multi expungerentur, quorum ipſe Vitas e Ruthenicis libris Latinas fecerat; feſtinavit, inſcio Capponio, *Specimen* ſuum in publicam lucem emittere; idque duplo auctius, quam quod manu propria exaratum Capponio tradiderat. Ut vero invidiam eidem Capponio crearet, qui de hac Kulcinii agendi ratione quæſtus fuerat; Capponium ipſum in Præfatione indignis modis traducit, in hæc verba: *Imo & aliud conſcripſeram opuſculum, in quo aderant inprimis aliquot vitæ præcipuorum Ruſſiæ Sanctorum cum duobus officiis integris Latine ornatis, altero de Sanctus Uladimiro Rege, altero de Sanctorum Boriſo & Hlibo, adjecto inſuper*

III. Expenduntur injuſtæ Kulcinii de Capponio, aliiſve querelæ.

Digitized by Google

ſuper textu Ruthenico: item Chronologia Metropolitarum Ruſſiæ uberiori, quam hic, calamo exarata: demum Decretum depoſitionis Photii Metropolitæ, fragmenta Conſtitutionum Uladimiri, & Jaroslai, ac nonnulla alia. Qui tamen labor dolo, ac vi mihi ereptus, hæſit in manibus cujuſdam hominis. In eundem Capponium, ſuppreſſo licet nomine, invehitur in Præfatione ad Appendicem, inquiens: *Quum pararem ad typum meum libellum,* Specimen Eccleſiæ Ruthenicæ *nuncupatum, non pauca ſcitu digna conſulto prætermiſi: Verebar enim, ne mea lucubratio in mihi notas latebras incideret, nunquam forſan lucem viſura, aut ſaltem publicationi ſuæ inſuperabilem aliquem obicem offenderet; prout de facto molimen adfuit, ſed irrito conatu. Superatis tandem periculis, & amotis obſtaculis, dum percepi ab amicis, placere ipſis meum laborem, proficuum utpote (ſic iidem ajunt) eruditis: illico adjeci animum ad concinnandam Appendicem Specimini jam edito addendam.* Quoniam autem in manibus ejuſdem Capponii, ut ſupra eſt dictum, *Specimen Kulcinianum* manu exaratum hærebat; veritus Kulcinius, ut ipſum Capponius eſſet poſtea editurus, ſubjungit in prima Præfatione, poſt allata verba: *Hoc ideo innuo, quia in illo opuſculo multa erant limanda, aliqua eliminanda, nonnulla mutanda, denique omnia fere accuratiori examine caſtigando: quæ ſi prodierint in lucem, invito ac repugnante auctore, juſtam ejus cenſuram non evitabunt.* Hæc Kulcinius: qui tamen ex ſui ipſius verbis convincitur, immerito in Capponium debacchari. Quid enim aliud eſt *Specimen Eccleſiæ Ruthenicæ* ab eodem Kulcinio typis impreſſum, niſi ipſiſſimum opus quod Capponio tradiderat? Confer manuſcriptum cum impreſſo, & videbis Kulcinium aerem verberare. Nam *Vitæ aliquot Sanctorum Ruſſiæ*, quas in Catalogo manuſcriptorum primo loco recenſet, typis per Kulcinium ipſum prodierunt Part. I. a pag. 68. *Duo Officia de SS. Uladimiro & filiis Boriſo & Hlibo*, edita ſunt ab eodem in Appendice a pag. I. ad pag. 28. *Chronologia Metropolitarum Ruſſiæ*, evulgata eſt Par. 3. a pag. 110. ad pag. 144. *Decretum depoſitionis Photii*, impreſſum eſt in Appendice a pag. 46. ad pag. 53. *Conſtitutiones Uladimiri, & Jaroslai*, lucem viderunt in Append. a pag. 29. ad pag. 35. Tandem *nonnulla alia*, quæ ſcribit in manibus Capponii hæſiſſe, hæc ſunt: videlicet, *ex Anthologio ſeu Tryphologio Rutheno typis impreſſo Leopoli anno Domini 1643. Troparia & Contacia traducta, cum*

Le-

Lectionibus de Sanctis Patribus Antonio fol. 561. *Theodoſio fol.*492. *Abbatibus Cryptenſibus Kioviæ: & Petro fol.*655. *Ale-* ,, *xio fol.*662. *Metropolitanis Kiovienſibus*: hæc vero omnia, totidem verbis prodierunt in Speciminis Parte 1. pag. 14. *de S. Theodoſio*, pag. 25. *de S. Antonio*, pag. 6. *de S. Alexio*, & p. 62. *de S. Petro* Ruſſiæ Metropolita: Ut mirum ſane videatur, quod Kulcinius de illo manuſcripto tam confidenter dicat, *ipſum dolo ac vi ſibi ereptum*, quum ejus exemplar apud ſe retinuerit: magis etiam mirum ſit, quod idem ſubjungit, *in illo opuſculo multa fuiſſe limanda, aliqua eliminanda, nonnulla mutanda, denique omnia fere accuratiori examine caſtiganida*; quum eadem omnino in manuſcripto occurrant, ac in Specimine typis edito: fidem denique omnem excedat, quod de ſuo ipſe timore ſcribit: *Verebar, ne mea lucubratio in mihi notas latebras incideret, nunquam forſan lucem viſura, aut ſaltem publicationi ſuæ inſuperabilem aliquem obicem offenderet, prout de facto molimen adfuit, ſed irrito conatu*. Fingit nimirum ſibi hoſtem Kulcinius, timetque timore, ubi nullus eſt timor: neque enim Capponius, neque alius quiſpiam Kulcinio obſtitit, ne opuſculum ſuum in lucem emitteret. Emiſit nemine repugnante: ſed tanto tamen verborum apparatu opus ei fuit, quia videlicet verebatur, ut alii aliter ſentientes, *Specimen* ſuum cenſuris notarent. Itaque eruditorum judicium præoccupare voluit quoad aſſertam Sanctorum omnium Ruthenorum ſanctitatem; perinde ac ſi non obſtantibus adverſariorum contradictionibus, ſuam de illis Sanctis ſententiam ſuperiores probaſſent. Cæterum ne idem Kulcinius alium quempiam plagii accuſare poſſit, (quod apud quoſdam doctos Viros ipſum feciſſe conſtat:) palam omnibus facimus, manuſcriptum illud opuſculum, quod ipſe Marchioni Capponio tradiderat, quodque ſibi dolo ac vi ereptum immerito conqueritur, poſt ejuſdem Marchionis obitum, unacum lucupletiſſima illa Librorum Italicorum ſupellectile, ad Bibliothecam Vaticanam deveniſſe, ibique cum nonnullis aliis manuſcriptis Codicibus ſervari: ac proinde fas eſse eruditis omnibus edicimus, ipſum opuſculum videre, legere, conferre cum edito Kulciniano Specimine, comparare denique cum cæteris Commentariis, quæ ſunt vel a nobis, vel ab aliis circa Græco-Moſchas Ephemerides conſcripta: ut hinc pateat, puram putam eſse eorum calumniam, qui ex eo Kulciniano loco, quem ſupra attulimus, arbitrantur,

aut

aut alium quempiam, aut nos, illud opuſculum tanquam ingenii noſtri fætum, publici juris feciſse.

IV. Kulcinii de Tabulis Capponianis Græco-Moſchis ſententia.

Sed ad Kalendarium Ruthenicum redeamus. In Specimine illo Kulciniano typis impreſso, ut ſupra vidimus, Ephemerides quidem Græco-Moſchæ Papebrochii egregie illuſtrantur; de Tabulis vero Capponianis ne verbum quidem. At vero in eo manuſcripto Specimine, quod penes Marchionem Capponium remanſit, inque Vaticana Bibliotheca nunc ſervatur, Kulcinius agit de materia, forma, atque ætate Tabularum Capponianarum. Verba ipſius tametſi valde prolixa, integra tamen juvat hic proferre, ut diſcat, tantum abeſse, ut nos conſcriptum ab ipſo opuſculum nobis vindicare velimus, ut potius illud, tamquam magna ſui parte a veritate alienum, rejicere & confutare cogamur. Hæc igitur habet in Præfatione. *Si texere hiſtoriam de antiquitate nominis Ruſſorum ſeu Ruthenorum vellem, operæ pretium foret revolvere multos Scriptores, tum qui res Polonicas proſequuti ſunt, tum qui Annales Ruſſiæ ſcripſerunt. Breviſſimum igitur tantummodo Roxolaniæ Specimen exhibeo, incipiendo ab eo tempore, quo ipſa fide Chriſti univerſaliter illuminata fuit. Porro ad ſcribendum hoc exile opuſculum compulit me inſignis humanitas & benevolentia Illuſtriſſimi ac eruditiſſimi Domini Alexandri Gregorii Marchionis Capponii, qui quum ad ſuum nobile Muſeum, notabili ſumptu erogato, ſacros acquiſiviſſet Faſtos, Græco more depictos elegantiſſime, & literis Moſcoviticis, ſeu, (quod idem eſt) Ruthenicis ſubſcriptos, voluit, ut ego hoc monumentum antiquitatis noſtræ Roxiacæ iſigne viderem, de eodemque ſenſum meum aperirem. Veni pluries, vidi, conſideravi, miratuſque ſum operis elegantiam. Sunt quinque Tabellæ dictarum Ephemeridum, quæ ſimul compoſitæ formant crucem Græcam, quum unaquæque ipſarum ſit perfecte quadrata. Quatuor continent duodecim menſes, ſcilicet quælibet ex ipſis complectitur tres menſes per ſuas columellas diſtinctos, nec iſtæ quatuor magnitudine quadratæ figuræ unum palmum excedunt. Quinta tamen Tabella, quæ in medio reliquarum ſitum tenet, ſuperat aliquantulum eaſdem longitudine, & hæc continet Dominicas cum Feſtis mobilibus, incipitque a Septuageſima, quæ canit Evangelium de Publicano ac Phariſæo; deſinit vero in Dominicam poſt Pentecoſten primam, quæ feſtum agit Omnium Sanctorum. Tabellæ iſtæ quum nullam ab edaci tempore offenſionem præſeferant, indu-*

inducunt ad credendum eſſe eas cedrinas. Jam vero pictura, quæ ipſas exornat, pulchrior nequit ſperari. Implentur enim dictæ toties Tabellæ plurimis elegantiſſimiſque imagunculis, quæ varietate colorum, diverſitate habitus, vultuſque, inter ſe diſtinctæ interque proprias clauſæ columellas, a vertice ad imum deſcendunt gradatim, tamquam per quoſdam cancellos, qui perfecte quadrati, & altitudine unam unciam cum uno quarto non excedentes, plures Sanctos egregie expreſſos comprehendunt: Sancti per dies menſium diſtribuuntur ſubſcriptionibus, earundem dierum quidem numericis, nominum vero Sanctorum expreſſis: nonnulli Sancti, præcipue Prophetæ veteris Teſtamenti, tenent manu ſchedulas parvulas literis refertas, quæ per vitrum opticum commode leguntur. Tribus ex his Tabellis appoſuere ſua nomina Pictores earumdem. Sub Martio, Aprili, & Majo, ſubſcripſit ſe ſic: Andreas filius Heliæ pinxit. *Sub Junio, Julio, & Auguſto, ſubſcripſit ſe ita:* Nicetas filius Joannis pinxit. *Sub Septembri, Octobri, & Novembri, ſubſcripſit ſe in hunc modum:* Sergius filius Baſilii pinxit. *Reliquas duas Tabellas non ſubſcripſere Authores. Pictura hujus Menologii Ruthenici omnibus numeris eſt perfectiſſima, colores vivi, Imagunculæ attenta parvitate formoſiſſimæ, peplorumque ad morem Græcorum expreſſione accommodata ornatiſſimæ. Quum vero colores conſpiciantur tenuiſſime inducti Tabellis, crediderim eos concretos fuiſſe vel ex ſuccis herbarum, vel ex aliqua ſimili compoſitione alchimica. Hoc vero præ reliquis me trahit in admirationem, quod Pictura nullam paſſa ſit læſionem, quamquam adeo tenuis & delicata: æternitati utpote fuit elaborata ab induſtrioſa Ruthenica antiquitate, quam imitatur modernum ingenium Moſcoviticum, dum ſimiles parvulas Tabellas, ſed non adeo perfecte, efformat; paſſimque per Ruſſiam circumferuntur Moſcoviticæ Imagunculæ, at longe noſtris, de quibus agimus, diſpares.*

V. Kulcinius exiſtimat Tabulas Græco-Moſchas Capponianas circa Uladimiri tempora fuiſſe depictas.

Sic deſcriptis ſacris Faſtis Ruthenicis, ſeu Tabellis, in quibus hi continentur, quoad materiam, formam, quantitatem & qualitatem, ut nobiliores reddantur, antiquitatem earundem prodere animus eſt. Elegantia & pulchritudo operis inculcat has Tabellas eo tempore elaboratas fuiſſe quo florebat Imperium Græcum, nec adhuc declinabat ad fatalem occaſum. Hinc quamvis præciſum annum efformati operis determinare ſit impoſſibile, tamen certum tempus ætatemque præfixam ſtabilire facillimum eſt: atque

atque ideo dico, 'iſtas Tabellas depictas fuiſſe vel vivente Uladimiro, poſtquam baptizaſſet univerſam Ruſſiam, vel poſt obitum ipſius, ſed paucis, & non multis annis elapſis. Ita pronunciat Kulcinius de tempore, quo Capponianæ Tabulæ Græco-Moſchæ ſunt depictæ. Audiamus, quibus id oſtendere conatur argumentis.

Præ primis (inquit) *imperantibus in Oriente Baſilio & Conſtantino, nonne Græcia liberalibus mechanicisque floruit artibus? Eorum ſoror Anna uxor Uladimiri nonne debuit ſecum invexiſſe e Græcia in Ruſſiam peritiſsimos in omni artium genere Græcos magiſtros? Ad promovendam vero recentem in Ruſsia fidem, ad augendum cultum divinum, non erant procul dubio opportuniores magiſtri præ Pictoribus. Iſtos ergo excellentes in arte, Anna Græca ſecum conduxit: ab iſtis edocti ingenioſi diſcipuli Andreas, Nicetas, & Sergius Rutheni, formoſas, de quibus ſermo, Ephemerides efformarunt.* Hæc prima Kulcinii eſt ratio, ſeu potius divinatio; æque enim ab aliis negari poteſt, ac ab ipſo aſseritur. Ad ſecundum itaque argumentum progreditur.

Sed quid plura? (inquit) *In noſtris ſacris Faſtis cur non inſeritur nomen magnum Uladimiri? cur non expreſſi ſelectioribus coloribus vultus auguſti Principum & Martyrum Romani, & Davidis? cur non appoſita ſacra lebetonaria fundatorum Monachiſmi in Ruſsia Antonii & Theodoſii Abbatum? Hos quinque Divos Tutelares Ruſsia ſemper coluit & colit. Et quænam foret oſcitantia Pictorum, eos prætereundi, nec ſacris Faſtis inſcribendi? Plecterentur capite, ſi tam enormem errorem committere auderent. Manet igitur inconcuſſum, iſtas Tabellas Capponianas, ſeu in poſſeſsione Illuſtriſsimi Domini Capponii exiſtentes fuiſſe depictas vel ante obitum, vel pauco tempore poſt obitum Uladimiri, antequam ſcilicet idem Uladimirus, ejus filii Romanus & David, atque Abbates Antonius Theodoſiuſque pro Sanctis declararentur ac promulgarentur: qui omnes coætanei vixere, quamquam poſteriores Abbates diutius protraxerint vitam, quam priores Principes.* Kulcinius in ſerie Chronologica magnorum Ruſſiæ Ducum in Appendice ad ſuum Specimen pag. 111. aſserit Uladimirum vivere deſiiſse an. Chr. 1008. & in ſerie Chronologica Metropolitarum Ruſſiæ Par. 3. pag. 110. ſcribit, Leontium ſecundum Metropolitam, qui ab anno Chriſti 1020. ad annum circiter 1033. Kioviæ ſedit, Uladimiri exuvias in marmoreo Mauſoleo condidiſse.

Digitized by Google

diſse. Idem Kulcinius pag. 111. de Georgio, quinto Ruſsorum Metropolitano agens; „ Hic Metropolita, *inquit*, decrevit ac „ promulgavit cultum venerationemque Sanctorum Boriſi & „ Hlibi, qui e Divo Uladimiro, & in baptiſmo Romanus ac Da- „ vid dicti, a Suatopelco fratricida per ſubmiſſos ſicarios an- „ no 1010. trucidati fuere. Honorat ipſos Eccleſia Ruthenica, „ ut Martyres, fortaſſis quia Suatoplecus meditans tyrannidem „ apoſtaſiamque a Fide, in odium Religionis eos mactaverit, „ quamquam coætanei Scriptores conſulentes honori Uladimi- „ riani ſanguinis id ſubticuerint. Sacra eorum copora translata „ fuere ad novum Templum honori eorum conſtructum in Urbe „ Viſtegorodo anno 1072. quam translationem ſolemniter cele- „ brarunt Izaslaus, Svatoslaus, & Uſevolodus Principes: Geor- „ gius Metropolita, Petrus Perejaslavienſis, Michaël Perſienſis „ Epiſcopi; Theodoſius Hegumenus Pieczarenſis, multique alii „ Prælati, ac Magnates „. Idem Kulcinius Par. 1. Speciminis pag. 18. *Theodoſium* Hegumenum Pieczarenſem obiiſſe ſcribit *die tertia Maji, ſecundo poſt Paſcha Sabbato, anno a nativitate Chriſti* 1074. Et pag. 27. *Antonium* fundatorem Pieczarenſem ad ſuperos migraſſe *die* 10. *Julii, anno ab orbe condito* 6581. *a nativitate vero Domini* 1055. Imo, 1073. ſi verum eſt, Antonium deceſſiſſe *anno Mundi* 6581. nam Græci & Rutheni ad annum Mundi 5508. nativitatem Chriſti ponunt: adeoque ſubductis ab anno Mundi 6581. annis 5508., ſupereſt annus a Chriſto nato 1073. non 1055. Teſtem voco Papebrochium in Ephemeridibus Græco-Moſchis ad diem 30. Septembris, ubi annum Mundi 7136. reſpondere ait anno Chriſti 1628.

VI. Sibi tamen ipſe non conſtat.

Jam vero, ut ad argumentum Kulcinii redeam, quum Uladimirus ex dictis circa annum 1030. & Romanus ac David inter Sanctos adſcripti fuerint anno Chriſti 1072. quumque Antonius ac Theodoſius Abbates deceſſerint anno 1073. & 1074.; oportuit, juxta eundem Kulcinium, Tabulas Capponianas elaboratas fuiſſe ante annum Chr. 1030. aut 1020. quibus circiter annis Uladimirus a Leontio Metropolitano elatus fuit, adeoque inter Sanctos repoſitus: vel ſaltem ante annum 1072., quo Romanus, & David, Sanctorum Catalogo fuere adſcripti. Quod argumentandi genus quam fallax ſit, ex eo patet, quod in iiſdem Tabulis Capponianis ad diem 30. Januarii ſit commemoratio trium Eccleſiæ Doctorum, *Gregorii Nazianzeni*, *Baſilii Magni*, & *Joan-*

Digitized by Google

nis Chryſoſtomi: quæ commemoratio inſtituta fuit ſub Alexio Comneno Imperatore, adeoque poſt annum Chriſti 1080. ut idem Kulcinius teſtatur in Specimine Par.2. pag.71. ad antedictum diem 30. Januarii in hæc verba: „ De feſto trium Eccleſiæ Græcæ Doctorum exſtat prolixum in meo Anthologio Synaxarium, cujus hic do breve Compendium. Imperante Cæſare Græcorum Alexio Comneno, qui ſucceſſit Nicephoro Botoniatæ, exorta eſt quæſtio Conſtantinopoli inter eruditos, quiſnam ſit dignior in Eccleſia Dei ex tribus Doctoribus? utrum Baſilius Magnus, an Gregorius Nazianzenus? an Joannes Chryſoſtomus „? Cætera tam in Ruthenico Anthologio, quam in Græco Synaxario. Atqui Alexius Comnenus Nicephori Botaniatæ ſucceſſor, ab anno Chriſti 1081. ad annum 1117. imperavit, ut ex Annalibus Zonaræ & Glycæ conſtat. Cur ergo Pictores illi Rutheni meminerunt Feſti trium Doctorum inſtituti poſt annum Chriſti 1081.; non item Sanctorum Uladimiri, Romani, & Davidis, qui ante hunc Chriſti annum, Kulcinio teſte, inter Sanctos jam relati fuerant? nec tamen capite plexi ſunt, quum tam enormem committere errorem auſi fuerint. Solvat hunc nodum Kulcinius.

VII. Refelluntur Kulcinii conjecturæ de proceſſione Crucis ad diem 1. Auguſti, quam ipſe perperam putat deſignare tempus ſuſcepti a Slavica gente ſub Uladimiro ſacri Baptiſmi.

Ad tertium Kulcinii argumentum pergo. „ Addo his, *inquit*, probationibus ultimum colophonem. „ In Tabellis Capponianis ſub die 1. Auguſti ponitur Feſtum proceſſionis venerabilis & vivificantis Crucis Dominicæ. Porro hoc Feſtum inſtitutum fuiſſe a Michaële, primo Metropolitano, extra dubium eſt. Nam quum Uladimirus graviſſimis edictis compuliſſet populum Kioviensem, omneſque ſubditos ad ſuſcipiendum Baptiſmum, quumque incolæ Kiovienſes omnis ſexus & conditionis obtemperantes ſuo Principi, ad fluvium Poczaynam baptizati fuiſſent, hinc pro perenni tantæ rei memoria Michaël Metropolita ad inſtantiam dicti Sancti Principis, cenſuit, inſtituendum præfatum Feſtum, prout & inſtituit, ac Synodo acta promulgavit „. Quomodo hæc demonſtrat Kulcinius? aut ſi demonſtrat, quid inde colligitur? nam in noſtris Tabulis Capponianis res omnino diverſa depingitur, ac in Papebrochianis, ut infra oſtendam. Sed argumenta Kulcinii videamus. „ Nec temere hoc aſſeritur, *inquit*, ſed validis demonſtratur argumentis. In primis apud Græcos Scriptores nulla mentio de tali feſto. Ergo illud ſtabilitum fuit a Ruthenis,

„ & pro-

„ & propter Ruthenos; nec alia cauſa adduci poteſt inſtitutio-
„ nis ejuſdem, niſi Baptiſmus Ruſſiæ generalis, ſtatuta per Baſi-
„ lium die, ſolemniter celebratus „. Hæc prima eſt Kulcinii ratio. Reſponſio autem in promtu eſt, falſum eſſe, apud Græcos Scriptores nullam ejus feſti mentionem fieri: nam in Menæis Græcorum, etſi cauſa feſti non aſſignetur, expreſſa tamen illius fit commemoratio ad diem 1. Auguſti, his verbis: „ Veſpere,
„ antequam ſignum detur, transfertur pretioſum Lignum e
„ Scevophylacio, ſicut die 14. Septembris menſis. *Et in fine*:
„ Deinde fit Ingreſſus, & Adoratio pretioſæ Crucis, juxta mo-
„ dum Tertiæ Dominicæ Jejuniorum „. En *proceſſio Crucis* Dominicæ, ejuſque Adoratio, non apud Ruthenos tantum, ſed etiam apud Græcos. At inquit Kulcinius, non eodem ritu celebratur a Græcis, ac Ruthenis ea proceſſio: quamobrem pergit ad ſecundam rationem: *Item feſtum illud Proceſſionis in hoc conſiſtit juxta Rubricam Ruthenicam. Exit Clerus, populuſque proceſſionaliter ad aliquem fluvium, vel fontem vicinum, cum Pontifice vel Sacerdote ſacris veſtibus induto: qui celebratis divinis, procedit cum Cleco & Populo, tenens manibus Crucem. Illico ac perventum eſt ad fluvium vel fontem, Pontifex vel Sacerdos lectis multis orationibus, immergit ter Crucem in aqua, & ter eandem elevat, canentibus Cantoribus: & hoc modo benedictam Aquam hauriunt vaſculis omnes, domumque redeunt. Quodſi ob pluviam, vel aliud impedimentum fluvius aut fons accedi non poſſit, in Eccleſiis benedicitur Aqua.* Quis non videt, hanc eandem Rubricam e Græco eſſe deſumtam? Quis non agnoſcit Ritum illum Eccleſiæ Græcæ, qui vocatur, ἀκολυθια τῦ μικρῦ ἁγιυσμῦ, *officium Aquæ benedictæ minoris*, editum Goaro in Euchologio Græcorum pag. 358. edit. Venetæ ann. 1730. quo de ritu hæc idem Goarus in notis pag. 364. „ Alio tamen tempore, ſingulis
„ videlicet, menſibus, vel quacumque neceſſitate urgente poſſe
„ minorem benedici, alio loco manifeſtabitur. *Et poſt pauca*.
„ Qua vero ratione moti, menſibus ſingulis minorem hanc A-
„ quam benedicere primum Græci cœperint, Balſamon in Can. 5.
„ Synodi Trullanæ edocet: ut relictis nimirum ſuperſtitioſis ri-
„ tibus, quibus ut gentilitatis reliquiis, menſis cujuſque princi-
„ pio, ſeſe non verebantur Chriſtiani polluere, meliore ſan-
„ ctioreque cultu, Aqua ſanctificata ſe poſſent luſtrare „. In eo quidem officio relata a Kulcinio Rubrica adamuſſim præſcribi-

Digitized by Google

tur pag.362. *Mox accepta pretioſa Cruce benedicit Aquas uſque tertio, immergens & educens ipſam recta: & canet præſentem modulum* [Troparium) *ter, Ton.2.* Tuis donis dignos nos effice &c. *Pretioſam deinde Crucem oſculatur Sacerdos, ſimiliter & omnis populus. Tum populum omnem aſpergit: & Eccleſiam Aqua benedicta reſpergit.* Numquid Græci eo ritu ſignificant Baptiſmum generalem aut ſuæ, aut Rethenorum nationis? nequaquam: ſed illa Aquarum ſingulis menſibus denedictio, juxta Balſamonem, ſucceſſit loco ſuperſtitioſi illius Gentilium Ritus, de quo idem Balſamon apud Goarum pag.365. *Mos ergo erat apud Judæos feſtum agere, & genuflectere: ut menſis ſpatium feliciter tranſigerent, de quibus Deus quoque dixit per Prophetam:* Noviluuia veſtra, & Sabbata odit anima mea. *Sed & ante officinas ſuas & ædes, rogos incendebant, & ſuper eos ſaliebant: per id exiſtimantes ea quæ prius illis obtigiſſent, mala comburi, foreque ut in alia bona inciderent. His ergo conformiter faciebant quidam orthodoxi eo tempore, quo hæc* (Trullana) *Synodus eſt habita. Unde etiam Patres ea penitus ceſſare juſſerunt & extingui. Hæc ſtatuente Canone, novilunium quidem feſtum ante annos omnem memoriam ſuperantes ceſſavit: ejus loco, Dei gratia, ut & ipſe propitius reddatur, preces, ac Aquæ luſtrales in Eccleſia a populo fideli fiant in uniuſcujuſque menſis principio, & Aqua benedictionis; non contradictionis inungimur. Rogorum autem dæmoniacum myſterium, ſorteſque fiebant uſque ad tempus Patriarchæ Domini Michaëlis, qui fuit Philoſophorum Princeps,* (a quibuſdam Anchialus dictus, qui ſub Emmanuele Comneno vixit: adeoque Balſamonis ipſius fuit coætaneus.) Subjungit Balſamon, myſterium dæmoniacum ſortium & rogi exponens:

„ Vigeſima tertia, *inquit*, menſis Junii, veſpere cogebantur „ in litoribus & quibuſdam ædibus viri & mulieres, & primoge„ nitam puellam inſtar ſponſæ ornabant. Poſtquam ergo convi„ vati eſſent, & bacchantium more ſaltaſſent, choreas duxiſſent, „ & in feſtis conſuetas acclamationes uſurpaſſent; in vas oris „ contractioris marinam aquam injiciebant, & res quaſdam ad „ unumquemque eorum pertinentes: & tamquam Puella illa „ facultatem a dæmone accepiſſet prædicendi futura, ipſi qui„ dem de bono aliquo, vel etiam averſando vel fugiendo quo„ piam, exclamando interrogabant. Puella autem e rebus in vas „ injectis, eam quæ incidiſſet, eductam oſtendebat. Quam

„ etiam

„ etiam accipiens ſtultus ejus dominus, certior fiebat de pro-
„ ſperis vel adverſus ex ea eventuris. Poſtridie autem cum tym-
„ panis & choris, unacum Puella ad litora venientes, & aquam
„ marinam nulla voce edita haurientes, ædes ſuas aſpergebant;
„ & a paulo inſipientioribus hæc non ſolum fiebant, ſed & per
„ totam noctem rogos e fœno accendentes, ſupra eos ſaliebant;
„ & ſortiebantur ſive divinabant de felicitate & infelicitate, &
„ de quibuſdam aliis plane dæmoniace. Eorum autem hinc &
„ illinc aditum & domunculam, in qua fors illa fiebat, una cum
„ iis ſub dio locis, quæ prope erant, aureis veſtibus & ſericeis
„ textibus exornabant; quin etiam arborum foliis coronabant,
„ ad honorandum, ut veriſimile eſt, & excipiendum Satanam,
„ qui illos ſibi familiares fecerat „. Hæc Balſamon: qui rogi quidem ſortiumque dæmoniacum Ritum uſque ad ſua tempora duraſſe teſtatur; Aquæ vero luſtralis inſtitutionem ſingulis menſibus benedicendæ, longe fuiſſe antiquiorem, utpote quæ ante annos omnem memoriam ſuperantes in locum Noviluniorum ſucceſſerat. Hunc porro benedicendæ Aquæ ritum a Græcis ad Ruthenos tranſiſſe, extra dubium eſt: ac proinde Baptiſmum Ruſſicæ Nationis, eo ritu deſignari, merum eſt Kulcinii ſomnium. Quinimo Kulcinius ipſe fatetur in notis marginalibus ad hunc locum, eandem Aquæ benedictionem repeti quoque in Feſtis Titularibus Eccleſiarum quovis anni tempore; & in Ceremoniario vetuſtiſſimo, quod ait apud ſe in Archivo ſervari, præſcribi modum & ordinem, quo eadem benedictio in aliis per annum ſolennitatibus ſit facienda.

Ex quo colligitur, quanti æſtimanda ſit quæ ab eodem Kulcinio ex antedicto benedictionis Aquæ ritu deſumitur ratio.
„ Ecce igitur, *inquit*, quam bene hoc feſtum Proceſſionis &
„ Undæ benedictionis, repræſentat illam Ruthenorum univer-
„ ſalem baptizationem ſub Uladimiro celebratam, quam inci-
„ diſſe in diem primam Auguſti, inculcat & probat præfatum
„ Proceſſionis feſtum pro eadem die inſtitutum „. Quam frigida ratiocinatio! Prima die Auguſti fit apud Ruthenos Proceſſio, & Aquæ benedictio: hæc igitur repræſentat Baptiſmum Ruthenorum, Kalendis Auguſti ſub Uladimiro celebratum. Atqui eadem die Græci quoque eundem ritum peragunt, quin tamen baptiſmum a ſe Kalendis Auguſti ſuſceptum deſignent. Item Rutheni, juxta Ceremoniarium vetuſtiſſimum, in aliis per annum feſtis

feſtis diebus eundem benedictionis aquæ ritum uſurpant: ac proinde non Kalendis Auguſti, ſed in uno ex aliis per annum feſtis contigit generalis ſub Uladimiro Ruſſicæ gentis baptiſmus. Aut hoc concedat, neceſſe eſt, Kulcinius; aut illud neget.

Pergit ulterius, eo Ritu Baptiſmum Ruthenorum repræſentare. „ Ex his eruitur, *inquit*, aliud argumentum, Eccle„ ſia Græca agens feſtum Epiphaniæ, ſolet eadem die benedi„ cere Aquam, quam etiam vocat Jordanicam, quia hæc bene„ dictio Aquæ fit in memoriam baptiſmi Chriſti, quem ſuſcepit „ in Jordane a Joanne Baptiſta. Rutheni quoque ſequuntur „ Græcos, cum magna ſolemnitate in feſto Epiphaniæ celebran„ tes benedictionem Aquæ Jordanicæ. Sicut itaque primitivi „ Sancti Patres Græci inſtituerunt ſolennem benedictionisAquæ „ functionem in honorem Baptiſmi Chriſti: ſic noſter primus „ Metropolitanus Michaël decrevit eandem celebrari functio„ nem die prima Auguſti in memoriam illius fauſtiſſimæ diei „ qua Rutheni univerſali Baptiſmo regenerati fuere„. Quis Kulcinio dixit, a Michaële primo Ruſſiæ Metropolitano inſtitutam fuiſſe Kalendis Auguſti Proceſſionem illam, & Aquæ benedictionem? undenam hoc hauſit? ex libris Ruthenicis? At in illis ne verbum quidem de cauſa illius feſti: quin potius præſcribitur idem ritus in aliis per annum ſolennitatibus celebrandus. Ex libris Græcis? Silent Græci omnes de univerſali illo Ruthenorum baptiſmo, Kalendis Auguſti accepto, deque Michaële Metropolitano ejus feſti inſtitotore. Præterea Kalendis Auguſti, Proceſſionem quidem & adorationem Crucis decernunt; Aquæ vero benedictionem, ſingulis menſibus in locum Noviluniorum Judaicorum, faciendam.

Quamobrem ad anguſtias redactus Kulcinius, quærit in Anthologio cauſam ejus feſti, nec tamen reperit. Synaxarium itaque Uladimiri, quod die 15. Julii legitur apud Ruthenos, ad primam diem Auguſti detorquet, perinde ac ſi de feſto benedictionis aquæ, non de Uladimiro illud ſit compoſitum. „ Ad „ confirmandam, *inquit*, hanc ſententiam quum quæſiviſſem „ probationes, in Anthologio, ſeu Tryphologio noſtro nil re„ peri, præter conſuetum de feſto Proceſsionis officium, quod „ totum de laudibus ſanctæ Crucis verſatur. Synaxarium vero „ ponitur tantum de Sanctis Macabæis, quorum memoria in „ eandem diem primam Auguſti incidit, nec ulla mentio adeſt

„ de

Digitized by Google

„ de inſtitutione præfati feſti: & puto ideo lectionem omitti, „ quia exprimitur hiſtoria in Synaxario Divi Uladimiri, ubi de- „ ſcribitur univerſalis Ruthenorum baptizatio, & conſequenter „ in memoriam ejus inſtitutio feſti proceſsionis clariſsime infer- „ tur „. Clariſſime? imo obſcuriſſime, & quamlongiſſime petita ratio. Nos cauſam clariſſimam reddimus, cur Synaxarium de illa Proceſſione non legatur: quia nimirum ſufficit Rubrica ad indicandam cauſam illius proceſſionis. „ Fit, *inquit*, ingreſ- „ ſus, & adoratio pretioſæ Crucis, juxta modum tertiæ Domi- „ nicæ Jejuniorum „. Kalendis Auguſti apud Græcos incipit Jejunium Deiparæ: adeoque fit Crucis adoratio eodem modo, quo in Triodio præſcribitur facienda Dominica tertia Jejunii Quadrageſimalis. Hæc cauſa, hæc hiſtoria illius Proceſſionis. Non placet Kulcinio? Legat Ruthenicos libros, & aliam cauſam inveniet, quæ Græcis eſt ignota: inveniet, inquam, *feſtum illud Kalendis Auguſti inſtitutum fuiſſe propter victoriam de Infidelibus reportatam anno Chr.* 1164. *ſub Manuele Comneno Imperatore, & Andrea magno Ruſſorum Duce*. Idipſum in Uſtavo Ruthenorum narratur: non itaque feſtum illud ſub Uladimiro inſtitutum, ut putat Kulcinius. Sed videamus, quo pacto ab iſto ineluctabili argumento ſe extricare conatur.

Relicto itaque Anthologio (pergit Kulcinius) *arripui Horologium, ſeu Diurnale, Ruthenice* Uſtav *inſcriptum, & Leopoli anno 1679. typis impreſſum. Sed meæ ſententiæ contrariam aſſertionem inveni. Nam ibi ſic legitur*: Die prima Auguſti, Proceſsio venerabilis & vivificantis Crucis Dominicæ. Inſtitutum vero fuit hoc feſtum pro victoria de Infidelibus obtenta an. 1164. imperante in Græcia Manuele Comneno, & in Ruſsia magno Principe Andrea Dei amante. „ Ad refutandam hanc aſſertio- „ nem, prænoto & præcaveo, Typographiam Leopolienſem „ ſemper fuiſſe in manibus Secularium, ſeu Laicorum civium „ Leopolienſium Ruthenorum, qui Stauropigianorum cogno- „ mentum ſibi aſſumentes, componebant imprimebantque li- „ bros pro libitu ſuo ac arbitrio. Hinc iſta Typographia, alio- „ quin in Ruſsia celeberrima, quoad Chronologiam frequenter „ erravit. Videat eruditus Lector, ſi verum dico. In præfato „ Uſtavo ſeu Diurnali, die 20. Maji ſic legitur „. Inventio Corporis Sancti Patris noſtri Alexii Archiepiſcopi Metropolitani Kiovienſis & totius Ruſsiæ, novi Thaumaturgi, quæ contigit an. 1439., impe-

VIII. Nomina Schiſmaticorum in Uſtavum Leopolienſe invecta.

Digitized by Google

imperante in Ruſsia Baſilio Baſilii filio, agente Pontificatum Photio Metropolitano. „ Nonne hic eſt error inſignis? Apud „ omnes Scriptores, etiam recentiores Schiſmaticos, eſt in con- „ feſſo, hunc Photium Græcum fuiſſe in Synodo Novogrodenſi „ depoſitum e Sede Primatiali Ruſsiæ anno 1415. Quomodo er- „ go ipſe depoſitus, & infamis declaratus, potuit eſſe Metropo- „ litanus in Ruſsia anno 1439.? Sed ſit ita, quod Photius circa „ annum eundem fuerit in Ruſsia ſuperiori, ideſt, Moſcovia, „ Metropolitanus; at videamus, quam turpiorem commiſerit „ errorem Typographia Leopolienſis die 7. ejuſdem Maji, ubi „ ſic legitur „. Translatio Corporum Sanctorum Patrum noſtrorum Metropolitanorum Kiovienſium, Cypriani, Photii, & Jonæ, qui extiterunt anno 1309. *Item 30. Maji hoc habetur*. Dormitio Sancti Patris noſtri Jonæ Metropolitæ Kiovienſis, & totius Ruſsiæ, qui extitit anno 1461. „ Quomodo iſta cohære- „ re poſſunt? Cyprianus ſucceſsit Sancto Alexio anno 1372. er- „ go non fuit Metropolitanus anno 1309. nam hoc anno Metro- „ poliam Kiovienſem tenebat S. Petrus. Item Photius juxta „ Diurnale Leopolienſe die 20. Maji, fuit Metropolitanus an- „ no 1439. Quomodo ergo potuit extitiſſe in Metropolia an- „ no 1309.? Photius vero alter, præter unicum hunc Metropo- „ litam, qui fuit detruſus, non extitit unquam in rerum natura. „ Tandem ut Jonas Metropolita exiſteret anno 1309., nullus „ ſomniavit Scriptor. Quod ſi ſermo eſt de Jona Schiſmatico „ Antimetropolita, qui fuit æmulus Gregorii II. Succeſſoris Car- „ dinalis Iſidori, huic nullus hiſtoricus dat locum inter Primates „ Kiovienſes. En ergo errores in Chronologia commiſſos a „ Typographia Leopolienſi: ſed pejus eſt, quod ex ipſius inad- „ vertentia irrepſerint meri Schiſmatici in Catalogum Sancto- „ rum, uti Photius, Jonas, & alii nonnulli. Non eſt itaque „ audiendum Diurnale Leopolienſe; ſed firmiter tenendum, „ feſtum Proceſsionis inſtitutum fuiſſe a Michaële primo Metro- „ politano ſub imperio Divi Uladimiri: quod feſtum in Tabulas „ ſacras ſub die 1. Auguſti relatum, noſtri quoque Pictores exi- „ mii Tabellis Capponianis inſeruere „. Hucuſque Kulcinius. Nos vero reponimus. Bene eſt, quod in libro Diurnali impreſſo in Typographia Leopolienſi, irrepſerint nomina Schiſmaticorum in Catalogum Sanctorum: Bene etiam eſt, quod in Chronologia Liber ille ſæpius fallitur: hæc duo Kulcinio ultro concedimus:

Digitized by Google

dimus: at negamus tamen, illa e cerebro Leopolienſium Typographorum confiſta, inque Uſtavum Ruthenicum invecta. Deſumſerunt enim ex manuſcriptis vel impreſsis Codicibus Ruthenicis ſeu Moſcoviticis, quicquid in illo Uſtavo continetur: idque ipſum Typographis illis Leopolienſibus, quos Catholicæ Romanæ fidei cultores fuiſſe non ambigimus, in imprimendis libris Ruthenicis contigiſſe affirmamus, quod Venetis Typographis Pinello, Bortolo, Glychio, & aliis, in Græcorum Eccleſiaſticorum librorum impreſſione accidit: nimirum libros a Schiſmaticis vitiatos, bona ipſi fide, eo evulgarunt modo, quo illos ſibi ad imprimendum oblatos acceperunt. Quis enim dixerit, Pinellum, Bortolum, Glychium, & Superiores ipſos Venetici Dominii, tum Eccleſiaſticos, tum Laicos, qui typis imprimendis præerant, in ea fuiſſe opinione, ut pro veris Sanctis Photium & Gregorium Palamam haberent, eoſque nonnullos contra fidem Orthodoxam Romanam errores amplecterentur, qui in libris illis continentur? Obrepſerunt tamen errores illi, ſive dormitantibus Præſidibus, ſive vigilantibus Schiſmaticis. Idem plane de Typographia Leopolienſi aſſerimus. Non Typographi, non Præſides Typographiæ, ſed Schiſmaticorum dolus, qui libros Eccleſiaſticos Ruthenicos corruperant, nomina illa Photii, Jonæ, aliorumque in Uſtavum invexit.

IX. Error Kulcinii, circa ætatem Photii Schiſmatici Ruſſorum Metropolitæ.

Quod vero Kulcinius de errore Chronologico declamat, primum quidem dicimus, præter locum de anno 1309. quo Cyprianus, Photius, & Jonas ad diem 27. Maji vixiſſe dicuntur, Epochas alibi in Uſtavo deſignatas optime procedere. Photius enim, tametſi anno Chriſti 1415. in Synodo Novogrodenſi fuit depoſitus, a Schiſmaticis tamen in Ruſſia ſuperiori pro Metropolitano habebatur, & in ſumma erat veneratione poſt Concilii Florentini tempora, quando ipſo agente per Baſilium Baſilidem magnum Ruſſorum Ducem Iſidorus S. R. E. Cardinalis in carcerem detruſus eſt, ignique fuiſſet traditus, niſi divinitus e manibus impiorum evaſiſſet. Teſtis eſt ipſe Kulcinius Par. 3. pag. 120. *Decretis Concilii Florentini per Ruſſiam Regno Poloniæ unitam promulgatis, profectus eſt Iſidorus ad Moſcoviam, ut ibi unionem ſanctam fundaret. Sed Baſilius Baſilides magnus Dux, & Epiſcopi, tum per Photium illum a Sede Kiovienſi pulſum, tum per impios Marci Epheſini emiſſarios, turpiter dementati, captum Cardinalem carceri manciparunt, convocatoque conſilio &*

collatis votis, igni addixerunt. Evaſit tamen ipſe, Deo favente, & Romam reverſus: & cætera. Baſilius Baſilides, eodem Kulcinio teſte in Appendice pag. 122. Ruſſis imperavit ab anno Chriſti 1425. ad annum 1462. Photius itaque recte vitam produxiſſe dicitur ad annum 1439. quo inventio corporis Alexii Metropolitani contigit. Jonas autem, qui in Uſtavo Ruthenico obiiſſe anno Chriſti 1461. perhibetur, adhuc in vivis erat anno Chriſti 1458. quo Pius II. anathema ipſum tulit in hanc ſententiam, apud eundem Kulcinium in Append. pag. 138. „ Dudum felic. „ rec. Calliſtus Papa III. Prædeceſſor noſter provida conſidera„ tione attendens, quod iniquitatis & perditionis filius Jonas de „ Aſciſcenia Monachus Schiſmatichus ad dignitates & honores „ Eccleſiaſticos ambitioſe aſpirans, ſpiritu rebellionis aſſum„ ptus, ſe pro Archiepiſcopo Ruthenenſi, auſu ſacrilego gerere „ & nominare..... præſumpſerat „. Quibus ex verbis patet, illum quidem a ſummo Romano Pontifice & a Catholicis Ruthenis non fuiſſe habitum pro legitimo Ruſſiæ Metropolitano; ſecus a Schiſmaticis in Moſcovia: ac proinde non eſſe uſquequaque verum, quod de eodem Jona ſcribit Kulcinius: *Huic nullus hiſtoricus dat locum inter Primates Kiovienſes.* Nullus quidem Catholicus Romanus ſcriptor Jonam recenſet in catalogo Primatum Kiovienſium: at vero Schiſmatici poſt Photium numerant Jonam: & vocant utrumque *Metropolitam Kiovienſem & totius Ruſſiæ.*

X. Errores Chronologici in Uſtavo Ruthenico.

Deinde dicimus, ex aliquo errore Chronologico, qui in Uſtavum obrepſerit, perperam colligi a Kulcinio, etiam in hiſtoria Feſtorum, eorumque cauſa deſcribenda Uſtavum errare. Chriſtus Dominus juxta Græcorum omnium Ruthenorumque ſententiam natus dicitur *anno Mundi* 5508. Hinc in libris omnibus Ruthenicis tam manuſcriptis, quam impreſſis, cum eo mundi anno nativitas Chriſti ſemper componitur: ſic Biblia Oſtrovienſia prodiiſſe dicuntur anno Mundi 7089. Chriſti 1581. Biblia Moſcuenſia anno mundi 7172. Chriſti 1664. novum Teſtamentum ſub Joanne Baſilide anno Mundi 7072. Chr. 1564. Alterum ſub Petro Alexiovitzio anno Mundi 7210. Chr. 1702. Atque ita reliqui libri Eccleſiaſtici. Et tamen Pictor Ephemeridum Græco-Moſcharum Papebrochii, Chriſtum natum vult anno *Mundi* 5526. Kulcinio teſte Par. 2. pag. 107. ad diem 25. Decembris, in hæc verba: *In Tabulis figuratis hæc tantum exprimitur*

Digitized by Google

mitur Epigraphe: Rozdeſtvo Chryſta, *Nativitas Chriſti*. *Additur quoque annus a Mundo condito* 5526. Qui eſt error manifeſtus. Nec minus errat Uſtavum in anno Nativitatis Deiparæ: ſic enim notat idem Kulcinius Par.2. pag.96. ad diem 8. Septembris: *Rozdeſtvo*, hoc eſt, *Nativitas SS. Dominæ noſtræ Deiparæ, quæ nata eſt Regia ſtirpe e progenie David, e parentibus Joachimo & Anna, anno conditi Orbis* 5486. *Ita mei libri, in quibus habeo ſolemne de hoc feſto Officium*. Advertit hunc errorem Kulcinius, & ad calcem Partis 3. pag.144. monet Lectorem, ut cum corrigat: „ Adverte ſecundo, *inquit*, errare meum Uſtavum, „ dum ponit Deiparam natam fuiſſe anno a Mundo condito „ 5486. nec enim poteſt ſubſiſtere talis ſupputatio, ſi Chriſtus „ Dominus natus eſt anno a mundo condito 5526. ut volunt „ Ephemerides figuratæ apud Papebrochium. Hinc cenſerem „ annum quo nata eſt Deipara, reponendum 5510. ab Orbis „ creatione „. Non cohærent hæc cum calculo Ruthenorum: num proinde falſa eſt hiſtoria nativitatis Chriſti & Deiparæ? num Synaxarium S. Antonii Pieczarenſis, & Sanctæ Paraſceviæ Ternovienſis eſt rejiciendum, eo quod Par.1. apud Kulcinium p.27. Antonius quidem obiiſſe dicitur *anno Mundi* 6581. *Chriſti* 1055., Paraſcevia autem pag.50. *anno Mundi* 6701. *Chriſti* 1175.?

Sed neque Kulcinius erroribus Chronologicis caret; quos tamen errores non tanti eſſe putamus, ut hiſtoriam Kulcinianam penitus rejiciamus. Sic enim ſcribit de Gregorio II. Ruſſiæ Metropolita, Iſidori S.R.E. Cardinalis ſucceſſore: *Gregorius II. Natione Bulgarus, Conſtantinopoli S. Demetrii Abbas, fidus Iſidori Cardinalis Achates, promovente eodem, obtinuit Metropolitanam dignitatem a Nicolao V. Summo Pontifice anno* 1442., *a quo conſecratus, Apoſtolicisque literis munitus, perrexit in Ruſſiam, Sedemque ſuam Kiovienſem occupavit pacifice, libentiſſime eum excipiente, ac in honore habente Caſimiro Jagellonide Rege Poloniæ, unaque magno Duce Lithuaniæ ac Ruſſiæ. Sed quum Jonas quidam Antimetropolita Schiſmaticus a Moſcis electus, limites Archiepiſcopatus Kiovienſis invadere cœpiſſet; hinc ſupplicante Sedi Apoſtolicæ Gregorio noſtro Metropolita, Pius II. Pontifex Maximus edidit Bullam ſub datum Romæ anno* 1458. *tertio nonas Septembris, qua præfato Jonæ de Aſciſcenia, filio (ut loquitur Bulla) perditionis, ſuperiorem Ruſſiam, nempe Moſcoviam reliquit, inferiorem vero, ſubjectam videlicet Regno Poloniæ*, XI. Kulcinii Errores Chronologici.

niæ, eidem Gregorio & ſucceſſoribus Kiovienſibus Archiepiſcopis aſſignavit, ſtatuit, atque decrevit: necnon Eccleſias Breſtenſem, Smoleſcenſem, Polocenſem, Turovienſem, Luceorienſem, Uladimirienſem, Præmyslienſem, Chelmenſem, Leopolienſem, & Halicenſem, in ſuffraganeas dictæ Sedi Kiovienſi ordinavit. Ab illo igitur tempore Ruſſia ſuperior, ſeu Moſcovia, proprios in ſpiritualibus Rectores habebat; Ruſſia vero inferior, appendix nempe Regni Poloniæ, Archiepiſcopis Kiovienſibus, quorum ſeriem proſequar, obediebat. Multipliciter hic in Chronologia peccat Kulcinius. *Primo ait Gregorium II. obtinuiſſe Metropolitanam dignitatem a Nicolao V. Summo Pontifice ann. 1442. ab eoque conſecratum, in Ruſſiam perrexiſſe.* Atqui Nicolaus V. anno Chriſti 1442. nondum Summus Pontifex erat; ſed Eugenius IV. qui anno Chr. 1447. VII. Kal. Mart. deceſſit: Nicolaus autem Eugenium excepit, Pontifex renunciatus pridie Non. Mart. eodem anno 1447. En primus error Chronologicus. Ait ſecundo, Pium II. anno Chr. 1458. tertio Non. Septemb. limites Metropolitani Ruſſiæ inferioris & Metropolitani Ruſſiæ ſuperioris ſtatuiſſe, decreviſſe, ordinaſſe: & inferiori quidem Ruſſiæ præfeciſſe Gregorium; ſuperiorem autem Ruſſiam, nempe, Moſcoviam, Jonæ reliquiſſe: atque inde cœpiſſe Moſcoviam ſuos habere Metropolitanos. Sed ex ipſa, quam citat, Pii Secundi Bulla convincitur erroris Chronologici Kulcinius: nam Pius Secundus in ſua Bulla ſic ait: (juvat autem ejus verba iterum recitare:) *Dudum fel. rec. Callixtus Papa III. Prædeceſſor noſter provida conſideratione attendens, quod iniquitatis & perditionis filius Jonas de Aſciſcenia Monachus Schiſmaticus ad dignitates & honores Eccleſiaſticos ambitioſe aſpirans, ſpiritu rebellionis aſſumptus, ſe pro Archiepiſcopo Ruthenenſi auſu ſacrilego gerere & nominare, ac Venerabili Fratre noſtro Iſidoro Epiſcopo Sabinenſi, & ex diſpenſatione Apoſtolica Archiepiſcopo Ruthenenſi, a Sede ſua Ruthenenſi ejecto, in Archiepiſcopatu prædicto non vacante, temeritate propria ſe de facto intrudere & Archiepiſcopatum Ruthenenſem prædictum in animæ ſuæ periculum ac Sedis Apoſtolicæ vilipendium, indebite detinere præſumpſerat.* Itaque ſub Callixto III. Iſidorus S.R.E. Cardinalis adhuc erat Archiepiſcopus Ruthenenſis; ac proinde Gregorius II. nondum Iſidoro in eo Archiepiſcopatu ſucceſſerat; ſed Iſidoro eodem a Sede ſua Ruthenenſi ejecto, Jonas Schiſmaticus auſu ſacrilego in Archiepiſco-

ſcopatum Ruthenenſem prædictum non vacantem ſe ſe intrudere præſumpſerat: quem idcirco tam Callixtus III., quam Pius II. non modo Ruſſiæ ſuperiori non præficiunt, ſed etiam declarant anthemati ſubjectum, omnibuſque Eccleſiaſticis dignitatibus ſpoliatum. Callixtus autem III. Pontificatum iniit v. Idus Aprilis anno Chr. 1455. obiitque anno 1458. VIII. Idus Auguſti. En alter Chronoligicus error Kulcinii, qui Gregorium II. ſcribit Iſidoro Cardinali anno 1442. ſucceſſiſſe, & Jonam a Schiſmaticis anno 1448. Moſcoviæ Metropolitam creatum. Verum de his alibi fuſius agetur: nunc ad ea regredior, quæ idem Kulcinius de Tabulis Capponianis diſſerit.

XII. Kulcinii opinio de antiquitate Tabularum Capponianarum, iterum rejicitur.

Poſtquam igitur Kulcinius ex feſto illo Benedictionis Aquæ & Adorationis Crucis, quod Kalendis Auguſti celebratur, colligere ſibi viſus fuiſſet, Tabularum Capponianarum ætatem ad Uladimiri Ruſſorum Ducis tempora aſcendere; Uſtavum vero in eo erraſſe, quod Feſtum illud narret ob Victoriam de infidelibus relatam anno Chr. 1164. inſtitutum fuiſſe; ſic de Tabulis illis concludit. „ Habet idcirco Illuſtriſſimus Dominus Marchio „ rarum antiquitatis Ruthenicæ monumentum, haſce nempe „ Tabellas, quæ olim auro argentove ligatæ, ut ex foraminibus „ clavulorum liquet, modo elegans ex aurichalco deaurato or- „ namentum habent, ſic ipſas exornante & illuſtrante pio ac „ erudito earundem poſſeſſore. Sed de his ſacris Faſtis, valo- „ re antiquitatis, picturæ elegantia inſignibus, hucuſque dixiſſe „ ſufficiat.

Non ſum neſcius, eundem Kulcinium in Præfatione ad Specimen Ruthenicæ Eccleſiæ, de hoc ſuo manuſcripto, quod hucuſque produximus, monuiſſe, *multa eſſe in eo limanda*, *aliqua eliminanda*, *nonnulla mutanda*, *denique omnia fere accuratiori examine caſtiganda*. Præterea minatum fuiſſe: *quæ ſi prodierint in lucem*, *invito ac repugnante auctore*, *juſtam ejus cenſuram non evitabunt*. Ut igitur id quoque demus auctori, de rebus Ruthenicis cæteroquin optime merito, præter nudam Tabularum Capponianarum, ac materialem, quam ſupra retulimus, deſcriptionem (quæ quidem deſcriptio apprime iis Tabulis covenit:) hæc duo tantum ad trutinam revocanda exiſtimamus, omiſſis cæteris, quæ ipſe Kulcinius fortaſſe limanda, eliminanda, atque mutanda cenſuit. Primum quidem ſententiam ipſius nequaquam probare poſſumus, quoad Tabularum illarum anti-

qui-

Digitized by Google

quitatem, quas ipſe putat aut Uladimiri tempore, aut paulo poſt fuiſſe depictas: nam in iiſdem Tabulis (ut ſupra diximus) ad diem 30. Januarii fit commemoratio SS. Doctorum Gregorii Nazianzeni, Baſilii Magni, & Joannis Chryſoſtomi: quod Feſtum, eodem Kulcinio teſte, non in Uſtavo, quem librum ipſe corruptum putat, ſed in Anthologio Rutheno, & in Græcis Menæis, ſub Alexio Comneno, ideſt, poſt annum Chriſti 1081. fuit inſtitutum. Verba Kulcinii Par. 1. pag. 71. ſupra recitavi.

XIII. Exponitur figura Ephemeridis Papebrochianæ ad diem 1. Auguſti, quam Kulcinius de Baptiſmo Ruſſiæ gentis perperam interpretatur.

Deinde ex iis, quæ idem Kulcinius in ſuo Specimine publici juris fecit, convincimus eas Tabulas poſt annum 1164. fuiſſe pictas: nam ad diem 1. Auguſti pag. 89. hæc habet. „ Proiſchozdenie, *ideſt*, Proceſſio venerandæ & vivificæ Crucis „ Domini. Hoc feſtum inſtitutum fuit ob obtentam de Infidelibus victoriam anno 1164. Manuele Græcorum Rege, & Andrea Boholubski, hoc eſt, Dei amante, magno Duce Ruſſiæ, „ imperantibus. Sic habet meum Uſtavum. Anthologium vero „ recitat quidem prolixum de Sancta Cruce officium, ſed in „ communi, nilque commemorat de præſenti feſto, quodque „ magis miror, nec Synaxarium, ut deberet, exhibet. Puto tamen hoc feſtum proprium Ruthenis inſtitutum fuiſſe tempore „ Sancti Uladimiri Regis, & Michaëlis Metropolitæ, quod poſtea majori cœpit celebrari cum ſolemnitate ſub Andrea „. Eadem repetit in Appendice pag. 116. „ Andreas, *inquit*, Boholubski, ideſt, Dei amator, filius Georgii Longimani, Uladimiriæ poſt patrem regnavit: ſubjugatiſque peramplis hoſtium „ vicinorum ditionibus, magni Ruſſorum Ducis titulum ſibi „ aſſumpſit: ob relatas vero de Infidelibus victorias, ut Deo „ grates rependeret, feſtum Proceſſionis S. Crucis, ſub S. Uladimiro inſtitutum, cum maxima ſolemnitate celebrari voluit, „ ut dixi in Specimine pag. 89. „ Hæc Kulcinius de illo feſto. Jam vero ſupra oſtendimus, feſtum hujuſmodi nequaquam Ruthenis propriam fuiſſe, ſed Græcis Rutheniſque commune; nihilque aliud continere, quam *benedictionem Aquæ*, ſingulis menſibus in Græcorum Eccleſiis fieri ſolitam, & *Adorationem Crucis*, quæ Jejunio Deiparæ præmittitur. Kulcinius tamen, ut hanc ſolennitatem ad Uladimiri tempora detorqueat, explicandam aggreditur ejuſdem ſolennitatis figuram, quæ hac die 1. Auguſti in Ephemeridibus Papebrochianis exhibetur, in hæc verba. „ Quid ſignificet in Tabulis figuratis hiſtoria expreſſa, ubi exhi- „ ben-

Digitized by Google

„ bentur Chriſtus in aëere apparens, Crux ſuper montem plan-
„ tata, Epiſcopus & Abbas Sancti, ac Reges coronati adſtan-
„ tes, fluvius e monte promanans, duæ feminæ flexis genibus
„ plorantes, unus vir ſimili modo cum muliere orantes, & pue-
„ rulus humi jacens exanimis; prorſus ignoro. Conjicere ta-
„ men licet, quod quum contrito Perani ſeu Jovis idolo, &
„ ſuffecta in ejus locum Sancta Cruce, curantibus Michaële Me-
„ tropolita, Uladimiro, & conjuge ejus Anna, Populus Kio-
„ vienſis a Presbyteris baptizaretur in flumine, puer aliquis
„ excidens e manibus matris, ſubmerſus fuerit, quem extra-
„ ctum in ripam quum plorarent parentes, precibus Michaëlis
„ Metropolitæ ſuſcitatum crediderim; hunc enim primum in-
„ ter Primates venerantur ut Sanctum Rutheni, quamvis ei
„ diem propriam non aſſignaverint „. Mera Kulcinii conjectu-
ra, nullius Auctoris teſtimonio confirmata. Quis enim dixerit, Baptiſmum Ruſſicæ gentis per eam figuram repræſentari, in qua ne unus quidem exhibetur Baptiſmum ſuſcipiens? certe in iiſdem Papebrochianis Ephemeridibus ad diem 6. Januarii, Joannes Chriſtum baptizans, & ad diem 7. idem Joannes populos in Jordane aquis tingens repræſentatur. Cur igitur in hac figura, neque Michaël Metropolita, neque alius quiſpiam Presbyter, pingitur Uladimirum Ducem, ſeu alium quemlibet baptizans, ſi baptiſmum Ruthenorum exhibere pictor voluiſſet? Aliud igitur intellexit pictor, ac in Kulcinii mentem venit: nimirum *adorationem Crucis* unacum *Aquæ Benedictione* exprimere conatus eſt; hanc quidem per *fluvium* deſignans; illam vere per *Crucem in Monte Calvariæ* politam, *Chriſtumque* Dominum in aëre apparentem, quem Sancti in cœlo hinc, inde depicti, omnium ordinum, omniumque dignitatum adorant, *Metropolita*, ſcilicet, *Abbas*, *Diaconus*, *Rex*, *Regina*, *Princeps*, *Laicus*: & homines adhuc in terra viventes colunt, *Virgines* flexis genibus plorantes, & *Vir* cum *Uxore* orans ac *Filiolo* dormiente.

XIV. Oſtenditur in Tabulis Capponianis nihil eorum repræſentari, quæ Kulcinius ad diem 1. Auguſti exiſtimat ad Baptiſmum Ruſſicæ gentis ſub Uladimiro referri.

Cæterum etiamſi demus Kulcinio, in Tabulis Papebrochianis figuram modo deſcriptam ad Ruthenicæ gentis Baptiſmum referri; nihil tamen in noſtris Capponianis Tabulis de Baptiſmo illo cogitari poteſt. Repræſentatur enim *Chriſtus* in aëre ſtans inter *B. Virginem* matrem, & *Joannem* Baptiſtam, & infra ipſum in terra *Sepulcrum* apertum cum *Angelo* ipſum oſtendente, & *duobus hominibus* hinc inde genuflexis, & cum Angelo col-

colloquentibus; qui proinde videntur eſſe Sancti Apoſtoli *Petrus* & *Joannes*, de quibus in Evangelio Joan. 20. verſ.3. & ſeq. narratur, quod ad Sepulcrum Domini perrexerint, & introierint in monumentum, & viderint linteamina poſita, & Sudarium, quod fuerat ſuper caput Chriſti Domini, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim involutum in unum locum. Id quod nullam hiſtoriam continet, aut Victoriæ de infidelibus anno Chr. 1164. relatæ, uti in Uſtavo Ruthenico perhibetur; aut Baptiſmi Ruthenorum ſub Rege Uladimiro & Michaële Metropolitano, quemadmodum Kulcinius conjicit; ſed ad Crucem Domini ejuſque Sepulcrum alludit, cujus fit adoratio ad diem 1. Auguſti, ut ſæpe diximus. Corruunt itaque omnia Kulcinii argumenta, quæ ex illo univerſali Ruthenorum Baptiſmo petiit, ut harum Tabularum antiquitatem ad Uladimiri tempora referret. Poſtremo Tabulas iſtas Capponianas longe poſt Uladimiri ætatem fuiſſe depictas, eo evidentiſſime convincitur, quod in ipſis ad diem 12. Decembris fit commemoratio S. Sabæ Serviorum Archiepiſcopi, qui anno Chr. 1250. obiit. Ad hoc argumentum quid Kulcinius reſpondere queat, Kulcinio ipſi relinquamus judicandum.

CAPUT XII.

De Illuſtriſſimi Falconii Commentariis in Ephemerides Capponianas.

I. Nicolaus Carminius Falconius, primum Martyranenſis Antiſtes, nunc S. Severinæ Archiepiſcopus, Tabulas Capponianas illuſtrat.

SUPEREST, ut paucis diſſeram de manuſcriptis Commentariis, Quæ Illuſtr. Micolaus Carminius Falconius, rogatu Marchionis Capponii, in Tabulas noſtras Græco-Moſchas compoſuit; ſervantur autem apud Illuſtriſſimum E. Franciſcum Cardelli, ejuſdem Marchionis ex ſorore nepotem, atque ex aſſe hæredem. Exſtant etiam in manù exaratis Codicibus, quos idem Marchio Capponius una cum ſelectis Italicis libris Bibliothecæ Vaticanæ ex teſtamento reliquit, nonnullæ Italicæ Epiſtolæ, in quibus laudatus Nicolaus Carminius Falconius de antedictis ſuis Commentariis mentionem facit. Nos vero clariſſimi æque ac amiciſſimi Viri opus idcirco hic recenſendum exiſtimavimus, ut & ſua ipſe laude nequaquam fraudetur, & nemini de nobis ſuſpicionis locus relinquatur, quaſi aliena pro noſtris in lucem emittere velimus.

Digitized by Google

mus. Falconius itaque vir Græce Latineque doctus, Martyranenſis primum Antiſtes, nunc S. Severinæ Archiepiſcopus, Caſſii Dionis Romanæ hiſtoriæ ultimis Libris tribus anno Chr. 1724. reſtitutis, atque erudita *de varia Provincia Romani Metropolitæ* diſſertatione, necnon Tomo primo ex octoginta Dionis libris, priores libros viginti & unum continente, in publicam lucem anno 1747. Græce & Latine cum ſuis variorumque notis emiſſo clarus, ſtatim atque Tabulas Græco-Moſchas Marchio Capponius, ſoluto pretio, ſui juris fecit, ab eodem rogatus, illas Commentariis illuſtrandas ſuſcepit, quibus hunc præfixit titulum: *Faſti Sanctorum Eccleſiæ Græco Ruthenæ, quinque Tabulis antiquitus pictis, totos duodecim menſes complexæ: ex Muſeo Illuſtriſs. Marchionis Alexandri Gregorii Capponii nunc primum edu-ctæ, æri inciſæ, & Nicolai Carminii Falconii Commentariis illuſtratæ.*

II. Falconii allucinationes circa Sanctos Ruthenos.

In *Præfatione* oſtendit quidem, eas Tabulas nec ante undecimum, nec poſt duodecimum Chriſtianum ſeculum fuiſſe depictas: verum quum de SS. Ruthenis *Uladimiro*, *Helena*, *Boriſo* & *Glebo*, deque primis Monaſtici Inſtituti in Ruſſia propagatoribus *Antonio* ac *Theodoſio* differit; tametſi præ oculis haberet tum Papebrochianas Ephemerides, tum Specimen Eccleſiæ Ruthenicæ a laudato Kulcinio conſcriptum, unde ſeriem Chronologicam Metropolitanorum Ruſſiæ ipſe Falconius non tam hauſit, quam verbo tenus exſcripſit; in duos tamen impegit errores. Nam primo *Helenam*, alias *Olgam* nuncupatam, quæ fuit conjux Ighori, mater Suatoslai, & avia S. Uladimiri, non hujus aviam, ſed *matrem* vocat: *Theodoſium* autem Antonii in fundatione Cœnobii Pieczarenſis ad Kioviam ſocium, *Athanaſium* perperam appellat. Deinde cauſam reddere volens, cur in iis Tabulis non ſint inter Sanctos depicti Uladimirus, Helena, Boriſus, Hleba, Antonius, ac Theodoſius, qui a Ruthenis cæteroquin coluntur; quique ante annum Chriſti 1100. in vivis eſſe deſierant; hoc ideo factum affirmat, *quia Patriarcha Conſtantinopolitanus*, inquit, *qui ſupremam in Kiovienſem Metropolitanum juriſdictionem exercebat: (ab illo enim conſecrabatur, in Ruſſiam mittebatur, & ab ejus nutu unacum Ruſſis omnibus, in ſacræ Liturgiæ peragendæ, inque divinorum Officiorum Ritu pendebat:) nondum Ruthenis eum Sanctorum hujuſmodi Ruthenorum cultum permiſerat. Id quod* (ſubjungit) *ex eo confirmatur, quia Græci nun-*

quam illos in Sanctorum ſuorum Catalogum ad hanc uſque diem retulerunt. Sed neque Rutheni propria illos auctoritate Sanctorum albo adſcribere poterant, neque adſcripſerunt, niſi poſt annum Chriſti milleſimum quingenteſimum, quando Conſtantinopolitani Præſulis jugum excutientes, & Autocephali effecti, cœperunt Sanctos Indigenas Kalendariis inſcribere, nullo habito Catholicorum & Schiſmaticorum delectu: quemadmodum videre eſt in Ephemeridibus Græco Moſchis Papebrochii, anno Chr. 1628. confectis, in quibus tanquam Sancti coluntur Uladimirus, mater, filii, & antedicti Monachorum parentes, totque alii tum Catholici, tum Schiſmatici. Eam enim ſententiam Falconius mordicus tuetur, quam de Sanctis Ruthenis Poſſevinus tradiderat.

III. Ejuſdem Falconii allucinatio quoad Ruſſos, quos uſque ad ann. 1500. Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubjectos dicit.

Verum, etiamſi Falconio permittamus, in Papebrochianis Ephemeridibus quoſdam Schiſmaticos pro Sanctis haberi (quod tamen alibi erit expendendum:) non tamen ei conſentire poſſumus, quod Sancti illi Rutheni, Helena, Uladimirus, Boriſus, Gleba, Antonius ac Theodoſius, non ante in Ruſſia cultum habuerint, quam poſt annum Chriſti 1500. quum abjecta Conſtantinopolitani Præſulis obedientia, ſui juris eſſe cœperunt. Nam primo Rutheni longe poſt annum 1500. a Patriarchæ Byzantini nutibus pendere perrexerunt: nimirum uſque ad annum Chriſti 1590. quo Hieremias Conſtantinopoli in Ruſſiam profugiens, Theodoro Joannide magno Ruſſorum Duce rogante, Jobum creavit primum Moſcoviæ Patriarcham; in Michaëlem autem Orthodoxum Kiovienſem Metropolitam, ſententiam depoſitionis tulit: qua de re audiatur Kulcinius in Specimine Part. 3. pag. 126. ,, Michaël III. e nobili Stirpe, dictus Rahoza, an-
,, no 1588. per Jeremiam Patriarcham in locum Oneſiphori ſub-
,, ſtitutus, quum exemplo prædeceſſoris, negaſſet extorri Græ-
,, co pecuniam, audivit ipſum comminantem ſibi depoſitionem.
,, Sed nil territus hiſce minis Michaël, convocavit Breſtam Sy-
,, nodum anno 1590. in qua quum propoſuiſſet, utrum Jeremiæ
,, per Ruſſiam Moſcoviamque vaganti, an Metrophani ſeu Neo-
,, phyto Conſtantinopoli degenti obediendum foret? ex unani-
,, mi omnium congregatorum ſenſu decretum fuit, Ruſſiam
,, inferiorem Moſcorum infeſtationibus fatigatam, ſingulari Se-
,, dis Apoſtolicæ Romanæ protectioni ſubdi debere. Interea
,, Jeremias Patriarcha urbem Moſcuam ingreſſus, rogante ma-

,, gno

„ gno Duce Theodoro Joannide, creavit Patriarcham Moſco-
„ viæ quendam Jobum anno 1590. die 26. Januarii: & ab illo
„ tempore Patriarchalis Sedes apud Moſcos fundata. Magnis
„ pro hac nova fundatione auctus muneribus Jeremias, rediit
„ Conſtantinopolim; & redempto Patriarchatu, recordatus Mi-
„ chaëlis noſtri Metropolitæ, ſententiam depoſitionis in eum
„ publicavit: cujus rei indignitate Epiſcopi Rutheni irritati, au-
„ thores fuere Michaëli, ut Synodum convocaret, qua Breſtæ
„ in Lithuania anno 1594. celebrata, electi fuere duo Legati,
„ qui irent Romam, nempe Hypatius Pociey Uladimirienſis,
„ & Cyrillus Terlecki Luceorienſis Epiſcopi. Hi acceptis a Si-
„ giſmundo III. Commendatoriis literis, pervenerunt Romam
„ anno 1595. ubi ſummo plauſu excepti a Clemente VIII. Pon-
„ tifice Maximo, eidem nomine Metropolitæ, cæterorumque
„ Coepiſcoporum obedientiam præſtiterunt: & ornati inſigni-
„ bus gratiis ac privilegiis, in Ruſſiam redierunt, ibidemque
„ in Synodo Breſtæ rurſus per Metropolitam convocata an. 1596.,
„ renovationem unionis ſanctæ, plaudente toto Regno, pro-
„ mulgarunt „. Itaque Rutheni quidem in Regno Poloniæ & magno Ducatu Lithuaniæ degentes, an. Chr. 1594. a Conſtantinopolitani Patriarchæ obedientia recedentes, Romanæ Sedi ſeſe ſubjecerunt; qui vero Ruſſiam ſuperiorem, & Moſcoviam incolebant, ſub magno Ruſſorum Duce Theodoro anno Chr. 1590. & Patriarchalem dignitatem ſunt conſequuti, & Autocephali effecti, non amplius Conſtantinopolitanis Præſulibus ſubjectionem exhibuere.

IV. Oſtenditur, Ruſſos pro Sanctis coluiſſe nonnullos indegenas etiam quum a Conſtantinopolitano Patriarchę penderent.

Deinde ante eum Chriſti annum, quando adhuc Patriarchis Byzantinis Ruſſi ſuberant, jam pro Sanctis habebant colebantque Uladimirum, Helenam, Boriſum, Glebam, Antonium, ac Theodoſium, alioſque Ruthenos Monachos, Sacerdotes, Principes, Moniales: quorum nomina etiam in Kalendario Poſſeviniano ſunt deſcripta: Poſſevinus autem in Ruſſiam anno Chriſti 1581. perrexerat, adeoque antequam Rutheni utriuſque Ruſſiæ imperium Byzantinæ Sedis abdicarent. Præterea ex libris Eccleſiaſticis Ruthenorum tam Unitorum, quam Schiſmaticorum conſtat, longe ante Poſſevini tempora Sanctos illos Ruthenos in Ruſſia utraque cultos fuiſſe. Nam in Anthologio, in Uſtavo, inque Menæis ſive Prologis, (qui quidem libri annum Chr. 1500. longe antecedunt,) commemorantur Sancti illi Rutheni, quos

ſupra recenſuimus; necnon alii, quorum Catalogum edidit Kulcinius in Specimine Par.3. pag.140. Denique ex Vitis Patrum Cryptenſium, & ex hiſtoria Metropolitanorum Kiovienſium, planum compertumque fit, ante annum Chriſti 1500. Eccleſias in utraque Ruſſia Sanctis illis Ruthenis dicatas fuiſſe, Monaſteria eorum nomini inſcripta; elevationes demum corporum eorundem ſolenni ritu celebratas. Sic Leontius ſecundus Metropolita perhibetur ſacras Uladimiri exuvias in marmoreo Mauſoleo condidiſſe, & Georgius primus Metropolita Sanctorum Boriſi, & Glebæ cultum decreviſſe: ſic etiam corpora Petri vigeſimiquarti Metropolitæ anno Chriſti 1419. & Alexii vigeſimiſexti Metropolitæ anno Chr.1439. in locum ſacrum, eiſque nuncupatum tranferenda curaſſe eorum temporum Metropolitanos.

V. Quid Ill. Falcon. in ſuis Commentariis in Tabulas Capponianas prætiterit.

Hactenus de Præfatione. Ad Falconianas autem in Kalendarium Græco Moſchum adnotationes quod ſpectat, ea quidem amplæ ſunt, & eruditæ: ſed quum Græca tantum Menæa ſibi explicanda Auctor propoſuerit, Ruthenicum hoc noſtrum Kalendarium omnino neglexiſse videtur. Epigraphas enim Sanctorum Imaginibus ſuperſcriptas, neque Græce, neque Ruthenice ſingulis menſium diebus præponit; verum ex Menæis Græcis, quemadmodum ibi Synaxariis titulus præfigitur, ſic ipſe eundem titulum Græce ac Latine eis Sanctis præmittit, quorum Imagines Tabulæ noſtræ repræſentant.

Appendicis loco, Vitas quorundam Sanctorum, Diſſertationeſque ſubnectit, quibus demonſtrare conatur, recentiores amanuenſes, ſive Scriptores, ex uno Sancto oſcitanter multos confinxiſse. Et primum quidem deſcribit *Acta Sanctorum Euſtratii & Sociorum*: deinde *Teſtamentum* SS. Quadraginta Martyrum. Mox Vitam *S. Nicolai* Epiſcopi Myrenſis, quem contendit duobus poſt Conſtantini Magni tempora ſeculis floruiſſe. Subjungit res geſtas *SS. Uladimiri*, *Helenæ*, *Boriſi*, *Glebæ*, *Alexii*, *& Petri Metropolitarum*, *Antonii ac Theodoſii* Monachorum, ex Kulcinii interpretatione deſumtas. Quatuor demum Diſſertationibus opus ſuum terminat: quarum prima eſt, *in Acta Sanctorum Euſtathii*, *& Sociorum*, ubi contendit, ſub eorum nomine alios Sanctos latere, *Nilum* nempe & filios. Altera, *in Acta SS. Catharinæ*, *Irenes*, *Barbaræ*, *& Chriſtinæ*, quas pro una Irene in quatuor Sanctas iſtas a fabulatoribus diviſas eſſe arbitratur. Tertia, *de Baptiſmo & cultu Conſtantini Magni*

gni Imperatoris. Quarta, *in Acta S. Silveſtri Papæ*, quæ ipſe mendis purgata in lucem ſe emittere omnium primum affirmat.

VI. Quid ſentiendum de Sanctorum Vitis, quas Appendicis loco ſubnectit.

Sed ut ingenue mentem meam aperiam, videtur Illuſtriſſimus Falconius plus ingenio in hiſce Commentariis, quam veritati indulſiſſe. Ea ſiquidem commentitia aſſerit, quæ in antiquis utriuſque Eccleſiæ, Latinæ & Græcæ, tabulariis ſunt recepta; quæ vero ab eruditis communiter ut ſpuria repudiantur, ipſe pro genuinis habenda eſſe pronunciat. Quid vero de iſto ſcribendi genere judicaturi ſint eruditi viri, pronum eſt conjicere. Vereor enim, ut de Commentariis hujuſmodi, poſtquam in lucem prodierint, aut ea manuſcripta legerint, idipſum ſentiant, quod Vir clariſſimus Hermannus Samuel Reimarus in Hamburgenſi Academia publicus Profeſſor, in Epiſtola Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi Domini Angeli Mariæ Quirini S. R. E. Bibliothecarii & Epiſcopi Brixienſis, data Brixiæ die 23. Aug. 1746. pag. 8. laudatus, de ejuſdem Falconii Latina Dionis Caſſii verſione cenſuit in hæc verba: *Verum, ne mentiar, ego mihi in hac nova Verſione, emendationis parum, aut nihil; corruptionis & ſordium quamplurimum inveniſſe viſus ſum: ſic ut longe mihi expeditius res proceſſura fuiſſet, ſi de integro Latinam Dionis hiſtoriam de Græco expreſſam condere cæpiſſem*. Et quod idem Reimarus ſubdit de Græcis ejuſdem Dionis excerptis, quæ reſtituiſſe aut emendaſſe ſibi viſus eſt Falconius. „ Venio nunc ad Græ„ ca: ubi vellem, ad ea recte edenda plus Græcitatis attuliſſet; „ vellem Dionis ſtylum ſibi ante reddidiſſet magis familiarem; „ vellem Codici ſuo non ſubſcripſiſſet ſuperſtitioſius; vellem in „ ejus lectione exhibenda plus judicii adhibuiſſet, & magis ſibi „ conſtaret; vellem, Xiphilinum non tam temere & frequenter „ deſeruiſſet, aut doctas & probas emendationes Virorum eru„ ditorum ſpreviſſet; vellem non tam multa ſine ratione & ne„ ceſſitate ex ſuo ingenio præter indolem linguæ Græcæ, & præ„ ter nexum ac ſcopum Dionis mutaſſet. Nam omnia hæc con„ juncta officiunt ſane, ut quæ jam habebamus ante Falconem „ Græca Dionis, multo corruptiora apud eum legantur: quæ „ vero nondum habebamus, vix confidenter ſatis ab ejus manu „ accepta uſurpemus „. Ita dicturi ſunt fortaſſe eruditi Viri, quum viderint, Illuſtriſſimum Falconium, ſine ratione & neceſſitate, ex ſuo ingenio, tam multa de Sanctis affirmare, quæ in antiquis Eccleſiarum monumentis negantur; tam multa negare,

quæ

quæ ibi affirmantur: ita ut quæ jam habebamus ante Falconium Græca aut Latina Sanctorum Acta, multo corruptiora apud eum legantur; quæ vero nondum habebamus, vix confidenter ſatis ab ejus munu accepta uſurpemus.

VII. Ludovici Antonii Muratorii, Viri cl. de ſcriptis Falconianis ſententia, ac præſertim de Dionis Caſſii hiſtoria ab ipſo edita.

Scio, æquiorem clariſſimi Muratorii eſſe de ſcriptis Falconianis ſententiam. Is enim non modo ſuppeditatos ſibi ab ipſo complures Auctores fatetur, quos unacum aliis rerum Italicarum Scriptoribus in lucem emitteret; ſed etiam impenſe laudat evulgata eodem Falconio Dionis Caſsi Fragmenta, inquiens in Præfatione *ad Chronicon Epiſcoporum Sanctæ Neapolitanæ Eccleſiæ, auctore Johanne Diacono Eccleſiæ Sancti Januarii ad Diaconiam in urbe Neapoli poſitæ*, Tom. I. Rer. Ital. Par. 2. pag. 289. *Antiquiſſimum Codicem manuſcriptum, unde hæc deſcripta fuere, habet Vaticana Bibliotheca omnium princeps; & quod meæ felicitati tribuo, clariſſimus ac erudiditiſſimus vir Nicolaus Carminius Neapolitanus, Latinæ non minus quam Græcæ linguæ peritiſſimus, cui ob Dionis Caſſii Hiſtoriam nuper cum tanta ſui nominis laude, ſatiſque melioribus recuſam, multa debet literaria Reſpublica, exemplar, quo ſum uſus, diligentiſſime cum Vaticano Codice contulit*. Idipſum profecto vir ille doctiſsimus, æquuſque literarum æſtimator, & judicaſſet, & ſcripſiſſet de ejuſdem *Dionis Caſſii Tomo primo, continente priores libros viginti & unum, ab urbe condita uſque ad V. C. annum DCX. poſt everſam Carthaginem & Corinthum, nunc primum detectos, reſtitutos, concinnatoſque, & nova fere verſione, & perpetuis ſuis, variorumque notis auctos, ſtudio & labore ejuſdem Nicolai Carminii Falconii, Metropolitæ Eccleſiæ Sanctæ Severinæ in Brutiis ulterioribus in Regno Neapolitano, qui ipſum Sanctiſſimo Domino noſtro Benedicto XIV. Pontifici Optimo Maximo D.D.D. Neapoli anno Domini 1747. apud Joſephum de Bonis publicum Typographum*. Opus ſane laboris non exigui, & plenum eruditionis, ac præſertim in Prolegomenis & Notis. Verum, dum in *plena diegeſi omnium, quæ ad hanc ſuam editionem ſpectant*, ſic præfatur: *Quod bonum, fauſtum, felix, fortunatumque ſit mihi, Reique publicæ literariæ: Caſſii Dionis Romanæ hiſtoriæ habemus libros*: non modo cenſuram eorum, quos ipſe *incredulos, nimium feſtinos præcipiteſque, & parum laborum ejuſmodi æſtimatores, difficiles, moroſos, ſciolos, invidos, otioſos, obtrectatores, congerroneſque & calumniatores* appellat, non evitavit, ſed auxit: quidquid enim

ipſe

Digitized by Google

ipſe dicat, *perſonam detraxi Zonaræ*, *Dionem detexi* (*detectio enim hæc eſt*, *non autem inventio*,) *proinde dedi NOVUM potius*, *quam NOVA*: *Dionem utcumque dedi*, *quod prius ſe habere Reſpublica ignorabat*, *peneque dedi Dionem*, *unam ſi excipias lacunam ab anno V.C.* 671. *ad* 682..... *annorum ferme duodecim*, *quos novem Dio libris excurrerat*, *a vigeſimoſexto libro ad trigeſimumquartum*: *hanc enim irreparabilem jacturam nulli Codices*, *excerpta nulla reparant*, *nec mea diligentia*, *quæ nihil omnino ad id nôn tentavit*, *aut lucubrationes quidpiam contulerant*, *etſi hiſtoria legatur in Appiano*: quidquid, inquam, dicat de Dione, ex Conſtantino Porphyrogenito, Zonara, Cedreno, Tzetza, Suida, aliiſque reſtituto; manifeſtum eſt ex ipſis, quæ e regione textus Dionii profert, Porphyrogeniti, Zonaræ, Tzetzæ, & Suidæ locis, non ipſa Dionis verba, ſed ſenſum in iis auctoribus latere: ac proinde quum Falconius eos, qui perierunt, Dionis libros, in Zonara aliiſve, quorum modo meminimus, reperiſse ſe affirmat, perinde facit, ac is, qui Moſis Hebraicum Pentateuchum in Joſephi antiquitatibus Judaicis, aut textum quatuor Evangeliorum in Annalibus Baronii exſpicari ſe arbitratur.

VIII. Falconii in Dioně ſuum Prolegomena, & eruditorum in eundem judicium.

Jacebat (inquit Falconius de libris Dionis deperditis) *jacebat Protome magnæ ſtatuæ proruta ad Athenæum*: *authorem operis norat nemo*; *& opus ipſum erat obſcurum fere*, *& in parvo pretio* (*non magno utique*, *& pro merito*) *ex ignoratione*, *cujus eſſet artificis*, *cujus corporis*, *cujus lapidis pretioſi*. *Caput*, *brachia*, *reliqua*, *addita fuerant*, *reſciſſis propriis & deperditis*, *ſtatuæ brevioris*; *ſcalproque ineruditioni deformata*. *Antiquarius*, *qui reſtituat fracta*, *qui inveniat*: *ne quidem poſtquam eſt proditum*, *Dionis perdita me inveniſſe* (*& tot annos tardata eſt hæc editio*: *non parva certe morula rimatoribus*) *corpus reliquum*, *qui Phidiæ aut Praxitelis opus monſtret*, *& ex marmore detegat*, *Pario*, *aut auro*; *aliquam proculdubio inibit gratiam ab Republica literaria*. *Quid ſi*, *coagmentatis omnibus*, *ita ſuo loco quæque aptet*, *ut vix vi de cicatrice aliquando appareat*, *& ſtatuam iterum erigat*, *reſtituta etiam ejus baſi*, *cum data olim inſcriptione*? *Porro*, *ſi magnam gratiam*, *non aliud ego feci in Dione* (*erudito colloquor cum lectore*) *nec magnam attamen ego exigo*, *cui magni loco præmii & laudis eſt*, *Reipublicæ inſerviiſſe*; *innumeris experimentis probaſſe Dionis opus*, *dediſſe Romanæ*

Digitized by Google

næ ejus Hiſtoriæ titulum, caput, reliqua ex Plutarcho & aliis, in Epitome Zonaræ diutius deformata. Si id nihil eſt in Rempublicam contuliſſe; qui non probat, det meliora. Utinam & dediſſet; & cur non dedit? ſi fors non læva fuiſſet, minoris longe mihi ſtaret vigiliarum: ſed non aliter potuit inveniri. Fateor equidem me non dare Dioni Præfationem, non multos annos a Sulla, non nobiliſſima multa, quæ in Epitomis Zonaræ & Xiphilini deſunt, quoad hæc omnia jam perdidimus. At enim vero ſtatuam quis acephalam, brachio aliquo, aut pede mutilam ſinet, ſi ea mereatur, ut adſcitio ſaltem capite, brachio, pede, etſi non ſuo, in medium prodeat? Nemo deformitatem illam, opinor, velit; nec damnet reſtitutoris ſolertiam & induſtriam. Hactenus de ſuo Dione Falconius. Nimirum idem ipſe fatetur, *Dionem, tamquam Statuam acephalam, capite, brachio, pede mutilam,* labore ſuo atque induſtria, *adſcititio ſaltem capite, brachio, pede, & ſi non ſuo, in medium prodiiſſe.* Igitur, ſi Dio membris non ſuis, ſed adſcititiis in medium prodit, ſibi ipſe Falconius non conſtat, quum initio Præfationis, literis cubitalibus Reipublicæ Literariæ edicit: *Quod bonum, fauſtum, felix, fortunatumque ſit mihi, Reique publicæ literariæ, Caſſii Dionis Romanæ Hiſtoriæ habemus libros:* inquiunt moroſi, quos ipſe vocat, Cenſores. Non habemus ipſos Dionis libros; ſed eos, qui perditi fuerant, productis Porphyrogeniti, Zonaræ, Tzetzæ, Suidæ verbis, rem eandem, quam Dio retulerat, licet non iiſdem verbis, nec eadem phraſi narrantibus, ſupplevit Falconius: eandem proinde (nec immerito) a literatis exigit gratiam, ac ii, qui reſtitutiones hujuſmodi non modo in deperditis Livii Decadibus, ſed etiam in ædificiis, templis, columnis, inſcriptionibus, ſtatuis, ſignis, vetuſtis libris, omni cum laude faciunt.

IX. Sparſus rumor de Dione reperto, unde, & a quibus?

Atque hæc obiter dicta ſunto, non quod hæc Dionis coagmentata a doctiſsimo Falconio excerpta ſpernenda ac negligenda judicem; ſed ut juſtum iis pretium ſtatuatur, ſimulque pateat Literatis omnibus, rumorem illum in vulgus ſparſum, de invento in Vaticanæ Bibliothecæ angulis integro Dione, eſſe falſiſsimum, neque a quopiam ex ejuſdem Bibliothecæ adminiſtris profectum, ſed ea ratione manaſſe, quam idem Falconius in Prolegomenis num. 19. exponit his verbis: *Oportuit namque de Zonara* (in quo Dionem ipſum reperiſſe ſe autumat:) *altum ſilere, ne præveniret.* Fabricius tamen hoc jam de Zonara monuerat, in-

inquiens: *Præter Xiphilinum, Zonaras quoque in Annalibus ſuis, Epitomen quandam Dionis exhibere videtur: nam in Imperatorum Romanorum geſtis, hunc unice ſequitur; & nonnulla etiam Xiphilino omiſſa, nos docet: ut jam a Voſſio, ac Tillemontio obſervatum*. Jam igitur Voſsius, Tillemontius, ac Fabricius noverant, Dionis Epitomen quandam in Zonara contineri. Verum aliud eſt *Dio* in ſuis ſcriptis, aliud *Epitome Dionis* a Zonara excerpta. Redeo ad Falconium. Itaque de ſparſo illo inventi Dionis rumore ſic ait. „ Oportuit de Zonara altum ſilere, ne „ prævenirer, (quid enim erat facilius, obvio univerſis eo fon„ te detecto?) exornareque opus, ut decebat: Græca tertium „ exſcribere: notas pluries reformare: Manuſcriptos ad hæc „ conferre: edita ſyllabatim, ut ita dicam, conſulere; Verſio„ nes denique recenſere; & vel emaculare, vel novas cudere, „ nec Caſanatæ a Bibliotheca, quæ mihi Romæ promus condus „ eſt; ſemper, aut nocte dieque patet. Interea tamen literæ „ ad amicum virum clariſsimum (*cur nomen non exprimit, & „ ejus, a quo, & ejus ad quem ſcriptæ?*) ſed rei inſcium, vo„ lant undique, num verum ſit, ſciſcitantes, inventum eſſe „ Dionem, & num in Vaticana Bibliotheca? nam vel in eo deci„ piebantur, errore oborto ex mea ad ipſam ſtatione; & quod „ inde tres Dionis ultimos dedi libros: quem tamen rumorem „ prudentia, quod jus mihi faſque erat, non ſivit ut diſsiparem, „ quum præſentes ab amico Romæ, ac abſentes, ſolidi, aut „ enucleati nihil referrent, niſi ſe rem neſcire; obloquentium „ paſsim per Italiam, & per loca alia, agmina congeruntur. Du„ bitantium plena oppida; ſuſpiciones ſemper ſiniſtræ, ob no„ vitatem & incredibilitatem rei, quæ mihi tantum, non tot „ eruditiſsimis viris, qui a quadringentis propemodum annis „ fruſtra, licet contra, ſtudio in hæc intenderant, occurriſſet. „ Ita acribus initiis, & pronis animis auditum; cœptum menda„ cium valuit, & calumnia „. Certe mendacium nullum erat; neque ulla calumnia, Dionis Codicem integrum Græcum ineditum in Bibliotheca Vaticana nunquam extitiſse. Sed mendacium & calumnia, hunc Codicem in Vaticana Bibliotheca exiſtentem, a tot doctiſsimis Cuſtodibus: Alemannio, Allatio, Holſtenio, Schelſtratio, Gaccagnio, Majello, non fuiſse viſum, non lectum, non cognitum. Hoc poſtremum negabant, qui eidem Bibliothecæ præerant. De Dione vero a Falconio e Zonaræ Annali-

 bus

bus excerpendo, & ſupplendo, nemo unus ſomniabat: neque enim ea res tanti erat momenti, ut ſuſpiciones ſiniſtras ob novitatem excitaret.

X. Bibliothecæ Vaticanæ in Ill. Falconium merita; editique ab ipſo Dionis juſtum pretium

Idem ipſe Falconius ingenue profitetur, ab eruditiſsimo, mihique dum viveret, amiciſſimo Carolo Majello, Bibliothecæ Vaticanæ Præfecto, ſuppeditatum ſibi vetuſtiſsimum Dionis Codicem, ex quo tres ipſe poſtremos libros edidit; ſuppeditaturo certe integrum Dionis Codicem, ſi exſtitiſſet. Verba Illuſtr. Falconii in Prolegomenis hæc ſunt num. 3. *Manum ſorte admovebam ultimam lucubrationi meæ,* De varia Provincia Romani Metropolitæ (*quæ ad umbilicum perducta, nondum Deus ſavit, ut publici juris fieret:*) *locuſque mihi, poſt editiones expenſas, conſulendus erat Dionis in LXX. libro, ubi de Italiæ juridicis verba facit; quum Bibliothecam adeo Vaticanam, Codicem ejus aliquem ut obſervem. Auguſtum hoc, & locupletiſſimum Athenæum, quibuſvis & quotannis Novembri menſe* (*qui tunc anni* 1722. *excurrebat*) *patet & reſeratur: ibique indicio beneficioque v. c. primi Præfecti ejus Caroli Majelli ſ. m.* (*Baſilicæ Vaticanæ Canonici, & poſtea Archiepiſcopi Emeſeni, & a Latinis Epiſtolis ad Principes, ut pridem Benedicti XIII., ita etiam claræ memoriæ Clementis Papæ XII.*) *mihi nil ejuſmodi cogitanti, idem ille Codex affertur, qui Dionis fragmenta Fulvio Urſino a* IV. *vel* V. *ſeculo, membranaceum, tricolumnatim quaque plagula ſcriptum, literis capitalibus rectis, unoque ductu, continentique verbo productum, ſine ſpiritibus aut accentibus, ulliſve commatis aut punctis, adamuſſim ego deſcripſi alibi. Pervolvi, reperi quod quærebam: inter quæ vero miſeratus dimidiatas ibi columnas, ubi novi ea factum cauſa, ut fragmenta ſint, quæ Urſinus edidit tantum Græce, Leunclaviuſque Latine reddidit* (*quod vir magnus, ex columnis illis, adeo quaque pagina lancinatis, integram ſententiam poſſe percipi deſperaverit*) *ego in contrariam ab ipſo ſententiam abii. Et, uti ſenſerunt alii, qui fragmina illa, pretioſa tamen, & quæ ederentur, digna duxerunt: ſive ut eruditis cogitandi, replendarumque lacunarum, ex conjecturis, aliove argumento, occaſio præberetur: ſive, niſi non aliud, ut quid inter Urſiniana fragmenta diſtet, Reſpublica noſſe poſſet: me magna cupido inceſſit, ea juris publici faciendi. Ac propterea monente, faventeque in primis, & collaudante laborem, & vota mea, v. cl. quem dixi, Archiepiſcopo Emeſeno, ad ſummam fidem & diligentiam omnia* ex-

exſcripſi. & jam in eo eram, ut ipſa prælo committerem, quum incido in excerpta ex Dione Valeſiana: quæ avide dum excurro, ex dimidiatarum veſtigiis in Codice columnarum, aliorumque locorum, quæ medica egebant manu, in ipſis aliquot deprehendo, quæ confero, atque adamuſſim ſpatiis Valeſiana congruere (quod eadem iiſdemque verbis narrabant) lætiſſime aſpicio. Pergit enarrans quæ in Dione ex aliis auctoribus reſtituendo præſtiterit. Cæterum, ut meritis laudibus in hoc adornando opere Falconium extollendum exiſtimo: ita Reipublicæ Literariæ compertum manifeſtumque volo, primo quidem, ea omnia, quæ clariſsimus Falconius in hoc priore Dionis Tomo edidit, & in reliquis eſt editurus, in Græco Bibliothecæ Vaticanæ Codice non exſtare, neque ullum ibi reperiri Codicem, qui Dionem integrum exhibeat: deinde quod idem eruditiſsimus Auctor in Prolegomenis ad ſuum Dionem conqueritur „ ab invidis, congerronibus, & „ blateronibus, domi foriſque non argui ſe modo, verum pu- „ blice & per typos damnari etiam vel de fuco, vel de impoſtu- „ ra, quaſi poſt tot ſpecilegas & venaticos eruditos, quidpiam „ vere dare poſsit ultra edita, nedum deperditos a principio li- „ bros, acephalo & mutilato Dionis operi „: id, inquam, a Bibliothecæ Vaticanæ Præfectis, aliiſve Adminiſtris, neque manaſſe, neque iis in mentem veniſse. Norunt enim, vel ex ipſis Catalogis, quæcumque in Vaticanis Codicibus continentur. Sed de his hactenus. Ad res Slavicas pergo.

Digitized by Google

PARS II.

ORIGINES ECCLESIASTICÆ

Slavorum, Ruſſorum, Moſcovitarum, Bulgarorum.

CAPUT I.

De Scythis & Sarmatis.

RERUM ordo poſtulat, ut antequam de Kalendariis Slavorum diſſeram, eorum Eccleſiaſticas Origines exponam. Slavi non una gens eſt, neque in una habitans regione. Commune olim omnibus nomen *Scythæ* & *Sarmatæ*. Strabo lib.2. cap. 114. *Habitant ultra Boryſthenem ultimi notorum Scytharum, Rhoxolani ..... Ab his, verſus Meridiem ſupra Mæotidem ſunt* Σαυρομάται καὶ Σκύθαι, μέχρι τῶν ἑώων σκυθῶν, *Sauromatæ & Scythæ uſque ad Orientales Scythas.* Idem lib.XI. cap.507. *Veteres Græcorum Scriptores, univerſas gentes Septentrionales,* Σκύθας ἢ Κελτοσκύθας, *Scytharum, & Celto-Scytharum, nomine affecerunt. Iis autem antiquiores ita diviſerunt eas, ut qui ſupra Euxinum, Iſtrum, & Adriam, incolerent, eos omnes,* Ὑπερβορέους, *Hyperboreos,* καὶ Σαυρομάτας, *& Sauromatas,* ἢ Ἀριμασποὺς, *& Arimaſpos appellarent: qui trans mare Hyrcanum,* Σάκας καὶ Μασσαγέτας, *Sacas & Maſſagetas.* Et eod. lib. cap. 492. ſcripſerat: *Hac diſpoſitione facta, primam partem incolant Septemtrionem verſus & Oceanum, Scythæ quidam Vagi,* Σκυθῶν τινες νομάδες, καὶ Ἀμα-

I. Slavorū antiquum nomen Scythæ, & Sarmatæ.

Ἁμαξοῖκοι, *& in plauſtris degentes vitam: citra hos*, Σαρμάται, καὶ οὗτοι Σκύθαι, *Sarmatæ, ipſi quoque Scythæ*. En Scytharum nomen Sarmatis commune: iidemque Sarmatæ qui Scythæ, & viceverſa. Sic etiam Plinius lib. 4. cap. 12. *Scytharum nomen transit in Sarmatas atque Germanos*. Et Pomponius Mela lib. 3. cap. 4. *Sarmatiam Germaniæ* conjungit, Viſtula amne diſcretam: mox cap. 5. ſubdit: *Inde Aſiæ confinia, niſi ubi perpetuæ nives ſedent, & intolerabilis rigor. Scythici populi incolunt*.

II. Scythæ & Sarmatæ alii in Aſia, alii in Europa.

Igitur quum tam late pateat Scytharum Sarmatarumque nomen, communiter tamen a Geographis bifariam dividi ſolet Scythia & Sarmatia: nimirum in *Aſiaticam* & in *Europæam*. Scythia ſive Sarmatia Europæa, incipit a Viſtula, & ad Pontum uſque ſupra Danubium profertur, de qua hæc Ptolemæus: *Tenent Sarmatiam gentes maximæ*: αἱ δὲ οὐενέδαι παρ' ὅλον τὸν οὐενεδικὸν κόλπον, καὶ ὑπὲρ τὴν Δακίαν πευκῖνοι τε καὶ Βαςάρναι. καὶ παρ' ὅλην τὴν πλευρὰν τῆς Μαιώτιδος Ἰάζυγες, καὶ Ῥωξολάνοι. καὶ ἐνδοτέρω τούτων οἱ Ἁμαξόβιοι: „ Venedi per totum ſinum „ Venedicum: & ſuper Daciam Peucini & Baſtarnæ: & per to„ tum Mæotidis latus Jazyges & Rhoxolani: & qui interiores „ ſunt his, Hamaxobii „. Ab ortu terminatur Tanai fluvio: ab Occaſu, Viſtula, & mari Svevico: a Meridie, Dacia, Ponto Euxino, & palude Mæotide: a Septentrione vero, Oceano Boreali ſeu Sarmatico, & Scandinavia. Sarmatia ſeu Scythia Aſiatica, inde incipit, ubi Europæa deſinit; nimirum a Boſporo Cimmerio, Mæoti palude, & Tanai fluvio: inter Oceanum vero ſeptentrionalem, ac Pontum Euxinum, mare Hyrcanum, Jaxartem fluvium, Indicos montes, in extremum Orientem ad Seres uſque procurrit. Hinc in partes tres a Ptolemæo dividitur: quarum quæ citima eſt, a Mæoti, & Tanais oſtio ad Caſpii maris partem & fluvium Rha, nunc Wolga ſeu Etel, protenditur, Ptolemæo lib. 5. cap. 9. dictæ, ἡ ἐν Ἀσίᾳ Σαρματία, *Sarmatia Aſiatica*. A fluvio Rha ad Imai montis juga eſt pars altera, quæ vocatur *Scythia* intra *Imaum*: & ulterior, *Scythia extra Imaum montem*.

III. Sarmatarum Scytharumque origo ex filiis ac nepotibus Japheti & primo, quidem cis Pontum Euxinum, & Mare Caſpium.

Nobis vero nunc *Scythia* ſeu *Sarmatia Europæa* curæ eſt, & *prima* ex tribus Aſiaticis, quæ a Tanai ad Wolgam extenditur. Nam intra hos fines, ſuas habuere ſedes Slavi populi, quos antiqui, Scytharum ſeu Sarmatarum nomine, donarunt. Miſſis autem iis, quæ veteres Græci Latinique de Sarmatis Schythiſve ſcri-

Digitized by Google

ſcripſerunt, non aliunde eorum origo, quam ex ſacris literis petenda: nimirum ex Japheti filiis ac nepotibus, *Gomer*, *Askenaz*, *Riphath*, *Thogarma*, *Thubal*, *Meſech*, *Magog*, *&* *Madai*: qui primum regiones eis Pontum Euxinum & mare Caſpium incoluerint; deinde ultra eas in Septentrionem uſque ad Viſtulam, verſus ortum, ſint progreſſi. Vir eximius Bochartius, lib.3. de diſperſione gentium a cap.8. ad 14. ſingulis ſedes attribuit: ſed ea præſertim ex ipſo deſumenda hic cenſeo, ex quibus doctiſſimus Auctor Scytharum, Sarmatarumque originem exponit, ubi de Magog diſſerens, Ezechielis Prophetæ hæc verba exponit cap. 38. verſ. 2. נשיא ראש משך ותבל *Principem Rhos*, *Meſech*, *&* *Thubal*, vel, ut habet Vulgata, *Principem capitis Meſech*, *&* *Thubal*. Utramque verſionem verba Hebræa ferre poſſunt. Poſteriorem ſequuntur Caldæus Interpres, Aquila, Hieronymus. Priorem, ἄρχοντα Ῥὼς, Μοσὸχ, ϗ Θοβὲλ, Septuaginta Interpretes, Symmachus, & Proclus Epiſcopus apud Socratem hiſtor. Eccl. lib.7. cap.43. Ex utraque ſequitur, Scythas eſſe oriundos ex Magog, Meſech, & Thubal. Quamvis enim S. Hieronymus negat, nomen *Rhos* ſumi apud Ezechielem pro populo vel regione; „ nec in Geneſi (*inquiens*) nec in alio Scripturæ „ loco, nec in Joſepho quidem, qui omnia Hebraicarum gen„ tium in primo Antiquitatum libro exponit nomina, hinc gen„ tem potuimus invenire: ex quo manifeſtum eſt Rhos non „ gentem ſignificare, ſed caput „; attamen Vir tantus, quum hæc ſcripſit, non cogitabat in illo ipſo Ezechiele multa locorum eſſe nomina, quæ alibi nuſquam occurrunt, puta (a) *Chebar*, *Gammadim*, *Chelmad*, *Chetlon*, *Cub*, *Sibraim*, & alia: adeoque etiamſi *Rhos* nec in Joſepho, nec in aliis extet Scripturæ locis, tamen nihil obſtat, quominus poſſit eſſe loci nomen. Quidquid tamen ſit, ex hoc certe loco conſtat: Septuaginta Interpretum temporibus, notum fuiſſe, inter *Magog*, *Moſoch*, & *Thobel*, etiam populum extitiſſe, cui *Rhos* nomen; derivatum ſcilicet ab *Araxe* fluvio, unde *Araxene* regio: nam qui Græcis *Araxes* idem indigenis ראש, *Rhos*, vocatur. Sic etiam Arabes نهر الرس *Nahar al-Ros* dicunt. Geographus Nubienſis climat.5. Par.6. *In Armenia duo ſunt fluvii magni nominis*: ونهر الكر نهر الرس *fluvius Ros*, *&* *fluvius Cor* (ideſt Araxes, & Cyrus) *ambo*

(a) Ezech. 1, & 27, & 30. & 47.

ambo ex Occaſu, ad Ortum labentes; & quidem fluvius Cor (Cyrus) *qui magnus eſt, & naviger, oritur prope montem* (Caucaſum): *& excurrens ad Tiflis* (Zaliſsam Ptolemæi) *indeque tendens ad fines Hanua & Samcuu*, (*id eſt* Sanguta Ptolemæi) *confluit cum flumine Ros* (Araxe) *& exit in mare Chozar* (Caſpium). *Similiter flumen Ros* (Araxes) *eſt magnum valde: egreditur ex partibus Armeniæ interioris e Calicala*: quod Turcis dicitur *Cara-cala*, id eſt nigrum Caſtellum. Hinc Joſephus Ben-Gorjon cap. 1. de Ruſſis: רוס *Ruſſi habitant ad fluvium Cyrum qui defluit in mare Georgian, id eſt Caſpium*. Cyrum pro Araxe dixit, quia ſunt vicini amnes, quique adeo confluentes, uno, eodemque oſtio in mare Caſpium exeunt. Et ad utrumque Roſſi habitabant in regione interamni, quæ Græcorum eſt *Araxene*. Ex iſta interpretatione (inquit Bochartius loc. cit.) verborum Ezechielis hæc erit paraphraſis: *Pone faciem tuam contra Gog*, obfirma vultum tuum ad prophetandum contra Regem Scytharum; *in terra Magog*, qui Regni ſedem habet in Scythia prope Caucaſum; *Principem Rhos, Meſech, & Thubal*, principem Armeniæ Araxenæ, Moſchicæ & Tibarenæ, regionum contiguarum, quæ tum erant Scythici juris. Scythas enim vel Sacas, quod idem eſt, imperii ſui limites eo uſque promoviſse, diſertis verbis teſtatur Strabo lib. XI. Σάκαι, inquit, τῆς Ἀρμενίας κατεκτήσαντο τὴν ἀρίστην γῆν, ἣν καὶ ἐπώνυμον ἑαυτῶν κατέλιπον, τὴν Σακασηνήν, καὶ μέχρι Καππαδόκων, καὶ μάλιστα τῶν πρὸς Εὐξείνῳ, οὓς Ποντικοὺς νῦν καλοῦσι, προῆλθον: „ Sacæ optimam „ Armeniæ regionem occuparunt, quam a ſe Sacaſenam denominaverunt, & uſque ad Cappadoces, eos maxime qui Pontici dicuntur, ad mare Euxinum progreſſi ſunt „. Quin Scythæ in Trogo (*a*) leguntur juxta *Thermodonta* conſediſſe. Et Thermodon in Plutarcho de fluviis, ποταμός ἐστι Σκυθίας, *fluvius eſt Scythiæ*: in Philoſtrato, *Scytharum limes*. Eſt autem fluvius Ponti, in Euxinum influens. Herodotus Scytharum circa Araxem ſedem antiquiſſimam fuiſſe tradit. Σκύθας τοὺς νομάδας οἰκέοντας ἐν τῇ Ἀσίῃ, πολέμῳ πιεσθέντας ὑπὸ Μασσαγετέων, οἴχεσθαι διαβάντας ποταμὸν Ἀράξεα ἐπὶ γῆν Κιμμερίην, „ Scythas nomades qui Aſiam incolunt, quum a Maſſagetis bello vexarentur, Araxe trajecto, in Cimmeriam abiiſſe „. Cimmeriam, id eſt Scythiam ultra Pontum Euxinum.

Scy-

a Juſtin. lib. 2. de Vita Apollon. lib. 7. cap. 12.

Scythia enim dici cœpit, poſtquam Scythæ a Maſſagetis pulſi illam occuparunt. Diodorus lib.2. Τὸ μὲν ἦν πρῶτον, οἱ Σκύθαι παρὰ τὸν Ἀράξιν ποταμὸν ὀλίγοι κατῴκουν παντελῶς καὶ διὰ τὴν ἀδοξίαν καταφρονούμενοι, „ Scythæ primum juxta Ara„ xem amnem pauci habitarunt, & propter ignobilitatem de„ ſpecti „. Sequitur apud eundem, montanos Scythas inde uſque ad Caucaſum eſſe progreſſos; campeſtres vero uſque ad Mæotidem paludem, & Tanaim, & Septentrionalem Oceanum. Strabo lib.7. cap.215. quidquid trans Cimmerium Boſporum eſt inter Tanaim, & Boryſthenem, Scythiam vocat parvam: Ἐκαλεῖτο ἡ χώρα αὐτὴ πᾶσα, σχεδὸν δέ τι καὶ ἡ ἔξω τοῦ ἰσθμοῦ μέχρι Βορυσθένους, μικρὰ σκυθία. „ Tota illa regio, & fere quid„ quid extra Iſthmum ad Boryſthenem uſque eſt, nuncupabatur „ Parva Scythia „. Plinius quoque Scytharum nomen ad populos ibi degentes extendit, lib.4. cap.12. *Ab eo* (ideſt ab oſtiis Iſtri in Euxinum influentis) *in plenum quidem omnes Scytharum ſunt gentes*: nimirum, ex Araxene trans Pontum progreſſæ, primo occuparunt Tauricam Cherſoneſum, deinde ulteriores regiones inter Tanaim & Boryſthenem poſitas: Tauricæ enim incolæ *Roſſi* nominantur, ideſt Araxeni: Tzetzes chil.2. hiſt.393.

Ταῦροι, τοῦ γένους τῶν βοῶν οἱ ἄρρενες καλοῦνται.
Ἔστι καὶ γένος σκυθικόν, ἐπεὶ δ᾽ ἄδηλον τοῦτο
Σαφέστερον ἐδήλωσα Ταύρους τοὺς Ῥῶς καλεῖσθαι.
Tauri generis boum maſculi vocantur.
Eſt & genus Scythicum; quia autem hoc obſcurum eſt,
Clarius indicavi, Tauro vocari gentes Rhos.

Tzetzis ſcilicet ævo notius erat nomen *Rhos*, quam *Taurorum*. Hinc voce compoſita *Tauro-Scythæ*, æque ac altera *Rhoxalani*: Tauri videlicet, & Alani, populi, alias *Scythæ*, & *Rhoſſi*. Nam Plinius & Ptolemæus utroſque habent, nimirum & *Tauro Scythas*, & *Rhoxalanos*, quorum primos vocant Tauricæ Cherſoneſi incolas; ſecundos, ſupra Mæotidem paludem juxta Tanaim fluvium.

IV. Deinde Pontum Euxinum prætergreſſi, ſedes habuerunt inter fluvios Tanaim & Boryſthenem.

Hæc de Scythis Bochartius: qui ex eodem Ezechielis loco non ſolum nomen, ſed etiam Scytharum mores colligit. Ait Propheta eod. cap.38. v.3. & 4. de Gog. in terra Magog, Principe Rhos, Meſech, & Thubal. *Educam te, & omnes copias tuas, equos & equites &c. &* verſ.5. *nonne venies e loco tuo, a partibus Aquilonis, tu & populi multi tecum, inſidentes equis*

V. Scytharum mores ex Ezechiele Propheta.

omnes. Nempe Scythis etiam in plena pace id in more fuit, ut ſemper equis vectarentur. Hippocrates lib. de aquis & locis, de Scythis ita loquitur: ὑπὸ τῶν ἵππων ἀεὶ κοπτομένοι, ἀσθενέες γίγνονται εἰς τὴν μίξιν, *ex equitatione ſemper deffeſſi imbecilli fiunt ad coitum*. Item. ὑπὸ τῆς ἱππασίης αὐτοὺς κέδματα λαμβάνει, ἅτε ἀεὶ κρεμαμένων ἀπὸ τῶν ἵππων τοῖς ποσίν: *ab equitatione ipſos corripiunt articulorum dolores, quia pedes ipſorum ſemper ab equis propendent*. Nondum enim uſus ſtapedum apud Scythas invaluerat. Subjungit Propheta v. 3. de iiſdem: *excutiam arcum e manu ſiniſtra tua, & ſagittas a dextera tua dejiciam*. Nam Scytharum arma perpetua, ſagittæ & arcus. Ideo Scytharum equites vocantur, ἱπποτοξόται, *hippotoxotæ* ab Herodoto lib.4. cap.46. & Luciano in Toxari & in Hermot. Nempe a teneris jaculari aſſueverant: etiam κινούμενοι ἀφ' ἵππων, *dum ab equis movebantur*: idque tanta peritia, ut raro a ſcopo aberrarent. Unde eſt, quod in Plutarchi Sympoſio dicit Anacharſis, animalia Dei motionibus non minus obſequi, ἢ σκύθαις τόξα, λύραι δὲ ἕλλησι, καὶ αὐλοὶ συμπαθοῦσιν, *quam Scythis arcus, lyræque Græcis & tibiæ obſequuntur*. Et apud Herodotum, Mediæ Rex Cyaxares filium ſuum Scythis committit, ut ab iis addiſcat τὴν τέχνην τῶν τόξων, ſupple, χρωμένων, *artem arcu jaculandi*. Et in Cteſiæ Perſicis, Darius & Scytharches, hic Scytharum rex, ille Perſarum, ἀντέπεμπον ἀλλήλοις τόξα, ἐπικρατέστερον δ' ἦν τὸ τῶν σκυθῶν. *arcus ſibi miſerunt mutuo, ſed Scythicus prævalebat*: quod Darium ita perculit, ut fuga ſibi conſuluerit.

VI. An Scytharum nomen e Germanica voce *Scutten* derivatum.

Eo Scytharum nomen (inquit Bochartius) *multi revocant, quia Germanis* Scutten *ſunt jaculatores. Quomodo Scytharum pars Scythica voce Arimaſpi, ideſt, coclites, vel unoculi dicuntur*, διότι τοξιμώτατοι ὄντες ἐπιμύουσι τὸν ἕτερον ὀφθαλμὸν, διὰ τὸ πρὸς βολὴν εὔστοχον, *quia quum ſint jaculandi peritiſſimi, altero oculo connivent, ut collimient rectius*. Ita Euſtathius in Dionyſium Periegetam: ex Herodoto nimirum in *Melpomene*: ubi ait: καὶ ὀνομάζομεν αὐτοὺς σκυθιστὶ Ἀριμασποὺς. ἄριμα γὰρ ἓν καλέουσι σκύθαι, σποῦ δὲ τὸν ὀφθαλμὸν, *& appellamus eos Scythice, Arimaſpos: Arima enim unum Scythæ vocant, Spu autem oculum*. Aliter legit Euſtathius in Dionyſium, Herodotum ipſum laudans: Ἄρι μὲν γὰρ τὸ ἓν, σκυθιστὶ. μασπὸς δὲ ὀφθαλμός, *Unoculos* Solinus vocat cap. 20. Et Mela lib.2. cap. 1. *Hominum*

minum primi ſunt Scythæ: Scytharumque, queis ſinguli oculi eſſe dicuntur, Arimaſpi. VII. Scythæ Parthis & Medis affines.

Scythæ & Ægyptii diu de generis antiquitate contenderunt: in quo certamine ſuperatis Ægyptiis, Scythæ antiquiores viſi ſunt Herodoto & Melæ: quin imo Curtius lib. 6. cap. 2. Parthos ait e Scythis originem ducere: „ Scythæ ſedes habent in Europa & Aſia. Qui ſuper Boſporum colunt, adſcribuntur Aſiæ. „ At qui in Europa ſunt, a lævo Thraciæ litore ad Boryſthenem, atque inde ad Tanaim alium amnem recta plaga pertinent. Tanais Europam & Aſiam medius interfluit: nec dubitatur, quin Scythæ, qui Parthos condidere, non a Boſporo, „ ſed ex regione Europæ penetraverint „. Intelligit Curtius eam Scytharum irruptionem in Aſiam, duce Madye Rege ſuo tum factam, quum Cyaxare Medorum Rege ſuperato, omni Aſia potiti ſunt; inde in Ægyptum contendentes, a Pſammeticho Rege muneribus ac precibus deliniti, retroceſſerunt; ab eodem demum Cyaxare, poſt 28. annorum dominatum, oppreſſi iterumque expulſi ſunt: qua de re Herodotus lib. 1. & 4. Tunc enim Scytharum reliquias, Parthiam ab ipſis dictam occupaſſe refert Juſtinus lib. 41. cap. 1. idque nominis indicio probat, quod *Scythico ſermone Parthi exules dicuntur*: quod & Euſtathius, aliique confirmant. Quidquid tamen ſit *de Parthis e Scythia primum profectis*, certum eſt, ſub Perſis & Medis Regibus jam antea *Parthiam* inhabitatam, & *Scythas* ſeu *Sarmatas*, *Parthos*, *Medoſque*, gentes fuiſſe affines. Hinc Plinius quidem ad Medos revocat Sarmatarum originem, eorum nempe Scytharum, quos Juſtinus, Curtius, & Euſtathius Parthiam condidiſſe ſcribunt: ſic enim ubi de Mæotide palude lib. 6. cap. 7. *Incolunt Sarmatæ, Medorum ut ferunt ſoboles, & ipſi in multa genera diviſi*: & Mela lib. 4. cap. 3. *Sarmatæ gens habitu armiſque Parthicæ proxima*: Trogus vero de Parthis lib. 41. *Sermo bis inter Scythicum Medumque medius, ex utroque miſtus. Veſtis olim ſui moris: poſtea quam acceſſere opes, ut Medis perlucida ac fluida. Armorum patrius ac Scythicus mos*. Sarmatas, hoc eſt Scythas Europæos, en Plinius voat *Medorum ſobolem*, quos Juſtinus *Parthorum progenitores* aſſerit: Parthos autem & Medos pro iiſdem haberi populis, tradit Æthicus, cujus verba Oroſius lib. 1. cap. 2. deſcribit, inquiens: *Generaliter Parthia dicitur, quamvis Scripturæ ſanctæ univerſam ſæpe Mediam vocant*.

VIII. Sarmatarum Scytharumque nominis origo.

Nec diſplicet conjectura Bochartii, quum ait: *forte dicti* σαρμάτται, *ex Chaldæo*, שאר מדי *Sear*, vel *Sar-Madai*, quaſi *Medorum reliquiæ*. Græci tamen non aliam agnoſcunt, quam Græcam vel Scythicam etymologiam: nam Sarmatas dictos volunt *Sauromatas*, *ab oculis lacertarum*: σαῦρος enim *lacerta* eſt, & ὄμμα, *oculus*: *Scythas* vero; a σκύζω, *quod* ſint *feroces*, & facile σκυζόμενοι: vel a σκυθρὸς, *vultum præferent torvum* & *tetricum*: quo etymo ad illud Scythicum alludunt, Ἀριμασποί, *Monoculi*: quia nimirum (ut ſupra ex Euſtathio obſervavi) quum ſint jaculandi peritiſſimi, altero oculo connivent, ut rectius colliment. Hoſmanus vero, verbo *Sarmatia*, poſtquam Sauromatarum originem ex σαῦρος, & ὄμμα produxiſſet, ſubjungit: *Ego certe*, *quid ſibi velit hæc etymologia*, *plane neſcio*. Veriorem illam credit doctiſſimi Bochartii, qui Sarmatas dici putat, *Sar-Madai*, *quaſi Medorum reliquias*. Convenit & primum vetuſtiſſimumque apud Græcos ipſos Sarmatarum nomen, Σαμάται: qui enim Stephano dicuntur Σαρμάται, aliis σαυρομάται, iidem Dionyſio appellantur & Σαμάται, & σαυρομάται. Sic enim ille de Sarmatiæ Europææ incolis: v. 305.

Τῶ μὲν πρὸς Βορέην πεπανυσμένα φῦλα νέμονται,
Πολλὰ μαλ' ἑξείης Μαιωτίδος ἐς ςόμα λίμνης
Γερμανοὶ, Σαμάται τε, Γέται θ' ἅμα, Βαςάρναι τε.

Idem v. 612. ubi de Sarmatis Aſiæ populis.

Ἤτοι μὲν λίμνης Μαιωτίδος ἄγχι νέμονται
Αὐτοὶ μαιῶται τε καὶ ἔθνεα Σαυροματάων.

In *Samatis* vero manifeſte apparet origo *Madai*, h. e. Medorum: & in *Scythis* origo *nomadum*, a σκύτος nimirum derivata, quod eſt *corium*: coriaceis enim tentoriis nomades utuntur: congruit & gentis origo: nam, ut ſupra dixi a filio Japheti משך *Meſech*, prodiere *Moſchi*, Scytharum populi; *Meſech* autem Hebræis, Chaldæis, & Syris, idem eſt, ac *pellis*, *corium*: undæ Græcorum Μέσχος, pro vellere, vel pelle quavis. Heſychius ex Nicandro, Μέσχος, κώδιον, δέρμα. Qui igitur *Meſechæi* ſeu *Moſchi* a Meſech dicti, iidem *Scythæ* a σκύτος, eodem ſenſu, appellati: poſtea, euphoniæ cauſa, *Scythæ*. Solent quippe Græci populos a locis, a moribus, & a ratione vivendi appellare; ſic *Hamaxobii* Scythæ dicuntur, *quia pro ſedibus plauſtra habent*: *Anthropophagi*, ſive ἀνδροφάγοι, quod nomen a morum feritate eſt, *quia carne humana veſcuntur*: Μελάγχλαινοι, *ab atris* *veſti-*

Digitized by Google

veſtibus quas geſtant. Ἱππομολγοὶ, quod *lacte equino paſcuntur*: γαλακτοφάγοι, *lactivori*: & his ſimilia. Hæc autem etymologia a σκύτος, *corio*, petita, minus a Scythis (meo judicio) abhorret, quam quæ a Germanica voce *Scutten* derivatur: quamquam Græci *Scytham* quemdam, Herculis filium, comminiſcuntur, a quo *Scythiam* dictam putant; Plinius vero lib. 7. cap. 56. *Arcum & ſagittas Scythen Jovis filium inveniſſe* ſcribit. Sed ſolenne Græcis eſt, gentium, quarum originem ignorant, progenitores ad Jovem aut Herculem referre.

CAPUT II.

Slavorum origo.

PRIMA *Slavorum* mentio ſub Juſtiniano Imperatore occurrit apud Procopium de Bello Gothico non ſemel. Σκλαβηνοὶ, *Sclaveni* vocantur, & *Antis Hunniſque* conjuncti, trans Iſtrum habitaſſe dicuntur, eoque trajecto, Romanos infeſtaſſe, & in Illyricum invaſiſſe. Pauca ex Procopio recitabo, ex quibus origo gentis appareat. Præmittit Procopius lib. 2. cap. 14. quod *Eruli* trans fluvium Iſtrum olim habitantes, cultuique idolorum dediti, quum procedente tempore & numero & viribus ſupra finitimos omnes Barbaros creviſſent, adorti ſingulos, pronam habebant victoriam, & in eorum fortunas graſſabantur. Demum *Longobardos*, jam tum Chriſtianos, & quaſdam alias gentes ſibi vectigales fecerunt. Sed pacem, quam triennio ſub Anaſtaſio Imperatore coluerant, pertæſi, Rodulphum Regem ſuum compellunt, bellum Longobardis indicere: quo commiſſo, quum inſignem de ipſis victoriam Longobardi retuliſſent, Rege ipſo Rodulpho cæſo, factum eſt, ut e patria migrantes, pars eorum, Iſtro amne trajecto, in Illyrico conſederint; cæteri Iſtrum trajicere nolentes, ſed in extremis orbis partibus ſedes figere, cunctis *Sclavenorum populis* illos per fines ſuos deducentibus, vaſta ſolitudine permenſa, ad Varnos primum venientes, poſtea Daniam tranſcurrentes, demum Oceanum progreſſi, in Thulen inſulam navigarunt. Præmiſſa autem Sclavenorum ultra Iſtrum ſede, pergit idem Procopius lib. 3. cap. 38. trajectum ipſorum ſub Juſtiniano deſcribere. „Sub idem tempus, *inquit*, Sclavenorum exercitus, ex tribus ſolum conflatus virorum millibus,

1. Primum Slavi a Procopio memorati, & *Slaveni* dicti.

„ bus, nemine prohibente, Iſtrum fluvium trajecit, ac nullo „ negotio ſubinde tranſmiſſo Hebro flumine, bifariam diſceſſit. „ Conſtabat pars altera mille octingentis; altera reliquis. Utroſ- „ que, quamvis invicem, ut dictum eſt, ſeparatos, aggreſſi in „ Illyrico Thraciaque exercitus Romani Duces, præter opinio- „ nem victi ſunt, ac partim ibi ceciderunt, partim evaſerunt, „ incompoſiti fugientes. Poſtquam ab utroque Barbarico exer- „ citu, quamvis numero longe inferiore, Romani Duces omnes „ ita fuſi fugatique ſunt, cum Asbade pars hoſtium altera ma- „ num conſeruit. Erat hic vir Juſtiniani Auguſti ſtipator, Can- „ didatis quos appellant, adſcriptus, & equitibus præerat ve- „ teribus ſtationariis Tzuruli Thraciæ caſtelli, numero animo- „ que pollentibus. His quoque *Sclaveni* disjectis, quampluri- „ mos turpiſſime fugientes interfecerunt, captumque Asbadem „ tum quidem vivum ſervarunt, ſed poſtea conjectum in flam- „ mas combuſſerunt, defectis prius loris ex dorſi illius pelle. „ His peractis, Thraciam omnem atque Illyricum impune va- „ ſtarunt: ac multa utrique caſtella obſidione ceperunt, qui „ antea nec muros oppugnare, neque in campum deſcendere „ audebant. *Et poſt pauca*. Qui Asbadem vicerant, ad mare „ uſque continenter omnia populati, urbem maritimam, quam- „ vis militari præſidio munitam, expugnarunt: Toperus dici- „ tur, urbiumque maritimarum Thraciæ prima eſt: ac Byzan- „ tio dierum iter duodecim diſtat „. Et narrata eorum ſævi- tia, concludit. „ Ita uterque eorum exercitus, quaſi nimio „ ſanguine ebrius ac ſatius eſſet, quos in poſterum caperet, il- „ lorum parti donare vitam ſtatuit; quo factum eſt, ut domum „ omnes reverſi ſint, cum captivorum innumeris myriadibus „. Hæc prima Sclavenorum irruptio. Altera ab eodem Procopio deſcribitur lib. 3. cap. 40. „ Sclavenorum catervæ quantæ nun- „ quam antea prodierant, ad Imperii Romani fines progreſſæ, „ trajecto Iſtro flumine, Naiſum venerunt, eo, ut ſubjungitur „ conſilio, ut Theſſalonicam, urbeſque illi circumjectas obſi- „ dione caperent „. Sed terruit eos Germanus, olim Antarum victor, recens ab Imperatore Juſtiniano creatus Magiſter militum totius Thraciæ. „ Itaque Sclaveni hunc Germanum veriti, ac „ ſimul rati florentiſſimo exercitu ſuccinctum eſſe, utpote qui „ adverſus Totilam & Gothos ab Imperatore mitteretur, cœ- „ ptum Theſſalonicam verſus iter ſtatim abrumpunt, neque auſi

„ am-

Digitized by Google

„ amplius in campos digredi, omnibus Illyrici montibus ſupe„ ratis, in Dalmatiam intrant „. Interim mortuo Germano, Imperator Joannem Vitaliani ex fratre nepotem, Germanique generum, alterumque Germani filium Juſtinianum jubet exercitum in Italiam ducere. Illi vero quum in Dalmatiam perveniſſent, Salonis hiemem traducere conſtituerunt, ſtatim ab illius exitu Ravennam recte ire habentes in animo. At Sclaveni, tum qui prius in oras Imperatori ſubditas ſe intulerant, tum qui paulo poſt, trajecto amne Iſtro, illis ſe permiſcuerant, impuniſſime Romanum Imperium incurſarunt. In eos miſit Imperator exercitum, Ducibus cum aliis, tum Conſtantiano, Aratio, Nazare, Juſtino altero Germani filio, & Joanne cognomine Helluone: porro Scholaſticum præfecit omnibus, unum e numero Eunuchorum Palatii. Sclavenorum partem offendit hic exercitus ad Adrianopolim, urbem Thraciæ mediterraneam, ac dierum iter quinque Byzantio diſſitam. Ibi commiſſo prælio, vi demum victis Romanis, milites multi iique fortiſſimi cadunt: Duces ab hoſtibus tantum non capti, vixque elapſi cum reliquis, evadunt quo cuique licet. Conſtantiani vexillum cepere Barbari: ac ſpreto Romanorum exercitu, ulterius progreſſi, Aſticam quam appellant regionem vaſtarunt, jamdiu intactam: quamobrem prædam ibi copioſiſſimam invenerunt. Late facta populatione, pervenerunt ad muros Longos, qui Byzantio diei itinere paulo amplius diſtant. Aliquanto poſt Romanus exercitus hos ſequutus Barbaros, partemque eorum nactus, repentino ipſos fuderunt impetu, ac cæſis plurimis, captivorum Romanorum ingentem receperunt numerum, & inventum Conſtantiani Vexillum retulerunt: reliqui Barbari cum reliqua præda domum reverſi ſunt. Hæc de Sclavenis Procopius.

II. An Slavi dicti quaſi Spori, ideſt, Sparſi.

Ad nomen vero eorum moreſque & linguam quod ſpectat, idem lib. 3. cap. 14. ſic ſcribit. „ Et vero hi populi, Sclaveni, „ inquam, & Antæ, non uni parent viro, ſed ab antiquo in popu„ lari imperio vitam agunt.... aliarum etiam rerum fere om„ nium ratio ab utriſque Barbaris ſervatur eadem, fuitque olim „ conſtituta. Unum enim Deum, fulguris effectorem, Domi„ num hujus univerſitatis ſolum agnoſcunt, eique boves & cu„ juſque generis hoſtias immolant... Præterea fluvios colunt, „ & nymphas, & alia quædam numina, quibus omnibus operan„ tur... Una eſt utriuſque lingua admodum Barbara, nec for-

„ ma

„ ma corporis inter ſe differunt ... Vitam æque ut Maſſagetæ „ victu arido incultoque tolerant, toti, ſicut illi, ſordibus & „ illuvie ſemper obſiti; ingenium ipſis nec malignum nec frau„ dulentum; & cum ſimplicitate mores Hunnicos in multis re„ tinent. Nomen etiam quondam Sclavenis Antiſque unum „ erat: utroſque enim appellavit *Sporos* antiquitas, ob id, „ opinor, quia σποράδην, hoc eſt, *Sparſim*, & rare poſitis taber„ naculis regionem obtinent: quo fit, ut magnum occupent „ ſpatium: & vero ulterioris ripæ Iſtri partem maximam habent. Procopius quum circa Sclavenorum nomen ait, σπόρους γὰρ τὸ παλαιὸν ἀμφοτέρους ἐκάλουν, ὅτι δὴ σποράδην, οἶμαι, διεσκηνημένοι τὴν χώραν οἰκοῦσι, *utroſque* (*ideſt*, *&* *Antas* *&* *Sclavenos*) *appellavit Sporos antiquitas*, *ob id*, *opinor*, *quia Sparſim poſitis tabernaculis regionem inhabitant*: quum, inquam, hæc de eorum nomine ſcribit, rem quidem attingit, non tamen ipſum degnat: neque enim Græci erant Antæ & Sclaveni, neque Græca lingua utebantur, ut σπόρος Græci vocarentur: ſed quod Græcis eſt σπόρος, & Latinis *Sparſus*, atque *diſſeminatus*; idem Sclavenis Antiſque dicitur *Roſſus*, ſive *Ruſſus*, ut mox exponam.

III. Slavorum nomen a voce *Slava* derivatum, quæ gloriam, & famam ſignificat.

At vero *Sclavenorum* nomen rem aliam deſignat, aliamque habet originem: nimirum, *Slavi* dicti a *Slava*, ideſt, gloria. Joannes Petrus Kohlius in hiſtoria Codicis ſacri Slavonici, impreſſa Altonaviæ anno 1729. pag. 13. *Obſervatiunculam hunc addendam eſſe puto de vera accurataque vocis* Slavi *ſcriptione*, *quam alii cum litera* C, *alii ſine ea ſcribendam volunt*. *Nimirum*, *ex Etymologia vocis*, *ſcripturæ veritas judicanda eſt*. *Optima autem eſt a Slavonico vocabulo* Slava, gloria, *derivatio*, *quam ſolam etiam Rutheni*, *aliique* Slavici *ſcriptores agnoſcunt*. *Non dubium igitur*, *quin verius abſque* C *ſcribatur*, Kohlio adjungendus Kulcinius, Ruthenus ſeu *Slavus* & ipſe, in Appendice ad Specimen Eccleſiæ Ruthenicæ, Romæ 1734. pag. 101. *Quamvis gentibus Sarmaticis late per orbem diffuſis diverſa fuerint cognomenta*, *mores varii*, *animique diſcordes*, *imo & linguæ ejuſdem confuſiones multiplices*; *ubi tamen eædem gentes Sarmaticæ ſub communi* Slavorum *nomine a* Slava, *ideſt*, gloria, *derivato*, *armis ac potentia excellere cœperunt*; *facile quoque in unius linguæ dialecton conſenſerunt*, *quo vix aliquantum alicubi diverſo nunc utuntur Boëmi*, *Moravi*, *Poloni*, *Ruſſi*, *Bulgari*, *Raſcii*, *Dalmatæ*, *&* *Moſci univerſi*. Idem Kohlius pag. 7. de Slavis & Sla-

Slavica lingua dixerat: *Longiſſime, ſi quæ alia, Slavonica gens linguaque patet. Nec ea tantum, quæ in notiſſimo illo, quod Romano Imper. ſubeſt, Slavoniæ regno ſedem domiciliumque habet natio; verum omnes etiam genere linguaque cognati populi, cujuſmodi ſunt Bohemi, Ungari, Poloni, Rutheni, aliique multi, Slavorum nomine appellantur*. Hanc gentis varietatem lingua, ut plerumque fit, ſequitur. ,Proinde tot linguas dialecto Slavonicas, quot genere Slavos populos, habemus. Slavonica e. g. vocatur Vendica, Sorabica, Bohemica, Polonica, Hungarica, Ruſſica, aliæque, quas omnes enumerare longum eſt, complures. Denique Hoſmanus in ſuo Lexico verbo *Slavi*, ex Cromero de orig. & reb. geſt. Polonor. „ Nominis origo *Slava*, quod famam ſeu „ gloriam genti notat, quam illa rebus magnis & præclaris con„ tra Romanos ac finitimos quoſcumque geſtis comparavit. Hinc ſubjecta vox nominibus propriis, ut Vincislavus, Stanislavus, Ladislavus &c.

IV. Slavonicæ linguæ amplitudo.

Et Slavonicæ quidem linguæ amplitudinem, multi Scriptores conſignarunt (ut idem Kohlius tradit pag. 8.) In his *Herberſteinius* rerum Moſcoviticarum Par. 1. *Brerewoodus* in libro Anglico, in Latinam poſtea linguam converſo, de ſcrutinio Religionum, & Linguarum. *Johannes Leonh. Friſchius*, in tribus ſuis de hiſtoria linguæ Slavonicæ Schediaſmatibus: ipſe demum Kohlius in diſſertatione Petropoli concinnata; in qua diſſerit de linguæ Slavonicæ faſtis, præſertim in Germania, illiuſque cum aliis linguis, præcipue cum Germanica, concentu; rejectiſque eorum opinionibus, qui vel ex Hebraico fonte eam cum Abrahamo Frenzelio, & Joanne Herbinio in Religioſis Kiovienſibus Cryptis Jen. 1675. editis, derivare; vel Græcæ cognatam eſſe volunt, ad eorum ſententiam accedit, qui plurima vocabula vel cum Germanica lingua, vel cum aliis ex hac ortum habentibus, Anglica nimirum &c. convenire arbitrantur.

V. Iidem Slavi dicti *Sclaveni*, *Sclavi*, *Sclavini*.

Verum nos, miſſa ad eruditos iſta de Slavonicæ linguæ amplitudine, & cum aliis linguis concentu quæſtione, ut ad *Slavorum* nomen & populos redeamus, qui Procopio Σκλαβηνοὶ, *Sclaveni*, iidem dicuntur Theophani Σκλάβοι & Σκλαβῖνοι. Sic enim in Chronographia ad annum Juſtiniani Imperatoris 32. Incarnationis 551. Orbis conditi 6051. „ Hoc etiam anno Unni & Sclavi, *ὖννοι ϗ σκλάβοι*, cum maximis copiis in Thraciam ir„ ruentes, eam bello vaſtaverunt, multoſque homines vel occi„ de-

„ derunt, vel in captivitatem abduxerunt: ſed & Sergium mi-
„ litiæ Magiſtrum, Bacchi ſenioris filium, & Ederman, Calopo-
„ dii clariſſimi Cubiculari & Præpoſiti filium, ceperunt. Quum-
„ que partes quaſdam muri Anaſtaſiani terræmotibus collapſas
„ reperiſſent, per eas ingreſſi, in poteſtatem ſuam redegerunt
„ loca ad Drypiam, Nymphas, & Chittus vicum ſitas: cuncti-
„ que facultatibus ſecum aſportatis, in urbem confugerunt.
„ Quamobrem Imperator multos ex civium numero delectos,
„ ad Longum murum miſit. Ibi commiſſa pugna, multi Roma-
„ norum & Scholarium ceciderunt. Poſtremum autem jubente
„ Imperatore Ciboria argentea, & ſanctæ Menſæ pariter ex ar-
„ gento, quæ extra civitatem in Eccleſiis erant, ſuis locis expor-
„ tatæ ſunt: portas vero omnes Theodoſiani muri defenderunt
„ Scholæ, Protectores, Numeri, & univerſus Senatus. Sed
„ quum barbaros illic pertinaciter permanere videret Impera-
„ tor, Patricium Beliſarium unacum aliis Senatus contra ipſos
„ progredi juſſit. Porro Beliſarius ſumptis omnibus equis, tam
„ Imperatoris quam circi, ſed & ſacrarum Domorum, necnon
„ uniuſcujuſque hominis privati, cui fuit equus in poteſtate, po-
„ puloque armis inſtructo, ad Chitti pagum profectus eſt, ibi-
„ que aciem omnem compoſuit: tum quoſdam ex barbaris cape-
„ re & interficere cœpit: quin etiam arbores cædi, & pone
„ exercitum in terram trahi imperavit: ex quo pulvis ingens
„ vento excitatus, & in barbaros delatus, ſuper eos incubuit.
„ Qui quum maximas copias inde adeſſe exiſtimarent, in fugam
„ verſi, ad regionem ſancti Stratonici ad Decatum receſſere.
„ Ac quum ſubinde a ſpeculatoribus reſciviſſent, Conſtantino-
„ polis muros magno militum numero eſſe defenſos, Tzuru-
„ lum, & Arcadiopolim, & Sancti Alexandri Zupparorum ver-
„ ſus digreſſi ſunt: ibique caſtris poſitis uſque ad Paſcha ſubſti-
„ tere. Peracto feſto Paſchali Imperator cum univerſis civibus
„ urbe relicta, ad reparandas muri Longi ruinas, Selybriam
„ perrexit. Quare pedem retulerunt barbari, & trans murum
„ abierunt. Ibi manſit Imperator ad Auguſtum uſque menſem:
„ ſimiliter & barbari uſque ad menſem Auguſtum extra urbem
„ circumvagabantur. Cæterum Imperator bipuppes naves con-
„ fici, iiſque in Danbio adverſus Unnos, ſi quando transfreta-
„ rent, excipere, & cum eis manus juſſit conferere. His auditis
„ barbari, miſſis legatis, petiverunt, ut ſibi reditus tuto per-

„ mit-

„ mitteretur, & Danubium trajicerent. Miſit ergo Imperator „ Juſtinum nepotem ſuum, & Curopalatem, eoſque dimiſit in„ columes.

VI. Gens Slavorum Unni.

En Sclavi Unnis conjuncti, vel ab Unnis niſi nomine, non diverſi. Idem Theophanes ad annum Conſtantis Imperatoris 23. Incarnationis 656. *Porro Abderachman, Chaledi filius, exercitu in Romanam Ditionem deportato, illic hyberna duxit, & multas provincias depopulatus eſt. Sclavini vero*, οἱ δὲ Σκλαβῖνοι, *ad quinque millia ipſi adjuncti, per Syriam effuſi ſunt, & in Apamæorum agro*, ἐν Κώμῃ σκεβοκοβόλῳ, (lege σελευκοβήλῳ) *ad Scevocobolum (lege Seleucobelum) oppidum habitavere.* Iſti ſunt Sclavini, qui Iſtro trajecto, Arabibus in Syria ſeſe conjunxerunt, quorum in Saracenica hiſtoria fit frequens mentio.

VII. Arabicus Scripturæ Interpres Sclavorum originem ab Askenaz deducit.

Hinc Arabs Imterpres, nomen *Askenaz*, quod Geneſ. 10. 3. legitur, vertit الصقالبه, *Sclavos*, ſenſum magis, quam vocem reſpiciens. Putavit enim, non propria ibi filiorum Japheti nomina, ſed populos ab iis derivatos deſignari. Bochartio autem lib. 3. cap. 9. docente, Coloni, Duce Askenaz, in minorem Phrygiam, Troademque deducti, ad Pontum uſque ſe diffuderunt, qui quum ex accolarum nomine diceretur Askenaz, a Græcis paulum deflexa voce, nominatus eſt Ἄξεινος, *Inhoſpitalis*, & poſtmodum Εὔξεινος in contrarium verſa ſignificatione, ad vitandum δυσφημίαν. Apollodorus apud Strabonem lib. 7. dicit, *Axenum appellatum ob nimium rigorem, & ſævitiam accolentium populorum, & Scytharum maxime hoſpitum immolatorum carnibus veſcentium, ac calvariis poculorum loco utentium.*

VIII. Slavi Romanis fœdere conjuncti.

Eſt & aliud Sclavenorum genus, qui cum Romanis militabant, de quibus Theophanes ad ann. Juſtiniani 7. Incarnat. 684. *Hoc anno ex deportatis in Aſiam Slavis*, ἐκ τῶν μετοικισθέντων ὑπ' αὐτοῦ σκλάβων, *viros bello idoneos elegit Juſtinianus, & in exercitum ad triginta millia adlectos armis inſtruxit, quos Aciem ſuperabundantem nuncupavit, & eorum ductorem Nebulum. Eorum robori confidens, Arabibus ſcripſit, ſe pacis a ſe ſcriptæ conditionibus non amplius ſtare poſſe: & ſuperabundanti illa Acie, equeſtribuſque longioribus eductis, Sebaſtopolim quæ ad mare eſt, contendit. Arabes ex adverſo pacis ſe ſtudioſos ſimulare, nec eam velle infringere: illius violandæ cauſam ex Imperatore, & ex ejus præcipiti animo ad bellum renovandum cogi: deinde*

inde & ipſi arma induentes, Sebaſtopolim accedunt: ibique Imperatorem obteſtantur, ne pacta, quæ inter ſe invicem interpoſito jurejurando firmaverant, ſolueret: Deum alioquin ultorem atque judicem injuriarum futurum. Imperatore neque tantum auditu hæc ferre paſſo, quinimo ad prælium quantocyus procurrente, Arabes ſcriptas de pace tabulas in aerem expenſas, & ex longa haſta flamuli vice ſuſpenſas præcedere jubentes, ipſi, Muamed Duce, in Romanos irrunt, & bellum committunt. At Muamed, Sclavorum qui cum Romanis auxiliares militabant, Ducem clam tentans, tranſmiſſa ad eum pharetra nummis aureis plena, pluribus etiam pollicitis delinitum, cum ſociorum viginti millibus ad ſuas partes tranſire ſuadet. Ita fugam, quam Romani tulerunt, ille mercatus eſt. Sub id tempus, Sclavorum reliquias, etiam mulieres & pueros, Juſtinianus e medio ſuſtulit, ad Leucatam locum præruptum atque maritimum, & ad Nicomediæ ſitum litora.

IX. Slavorum gens Abares.

Eodem quoque Sclavorum *τῶν σκλάγων* nomine, illos appellat, cumque Avaribus ſeu Abaribus populis conjungit Auctor chronici Paſchalis ad annum Heraclii Imperatoris XVI. Indictione XIV. ideſt Chr. 626. ubi deſcribens Chagani Avarum Regis obſidionem, qua urbem Regiam menſe Auguſto arctiſſime cingebat: „ nocte, *inquit*, feriæ ſecundæ (quarta ſcilicet Au-
„ guſti die) ſub diluculum non potuere Avarum trabariæ falle-
„ re noſtras excubias, ac ad Perſas trajicere, Sclavis omnibus
„ qui in trabariis inventi ſunt, vel in mare præcipitatis, vel a
„ noſtris interfectis, *πάντας τὲς ἐν τοῖς μονοξύλοις ἀρεθέντας*
„ *σκλάβες*, Sed & Armenii ex Blachernarum muro egreſſi,
„ ignem in Porticum, quæ ædi Sancti Nicolai adjacet, immiſe-
„ runt. Quumque Sclavi, *σκλάβοι*, qui ex trabariis in mare
„ natandi gratia ſe demiſerant, Avares eſſe qui ad mare ſtatio-
„ nem haberent, ex igne conjicecent, huc venere, ibi ab Ar-
„ meniis ſunt interfecti. Pauci vero alii ex Sclavis natatu eva-
„ dentes, quum ad impii Chagani caſtra perveniſſent, illius juſ-
„ ſu trucidati ſunt. Ac Deo poſtmodum ita volente, & inter-
„ ceſſionibus Dominæ noſtræ Deiparæ, uno momento illius in
„ mari accidit ſtrages. Quippe univerſis trabariis in terram a
„ noſtris ſubductis, execrandus Chaganus in ſua caſtra reverſus,
„ reduci præcepit machinas omnes quas ante muros ſtatuerat,
„ foſſamque quam fecerat diruit, turreſque caſtellis inſtructas,
„ quas

„ quas erexerat, ac vallis & ſudibus, ipſiſque turribus caſtel„ latis ac teſtudinibus, corio prius nudatis, incenſis, receſſit. „ Quidam ajunt. *Sclavos* ὅτι οἱ σκλάβοι, quum quod actum „ fuerat, vidiſſent, caſtris relictis receſſiſſe, eoque & execran„ dum Chaganum reverti, illoſque ſequi coactum fuiſſe „. Sclavi itaque Chagani Avarum Regis, Romanorum hoſtis, auxiliares erant: quin imo Abares & Sclavi, una eademque gens, ſi Conſtantinum Porphyrogenitum audimus, cujus in libro de Adminiſtrando Imperio, Par. 2. cap. 29. hæc ſunt verba de Dalmatia, & Diocletianis populis, Diocleam urbem incolentibus: *Iſtorum autem Romanorum protendebantur termini ad flumen Danubium uſque: quod quum aliquando tranſmiſiſſet, diſcendi gratia, quinam trans Danubium habitent,* εὗρον ἔθνη σκλαβινικὰ, ἄοπλα ὄντα, ἅτινα καὶ Ἄβαροι ἐκαλοῦντο, *invenerunt Sclavinos, qui & Abares nuncupati, gentem inermem*. Et infra: *Hac igitur permutatione multis annis facta, Sclavi qui trans flumen habitabant, qui & Abari dicti*. Cætera.

Idem Conſtantinus Porphyrogenitus lib. cit. Par. 2. cap. 9. modum exponens, quo *Sclavi* & *Ruſſi* in trabariis ſeu lintribus, quæ μονόξυλα Græce vocantur, Conſtantinopolim ab ulteriore Ruſſia veniunt: gentem *Slavorum* diſerte a Ruſſis diſtinguit. *Lintres* (inquit) *ab ulteriore Ruſſia Conſtantinopolim appellentes, a Nemogarda proficiſcuntur, ubi Sphendoſthlabus, Ingor Ruſſiæ Principis filius, habitabat. Sunt etiam a caſtro Milineſca, Teliutza, Tzernigoga, & Buſegrade. Hæc itaque omnia ſecundo Danapri flumine deſcendunt, coeuntque ad caſtrum Cioaba* (Kiovia) *cui cognomen Sambatas, Sclavi autem* οἱ δὲ σκλάβοι, *ipſorum tributarii, Cribetæeni dicti, & Lenzanei, necnon cæteri Sclavinii* καὶ οἱ λοιποὶ σκλαβίνιοι, *in montibus ſuis Monoxyla, ſive lintres, hiemis tempore cædunt, ipſoſque in aptam formam concinnatos, poſtquam ſudo & ſereno aere ſoluta glacies eſt, in proximas paludes deducunt. Poſtquam autem illos in Danaprim fluvium immiſerunt, inde eodem flumine,* εἰς τὸ κίοβα, *Cioba* (Kioviam) *ſe conferunt, deinde monoxyla extrahunt atque ſuſpendunt, Ruſſiſque venundant. Ruſſi vero has tantum ſcaphulas emunt, ex veteribuſque ſolutis, remos, ſcalmos, & reliquum apparatum conficiunt, eaſque omnibus ad uſum inſtruunt. Tum menſe Junio, per flumen Danaprim navigantes ad Bitetzebe caſtrum ſibi tributarium deſcendunt. Illic per duos treſve dies congre-*

X. Sclavi, ſpeciale gentis Slavicæ nomen, a Ruſſis diſtinctæ. Item Slavica dialectus a Ruſſica differens.

Digitized by Google

gregati, poſtquam omnia monoxyla convenerunt, poſtea movent, ac per memoratum fluvium Danaprim *deſcendunt. Ac primo quidem ad primum locum fluminis præruptum veniunt, qui* ἐσσεπῆ, Eſſupe *cognominatur*, ὁ ἑρμηνεύεται Ῥωσιςὶ, ϗ σκλαβινιςὶ, μὴ κοιμᾶσαι, *quod Ruſſorum, Sclavorumque lingua valet, non dormire*. Cætera. Pergit ſingula loca deſcribere, per quæ Conſtantinopolim Sclavi & Ruſſi deſcendunt, eorum nominibus Sclavonice, Ruſſice, & Græce notatis, nimirum, *ſuperato Eſſupi, prærupto fluminis loco, ad alium locum præruptum deſcendunt, qui* ῥωσιςὶ, ὐλβορσὶ *Ruſſis Ulborſi*, σκλαβινιςὶ δὲ, ὀςοβουνίπραχ, *Sclavis*, Oſtobruniprach, *dicitur*, ὅπερ ἑρμηνεύεται τὸ νησίον τοῦ φραγμοῦ, *ſignificatque* Inſulam *loci* prærupti. *Tum tertium locum traſmittunt, nuncupatum* γελανδρὶ, Gelandri, ὁ ἑρμηνεύεται σκλαβινιςὶ, ἦχος φραγμοῦ, *quem Slavonice* ſonum loci prærupti *interpretantur. Similiter quartam munitionem majorem, quam Ruſſi*, Ἀειφάρ, Aiphar, *Sclavi*, νεασὴτ, Neaſet, *appellant, quoniam in ſaxis munitionis* Pellicani *nidificant. Ad has fauces, viri ad hoc deſtinati excubias agunt propter* Patzinacitas. *At ubi ad quintum locum fluminis præruptum devenerunt, quem Ruſſi*, Βαρουφόρος, Baruphorum, *Sclavi* Βουλνηπράχ, Bulniprach, *quod Paludem magnam efficiat, denominant, rurſum pro more ad fluminis angulos navigia traducunt; & ad ſextum perveniunt, a Ruſſis*, Λεάντι, Leanti, *a Sclavis* Βερούτζη, Berutze, *nominatum, quaſi dicas*, Βράσμα νεροῦ, Aquæ ſcaturigo. *Quo etiam loco ſuperato, ad ſeptimum navigant, qui Ruſſorum lingua* Στρούβουν, Strubun, *Sclavorum autem* ναπρεζὴ, napreze *vocatur, ideſt*, ὁ μικρὸς φραγμός, exiguus locus præruptus. „ Tranſeuntque „ ad trajectum τοῦ κραρίου, *Crarii*, ubi e Ruſſia Cherſonitæ, „ & in Cherſonem Patzinacitæ trajiciunt. Hoc autem tranſmiſ- „ ſo loco, ad Sancti Gregorii inſulam appellunt, ubi propter „ ingentem quercum ſacrificia obeunt, viventeſque aves immo- „ lant: circum autem ſagittas defigunt, & alia ſuperſtitioſa pe- „ ragunt. Ab hac vero inſula Patzinacitam Ruſſi nullo modo „ metuunt, donec ad fluvium *Selinam* devenerint. Iſtinc por- „ ro moventes, quatuor diebus navigant, donec ad paludem „ fluminis oſtium perveniant, ubi Sancti Ætherii inſula cerni- „ tur „. Reliqua. Tandem vivendi rationem Ruſſorum exponens „ Ineunte, *inquit*, Novembri menſe, quamprimum eo- „ rum Principes cum univerſa Ruſſorum gente, μετὰ πάντων

„ τῶν

„ τῆς Ῥῶς, egrediuntur Ciabo (*Kiovia*), & in oppida profi-
„ ciſcuntur, quæ Gyra appellantur, ἤγουν εἰς τὰς σκλαβινίας
„ τῆς τε Βερβιάνων καὶ τῶν δρουγουβιτῶν καὶ κριβιτζῶν, καὶ τῶν σερ-
„ βίων καὶ λοιπῶν σκλάβων, οἵτινές εἰσι πακτιῶται τῶν Ῥῶς,
„ aut in Sclaviniæ loca Berbianorum, Drugubitarum, Cribitza-
„ rum, Serviorum, reliquorumque Sclavorum, qui Ruſſis tri-
„ butarii ſunt.

XI. Sclavi proprie dicti ſupra Danaprim, & in Dalmatia.

Ex his intelligimus, alios eſſe Conſtantino *Ruſſos*, alios *Sclavos*, qui ab ipſo dicuntur σκλάβοι, & σκλαβῖνοι, eorumque regio σκλαβινία. Linguam etiam utrorumque paulo diverſam: Sclavorum denique propriam regionem in montanis ſupra Danaprim, & Danubium flumina ſitam; unde egreſſi, primo ultra, mox citra Danubium ſedes fixerunt, ac tandem Illyricum hodiernum occuparunt, nempe Dalmatiam, Croatiam, Boſniam, & Slavoniam propriam: quamquam nunc hanc ultimam tantum inhabitent: eſt autem illa pars Hungariæ ad Meridiem, ubi alias Pannonia Savia, inter Dravum & Savum, ab Ortu in Occidentem extenſa, a Danubio prope Taurunum uſque ad confinia Carniola & Stiriæ.

Hinc Hoſmanus, „ Sclavi, *inquit*, melius Slavi, populi
„ Scythiæ Europææ, qui in Illyricum demigrantes, Hunnis pul-
„ ſis, Sclavoniæ nomen indiderunt. Hi e Scythia egreſſi, Iſtria
„ occupata ſub Juſtino Imperatore, tota dein Græcia ſub Juſti-
„ niano devaſtata, per fratres duos, Lechum Poloniæ, Cze-
„ chum Moraviæ Bohemiæque regna condidere: alias valde
„ extenſi, nunc Sclavoniæ propriæ finibus conſtricti. Maxima
„ ex parte, Latina ſacra colunt. Lingua utuntur Sclavonica,
„ quæ apud Latinos *Illyrica* appellatur, & hodie omnium latiſ-
„ ſime patet: nam ea utuntur Iſtrii, Dalmatæ, Boſnenſes, Mo-
„ ravi, Bohemi, Luſatii, Sileſii, Poloni, Lithuani, Prutheni,
„ Scandinaviæ incolæ, Ruſſi longe lateque imperantes, Bulgari,
„ multæque circum vicinæ regiones Conſtantinopolim fere uſque,
„ adeo ut ejus etiam inter Turcas frequentiſſimus ſit uſus „.
Hæc Hoſmanus de Sclavis in Illyricum irrumpentibus, qui hodie *Sclavi* abſolute dicuntur, & maxima ex parte, *Latina ſacra* colunt, ſermone tamen *Sclavonico*, quem *Illyricum* perperam vocant. *Alia vero Slavorum manus* (pergit idem Hoſmanus in voce *Slavi*) *Venedi ſeu Wendi ſpeciatim dicti, in regiones Vandalorum, inter Albim fluvium & mare Balthicum migravere, condide-*

Digitized by Google

diderúntque geminam Slaviam, *Orientalem & Occidentalem*, *quas obſervat Schurtzfleiſchius in* ἀποσπασματίοις *ſuis Witterbengenſibus de rebus Slavicis*: & ante omnes de his agit Helmoldus, cujus verba mox producam.

XII. Sclavi *Sthlabini* dicti Cedreno: & ad Dalmatas reſtricti.

Quemadmodum autem Conſtantinus & alii nomen *Sclavorum* ad eam gentem reſtringunt, quæ in Scythia Europæa in Illyricum invaſit; ita Cedrenus illud ipſum *Scythis* omnibus tribuit, *qui in Pannonia*, *Dalmatia ulterioribuſque degebant regionibus*: *Crobatis*, *inquam*, *Servis*, *Zachlumis*, *Terbuniotis*, *Canaliotis*, *Diocletianis*, *atque Arentanis*. Sic enim de his ſcribit Imperio Baſilii Macedonis pag. 577. „ At Chrobati, Servi, „ reliquæque Scythicæ, quas ſupra memoravimus, gentes, „ quum vidiſſent, quomodo miſſis a Romano Imperatore auxi„ liis res in Dalmatia acta eſſet „ (Raguſium ſcilicet ab Agarenorum obſidione liberatum) „ miſſis ad eum legatis, petunt „ rurſus ſub jugum Romanæ poteſtatis recipi: quorum honeſtam „ judicans petitionem Baſilius, humaniter aſſenſit. Ita iſtæ gen„ tes omnes ſub Imperium Romanum redierunt, iiſque præfe„ cti ex ipſarum corpore dati. Quum autem qui Raguſium ob„ ſederant Agareni, adhuc per Italiam diſcurſarent, eamque „ continentibus damnis attererent; Baſilius de iis profligandis „ cogitans, ſentienſque claſſem Oryphæ ad hoc conficiendum „ non ſatis habere virium, per legatos a Dolicho (*Ludovico*) „ Franciæ Rege, & a Papa Romano contendit, ut ſibi in excin„ dendis impiis hoſtibus auxilia præbeant. Καὶ τὰς ὀλίγῳ πρό„ σθεν μνημονευθήσας χώρας τῶν Σθλαβίνων Sthlavinis quoque „ iſtis, quas paulo ante commemoravimus, gentibus præcipit, „ ac Raguſinis, ut inſtitutum ſuum juvent. Hoc modo conjun„ ctis viribus, ingens eſt contractus exercitus „. Ita Cedrenus gentes illas *Scythicas* omnes uno τῶν Σθλαβίνων, *Sthlavinorum*, nomine comprehendit: nam perinde eſt *Sthlavus*, ac *Slavus*, uti ex hiſce compoſitis conſtat, *Sphendoſthlavus*, *Tzeeſthlavus*: &c.

XIII. Slavorum nomen late patens juxta Helmoldum in Chronico Slavico.

Latius tamen olim patuiſſe *Slavorum* nomen docet Helmoldus Presbyter Buzovienſis in Chronico Slavorum lib. I. cap. I. ubi hæc de amplitudine regionis & numero gentis. „ Slavorum „ populi multi ſunt, habitantes in litore Baltici maris. Sinus „ hujus maris ab occidentali Oceano Orientem verſus porrigi„ tur, appellatus ideo Balticus, quod in modum balthei longo

„ tra-

Digitized by Google

„ tractu per Scythicas regiones tendatur uſque in Græciam:
„ idemque mare barbarum, ſeu pelagus Scythicum vocatur, a
„ gentibus quas alluit, barbaris. Hoc mare multæ circumſedent
„ nationes. Dani ſiquidem, ac Sveones, quos Northmannos
„ vocamus, ſeptentrionale litus, & omnes in eo obtinent inſu-
„ las. At litus Auſtrale, Slavorum incolunt nationes, quorum
„ ab Oriente primi ſunt Ruzi (*Ruſſi*) deinde Poloni, habentes
„ a Septentrione Pruzos (*Pruſſos*) ab auſtro Bojemos, & eos
„ qui dicuntur Morahi (*Moravi*) ſive Carinthi, atque Sorabi.
„ Quodſi adjeceris Ungariam in partem Slavoniæ, ut quidam
„ volunt, quia nec habitu nec lingua diſcrepat, eouſque latitu-
„ dine Slaviæ linguæ ſuccreſcit, ut pene careat æſtimatione.
„ Omnes hæ regiones, præter Pruzos, Chriſtianitatis titulo de-
„ corantur. Diu enim eſt, ex quo Ruzia eredidit. Ruſſia autem
„ vocatur a Danis Oſtrogard, eo quod in Oriente poſita, omni-
„ bus abundet bonis: hæc etiam Chunigard dicitur, eo quod
„ ibi ſedes Hunnorum fuerit. Hujus metropolis, civitas eſt
„ Chue (*Kiovia*.) Quibus autem doctoribus ad fidem venerint,
„ minime compertum habeo, niſi quod in omnibus obſervantiis
„ ſuis Græcos magis quam Latinos imitari videntur „. Pergit de *Pruſſis* diſſerens, *Carinthis*, *Bohemis* & *Polonis*, quos omnes *Slavos* vocat. Tum cap. 2. alios *Slavos* recenſet, propter Albiam & Odoram flumina habitantes: nimirum eos qui antiquitus *Vandali*, nunc autem *Winithi* ſive *Winuli* appellantur, *Pomeranos*, *Herulos* ſeu *Heveldos*, *Leubuzos*, *Wilinos*, *Stoderanos*, *Obotritos*, *Polabos*, & alios, quos a fortitudine *Wilzos* ſive *Luticos* appellari ait. Demum Slavos inſulanos ſubnectit, inquiens:
„ Sunt & inſulæ Baltici maris, quæ incoluntur a *Slavis*, quarum
„ una *Wemere* vocatur: hæc oppoſita eſt *Wagiris*, ita ut vide-
„ ri poſſit Aldenburg: altera inſula longe major eſt, contra
„ *Wilzos* poſita, quam incolunt *Rani*, qui & *Rugiani*, gens
„ fortiſſima Slavorum, qui ſoli habent Regem ... Hi ergo ſunt
„ *Winulorum* populi, diffuſi per regiones & inſulas maris „.
Verum, præter *Ruſſos*, Slavi omnes ab Helmoldo memorati, ad Latina ſacra, non Græca pertinent: „ neque enim omnes „ Slavorum gentes recenſet Helmoldus „ (ut recte obſervat Reinerius Reineccius, in Appendice prima de communibus gentium Germanicarum & Henetarum appellationibus:) „ omiſſis
„ ſcilicet ad borealem plagam Moſchis, ad ortum Circaſſis, ad

„ meridiem Bulgaris, Serviis, Boſſinis, Raſciis, Croatis (niſi „ forte hos quiſpiam illi Carinthios dici malit) & quos proprie „ Slavos in Slavonia appellamus: & omnino de Sorabis explica- „ vit obſcurius, ignoratque prorſus Luzicos, Caſſubios, & Si- „ leſios „. Poſtremo quos Tacitus *Venedos* & *Fennos* nominat, quique Helmoldo *Winithi* & *Winuli* dicuntur, Germanis autem ſunt *Heneti*, *Venedi*, *Vendæ*, *Veneti*: eos perperam idem Helmoldus a Vandalis propagavit, eoque nomine antiquitus Henetos appellatos tradit.

XIV.
Græca Slavorum nomina. An Slaveni recte appellati:

De Slavorum nomine & antiquitatibus hæc Græci & Latini: quorum proinde teſtimonio conſtat, ejus quidem gentis nomina Græce hæc eſſe, Σκλαβηνοὶ ἢ Σκλάβοι, Σκλαβῖνοι, Σκλαβίνιοι, & Σθλαβῖνοι; regionis autem, Σκλαβηνία, & Σκλαυβινία Latine vero, *Slavi*, *Sclavi*, *Sclavini*, *Slàvini*, *Sclaveni*; regionis *Slavia*, *Slavonia*, *Sclavonia*, *Sclavenia*, & *Sclavinia*: unde promanant, *Slavonici*, *Slavici*, & ſimilia. Kohlius de Codice Slavonico veteris & novi Teſtamenti pag. 23. citat hæc verba Lelongii c. XI. edit. Pariſien. „ Biblia veteris & novi Teſtamenti Slaveno-Ruſ- „ ſica, ſcilicet ex Græco ſermone in linguam Slavam vel Illyri- „ cam tranſlata „. Mox notam hujuſmodi adjungit. „ Perperam „ Slaveno-Ruſſicus vocatur hic Codex, pura & incorrupta Sla- „ vonica lingua contextus. Præterea nec *Slavenus* recte dicitur. „ *Slavi*, *Slavini*, *Slavoni*, dicimus; non, *Slaveni*; quod apud „ nullum Scriptorem facile reperias „. Atqui primus qui Slavorum meminit Procopius (uti ſupra diximus) eos vocat Σκλαβηνούς, *Sclavenos*, quod perinde eſt, ac *Slavenos*. Quin & ipſi *Slavi* linguam ſuam vocant *Slavenam*. Sic in titulo Codicis Moſcuenſis ſacrorum Bibliorum apud Kohlium pag. 27. *Biblija*, *Sirietz Knigi Wetchago*, *i Nowago*, *Cawieta*, *pa jaſiku* CΛΑΒΕΝCΚΥ, *ideſt*, *Biblia*, *hoc eſt*. *Liber veteris & novi Teſtamenti*, *ſecundum linguam Slavenicam*. Kohlius interpretatur, *Slavonicam*; ſed in textu habetur, *Slavensku*, *Slavenicam*: nimirum ita ſe ipſos *Slavi* appellant.

XV.
Quid de ſe ipſi Slavi tradant?

Jam ad Slavos ipſos quod ſpectat, hæc de ſe ipſi tradunt, quæ clariſſimus vir Sigiſmundus Herberſteinius *in commentario de rebus Moſcovitis*, edito *Francofurti typis Wechelianis anno* 1600. *pag*. 2. obſervat: nimirum, quum Slavi ſive Ruſſi characteribus caruiſſent, quibus res olim geſtæ memoriæ mandari potuiſſent; de origine gentis nihil habent, præter id quod in Annales

Digitized by Google

nales poſtea relatum eſt, quum literæ Slavonicæ a S. Cyrillo ſunt inventæ, ideſt circa annum Chr. 850. uti mox dicam; (non anno Mundi 6406. a Michaële Imp. CP. ad illos miſſæ, quemadmodum ſcribit Herberſteinius: is enim annus reſpondet an. Chr. 898. quo non Michaël, ſed Leo Sapiens imperabat:) Tunc enim non ea dumtaxat, quæ tum gerebantur, verum etiam quæ a majoribus acceperant, & per longam memoriam retinuerant, ſcribi inque Annales eorum referri cœpta ſunt: in his vero, gentem hanc Slavonicam eſſe ex natione *Japhet*, atque olim conſediſſe ad Danubium, ubi nunc Hungaria eſt & Bulgaria, & tum Norci (ideſt, Noricum) appellatam: tandem diſpalatam, & per terras diſperſam, nomina accepiſſe vel a rebus geſtis, utpote *Slavi* a gloria & fama, *Ruſſi* a diſperſione; vel a locis, ut *Moravi* a fluvio, *Moſchi* ſeu Moſcovitæ, a Moſcua: & alii ab aliis; de quibus hæc idem Auctor: „ Moravi a fluvio; alii Czechi, ideſt Bohemi:
„ item Chorwati, Bieli, Serbli, ideſt Servii, Chorontani dicti,
„ qui ad Danubium conſederant, a Walachis expulſi, venientes
„ ad Viſtulam, nomen Lechorum a quodam Lecho Polonorum
„ Principe, a quo Poloni etiamnum Lechi vocantur, accepe-
„ runt. Alii Lithuani, Maſovienſes, Pomerani: alii ſedentes
„ per Boryſthenem, ubi nunc Chiowia eſt, Poleni dicebantur:
„ alii Drewliani, in memoribus habitantes: alii inter Dwinam,
„ & Peti, dicti Dregowici: alii Poleutzani, ad fluvium Poltæ,
„ qui influit Dwinam: alii circa lacum Ilmen, qui Nowogar-
„ diam occupaverunt, ſibique Principem Goſtomiſſel nomine
„ conſtituerunt: alii per Deſnam, & Sulam fluvios Seweri, ſeu
„ Sewerski appellati, alii vero ſuper fontes Volhæ, & Bory-
„ ſthenis, Chriwitzi nominati, horum arx, & caput Smolenſco
„ eſt „. *Hæc*, inquit Herberſteinius *Annales eorum*; ſed ſatis confuſe, ut vides, & ſine ulla temporis nota. Subjungit idem Auctor differens de lingua omnibus communi: *Slavorum porro lingua, quæ hodierno die corrupto nonnihil vocabulo Sclavonica appellatur, latiſſime patet: ut qua Dalmatæ, Boſſinenſes, Chroati, Iſtri, longoque ſecundum mare Adriaticum tractu Forumjulii uſque Carni, quos Veneti Charſos appellant; item Carniolani, Carinthii, ad Dravum fluvium uſque: Stirii vero infra Gretzium ſecundum Mueram, Danubium tenus; indeque Myſii, Servii, Bulgari, aliique Conſtantinopolim uſque habitantes: Bohemi præterea, Luſacii, Sileſii, Moravi, Vagique fluvii in regno*

 Hun-

Hungariæ accolæ: Poloni item, & Rutheni latiſſime imperantes: & Circaſſi quinquemontani ad Pontum: denique per Germaniam ultra Albim in Septentrionem Wandalorum reliquiæ ſparſim habitantes utuntur. Hi etſi omnes ſe Slavos eſſe fatentur, Germani tamen a ſolis Vandalis denominatione ſumpta, omnes Sclavonica lingua utentes, Wenden, Winden, & Windiſch promiſcue appellant. Itaque ut *Slavorum* nomen omnibus, intra, & extra Germaniam commune; ita Germanice omnes Slavi, *Vuenden*, *Vuinden*, ſeu *Vuindiſch* appellantur. Hos Helmoldus (ut ſupra vidimus) *Vandalos*, *Vuinithos*, ſive *Vuinulos* vocat: ſunt autem *Venedi*, ſeu *Wenedi*, de quibus hæc Kohlius pag. 127. *Vuenedi: hoc nomine Slavi in Germania quondam habitantes, proprie inſigniuntur: ſolent & Slavi, & contra appellari.* Hinc Aventinus in Annal. Bojorum: *Eadem tempeſtate Methodius Philoſophus Venedas invenit literas, vertitque divina oracula in vernaculum Slavorum ſermonem.* Perperam *Methodius* Philoſophus vocatur: non enim ille, ſed *Cyrillus* in excellentiori quodam ſenſu Philoſophus cognominatus eſt. *Venedæ* tamen literæ dicuntur ab eo inventæ, ideſt, *Slavonicæ*: Wendica autem lingua eſt una ex multis Dialectis linguæ Slavicæ, uti notat Kohlius pag. 8. ubi poſtquam populos numeraſſet Slavico idiomate utentes, *Sclavos*, ſcilicet, *Bohemos*, *Ungaros*, *Polonos*, *Ruthenos*, alioſque, ſubjungit: „ Hanc gentes varietatem lingua, ut plerumque fit, „ ſequitur. Proinde tot linguas Dialecto Sclavonicas, quot „ genere Slavos populos, habemus. Slavonica e. g. vocatur „ Wendica, Sorabica, Bohemica, Polonica, Hungarica, Ruſ„ ſica, aliæque.

XVI. Quinam ſint *Coſeri* populi, & *Wageri*.

Hoc inſuper in Slavorum Annalibus narrari ſcribit ibidem Herberſteinius, „ Coſeros *ſcilicet* populum, a nonnullis Ru„ thenis, tributi nomine, aſpreolorum pelliculas de ſingulis „ ædibus exegiſſe: item Waregos ipſis imperaviſſe „. Et de *Coſeris* quidem, unde aut quinam fuerint, nihil præter nomen ex Annalibus ſibi compertum fatetur. De *Vuageris* itidem, certi quicquam ab illis cognoſcere ſe non potuiſſe. Cæterum quum ipſi mare Balticum, & illud quod Pruſſiam, Livoniam, indeque poſt, ditionis ſuæ partem a Svecia dividit, mare *Vuaregum*, *Vuaretzkoie morie*, appellent; recte conjicit Herberſteinius, de illis *Vuageris* ſermonem fieri, qui *Vuagiriam* incolebant, ſeu *Vuagriam*, famoſiſſimam quondam Vandalorum civitatem & provin-

vinciam, Lubecæ & Ducatui Holſatiæ finitimam: Vvagiri enim populi, quos Ruſſi *Vvageros* vocant, *Vvendi* fuere, eaque tempeſtate potentiſſimi; Ruſſorum denique lingua, moribus atque religione utebantur; teſte Helmoldo, cujus in Chronico Slavorum cap.2. poſtquam Slavorum populos inter Albiam & Odoram degentes recenſuiſſet, hæc ſunt verba. „ Hos ſequuntur „ Obotriti, Civitas illorum Mikelinburg. Inde verſus nos „ (*ideſt verſus Lubecenſes*) Polabi: Civitas eorum Racisburg. „ Inde tranſitur fluvius Travena, in noſtram Vvagirenſem pro„ vinciam: Civitas hujus provinciæ quondam fuit Aldenburg „ maritima „. Ruſſis itaque finitimis, quos nunc Moſcovitas vocamus, olim imperarunt Slavi Principes ex *Vvagriis* ſeu *Vvaregis*, potius evocati, quam externi, & a religione ſua, moribus, idiomateque diverſi.

XVII. Arabes, Perſæ, & Turci Scriptores, quid de Slavorum Ruſſorum, & Chazarorum originibus tradant.

At quod de *Coſeris* populis Herbeſteinius incompertum ſibi ſcribit, unde, aut quinam fuerint; id manifeſtum fit ex Annalibus Arabicis, Perſicis, ac Turcicis. Turci enim & Tartari, Slavis finitimi, poſtquam Mahometanæ Sectæ nomen dederunt, literas quoque ab Arabibus mutuati, ſcribendis Annalibus incubuere. Ante eos hoc ipſum præſtiterant Arabes & Perſæ, qui medio ſeculo ſeptimo ſectam illam amplexi, res etiam a ſuis Regibus, quos Chaliphas appellant, in Arabia, Syria, Perſide, Ægypto, & Africa geſtas, literarum monumentis Arabice & Perſide tradiderunt. Ex his duos potiſſimum ſeligo, quorum Annales ſunt celeberrimi. Primus Iſmael Abulpheda, Princeps Apameæ, in Syria natus anno Hegiræ 672. mortuus anno 732. Scripſit Arabice duo opera præſtantiſſima, quæ manu exarata extant in Biblioth. Vat.: horum primo titulus eſt تقويم البلدان *Tokvim al-Boldan*, *Directio Regionum*, Geographia nimirum per Tabulas diſpoſita ſecundum ordinem Climatum: alteri titulus, المختصر في اخبار البشر *Al-Mochtaſſar, fi Achbar al-Baſcibr*; *Compendium de rebus hominum geſtis*, ideſt, *Hiſtoria univerſalis*. Secundus *Khondemir*, ſive *Mircond*, Perſide appellatus *Emirchond*, ſive *Emirchovand-Sciah*. Scripſit Perſice Hiſtoriam univerſalem anno Hegiræ 904. cui titulus: خلاصة الاخبار في بيان احوال الاخيار, ideſt, *Liber complectens accuratam exa-*

Etam

ſtamque Hiſtoriam virorum præſtantium. Hanc Hiſt oriam ab orbe condito ad annum Hegiræ 875. Chriſti 1471. deductam, in Libros XII. diſtribuit: quorum primus de Mundi creatione: ſecundus de Prophetis a Deo in Mundum miſſis. Tertius de viris ſapientia & doctrina præclaris. Quartus, de Regibus Perſarum aliiſque antiquis Dynaſtis. Quintus de Mahometo. Sextus de Chaliphis poſt Mahometum, deque duodecim Pontificibus ſectæ Ali. Septimus de Chaliphis Omniadis. Octavus de Chaliphis Abbaſidis. Nonus de diverſis Dynaſtiis, quæ ſub Abbaſidis exortæ ſunt. Decimus de filiis Japhet, filii Noe, deque Ginchizchano Tartarorum Imperatore, ejuſque Succeſſoribus. Undecimus de Tamerlano, ejuſque poſteris uſque ad Sultanum Hoſainum Behadirkan, qui anno Chriſti 1471. imperabat. Duodecimus de Civitate Herat, ejuſque ædificiis, ſuburbiis, & præclaris viris, qui inde ortum duxere. Itaque tam Mirchondus, quam Abulpheda, Slavos, Ruſſos, Turcos, Chazaros, alioſque Septentrionales populos, a Japheto Noemi filio genus duxiſſe, tradunt: qua in re Annalibus Ruſſorum conſentiunt. Slavos autem vocant, صقالبه *Secaleba*; Slavum, صقلبى *Seclabi*; auctorem gentis, ضقلب *Seclab*; ſic Ruſſi dicuntur apud ipſos, الروس *Rus*; & Chazari, خزر *Chozar*; hæc autem nomina volunt ab eorum primo parente ſeu principe derivata; ſedem vero iis fuiſſe ultra Pontum Euxinum & Mare Caſpium, verſus Septentrionem, inter fluvium *Etel* ſeu Volga, & *Danaprim* ſive Boryſthenem: *Seclabos* demum, partim Iſtro trajecto eam regionem, quam nunc Sclavoniam dicimus, incoluiſſe, partim in Hyperboreis illis montibus, ubi olim degebant, permanſiſſe. Vide Herbelotium in Biblioth. Orient. pag. 722. verbo, *Rous*, & pagin. 794. v. *Secaleba*, *Seclab*, *Seclabi*, & pag. 1002. v. *Khozar*, & *Khazar*: qui addit pag. 794. *Sclavos ab antiquis appellatos* (*a*) *Chalybes*, eoſque ab Arabibus bifariam dividi; quorum pars ad Septentrionem habitet, de quibus hactenus meminimus; pars altera ad meridiem migraverit, quos Arabice dictos vult *Secalebat Al-Heng*, *Sclavos Zingos*, antiquis vero, *Chalybes Æthiopum*.

Id

a Chalybes Xenophonti & Straboni populi fuere in Cappadocia regione ad Pontum. Vide Cellar. Geogr. antiqu. Tom. 2. pag. 312. & 334. Hinc igitur Herbelotius Sclavorum originem derivat, quia ii primum cis Pontum Euxinum habitarunt.

Id puto inde ortum, quod proceſſu temporis, illud gentis *Slavicæ* nomen, a gloria & fama (ut vidimus) derivatum, ad ſervitutem poſtea & infamiam traductum, pro mancipio ſeu ſervo uſurpari cœperit in Germania, ubi (Hofmano obſervante) *propter ſuam pertinaciam, quum ſervitus ibi publico decreto abolita fuiſſet, ſoli Slavi hodieque gravi ſervitutis jugo premuntur, unde & Slavos Germani mancipia appellant*. A Germanis ad alios populos manavit, ut *Sclavum* mancipium dicant. Reineccius loc. ſupracit. *Scimuſque Italicæ linguæ conſuetudine aut noſtra tempeſtate Slavorum nomen in contemtum & probrum trahi: appellantur enim eo ſervilis conditiones homines: forſitan quadam Ægyptiorum Saracenorum, ſub Mamaluchorum dominatu, imitatione*. Jampridem annotarunt docti homines nomina *Servorum* a populis deduci. Strabo lib. 7. cap. 304. de Dacis ſive Davis: *unde etiam apud Atticos in uſu fuerint ſervorum nomina Getæ ac Davi*, & paulo poſt: *nam ſervis Attici nomina imponebant, aut genti unde fuerant allati, ut Lydum, Syrum: aut ea quæ apud iſtas gentes eſſent uſitatiſſima*. Sed ut ad id quod de *Coſeris* populis Herberſteinius ajebat, regrediar, ex allatis Arabum, Perſarum, & Turcorum teſtimoniis non alii ſunt, quam *Chazari*, Septentrionalem maris Caſpii oram incolentes, qui, juxta Slavorum Annales, Ruſſis ad Volgam habitantibus aliquando tributum impoſuerint. Sunt & alii Chazari ſupra Tauricam Cherſoneſum, de quibus poſtea ſermo erit.

XVIII. Undenam Sclavorum nomen ad Servitutem Significandam traductum.

CAPUT III.

Ruſſorum origo.

SLAVORUM, de quibus hactenus diximus, multiplex gens eſt: majorem enim Scythiæ, & Sarmatiæ tam Aſiaticæ, quam Europææ partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibuſque diſcreti, quamquam in commune *Slavi* vocentur. Hoc tamen nomen iis poſtea ſolis adhæſit, qui vel in montibus ſuis hyperboreis ſupra Tyram ſeu Danaſtrim fluvium permanſere; vel Iſtro trajecto in Illyricum & Dalmatiam effuſi ſunt. E contrario *Ruſſi*, quamquam olim qui inter Volgam & Boryſthenem vagabantur populi, hoc nomine ſoli appellarentur, ſunt tamen poſtea vocati quicumque Græcum ritum ſermone Slavico ſequuntur.

I. Ruſſi dicti, qui ſermone Slavico Ritum Græcum ſequuntur.

Ruſſia unde nomen habeat, variæ ſunt Scriptorum opiniones. Sunt enim, qui eam a quodam Ruſſo, fratre ſeu nepote Lechi

II. De Ruſſorum nominis origine, va-

riæ variorum ſententiæ.

chi Principis Polonorum, perinde ac ſi ipſe Ruſſorum princeps fuiſſet, nomen accepiſſe volunt. Ita Kulcinius in Append. ad Specimen Eccleſiæ Ruthenæ pag. 102. num. 3. *Ros*, ſeu *Roſſus*, *Roſſum*, *ſeu Ruſſorum fratrem germanum Lechi Poloniæ*, *& Cechi Bohemiæ fundatorum volunt nonnulli Scriptores*, *inter quos Kuleſza pag*. 139. Conſentiunt Arabes, Perſæ, ac Turci, quibus روس *Rus* vocatur, diciturque unus e filii Japheti, qui cis fluvium Etel, ſive Volgam conſederit, & frequentes incurſiones trans fluvium illum in Chazaros populos fecerit; illius autem poſteri inter Bulgaros & Sclavos habitaſſe perhibentur, nimirum inter Etel, cujus ad oram Bulgari degebant, & inter Boryſthenem, ultra quem Sclavi ſedem habebant. Vide Herbelotium in Biblioth. Orient. pag. 722. & ſeq. Verum quod de Roſſo Lechi & Cechi fratre aſſeritur, merito confutatur a Kulcinio loc. cit. non quidem quia Ruſſus Roxanis longe prius imperaverit, nam de Roſſo iſto Principe Roxanorum nulla apud antiquos mentio; ſed quia Ruſſorum nomen multo eſt Lecho & Cecho Bohemiæ & Poloniæ principibus antiquius.

Alii *Ruſſorum* nomen deducunt a quodam vetuſtiſſimo oppido, *Ruſſo* dicto, non longe a Novogardia magna. Bajerus in in Geographia Scythiæ veteris, auctor eſt, *Roſſum* quemdam, quum imperium ſuum uſque ad fluvium *Ros*, qui verſus Occidentem in mare Caſpium ſe exonerat, protuliſſet, Roxanis, ideſt Araxenis, *Ruſſorum* cognomentum dediſſe. Hæc idem Kulcinius ibidem. Nec deſunt, qui Ruſſorum nomen a fluvio *Rha* derivant, qui *Etel* & *Wolga* indigenis Scythis, Ruſſis, Turciſque dicitur. Sunt denique, qui originem nominis a Rufo gentis colore derivant, aut a Roxolania Ruſſiam dictam eſſe putant. Roxolania autem, Baudrandio & Starovolſcio, eſt Provincia Poloniæ regni, verſus Meridiem extenſa, inter Poloniam propriam & Moſcoviam.

III. Vera Ruſſorum nominis Etymologia juxta Ruſſos ipſos.

Verum (ut verbis utar cl. Herbeſteinii) „ eorum qui haſce
„ aſſerunt opiniones, tanquam vero haud conſonas, Moſchi re-
„ futant, aſſerentes, *Roſſejam* antiquitus appellatam, quaſi gen-
„ tem diſperſam ſeu diſſeminatam: id quod nomen ipſum indi-
„ cat. *Roſſeja* enim Ruthenorum lingua, diſſeminatio ſeu diſper-
„ ſio interpretatur. Quod verum eſſe, varii populi, incolis etiam-
„ num permiſti, & diverſæ provinciæ Ruſſiæ paſſim intermixtæ

„ ac

Digitized by Google

„ ac interjacentes, aperte teſtantur „. Hanc ipſam Etymologiam legere eſt apud Hofmannum: „ Ruſſia, *inquit*, quæ Rexolania „ etiam dicitur, & *Ruthenia*, unde nomen acceperit, variæ „ extant opiniones; inter quas veriſimilior eſt, eam antiquitus „ Roſſejam appellatam fuiſſe, quaſi gentem diſſeminatam & di- „ ſperſam. Roſſeja enim, Ruthenorum lingua, diſſeminatio ſeu „ diſperſio explicatur: eo quod hi populi totam Sarmatiam Eu- „ ropæam, & Aſiaticæ partem occuparunt: atque ab Oceano gla- „ ciali ad Mediterraneum uſque mare & Sinum Adriaticum, nec „ a Ponto Euxino ad Balticum Oceanum uſque, ſuas colonias „ extenderunt. Omnes itaque populi, qui lingua Slavonica utun- „ tur, atque ritum & fidem Chriſti, Græcorum more, ſequun- „ tur, communi vocabulo *Ruſſi*, ſeu *Rutheni* appellantur.

Conſonant Græci Scriptores, qui nomen iſtud ex diſperſio- ne derivatum volunt, aut ex vagandi, & palandi ſtudio. Procopius de bello Gothico lib. 3. cap. 14. Καὶ μὴν καὶ ὄνομα Σκλαβηνοῖς τε καὶ Ἄνταις ἓν τὸ ἀνέκαθεν ἦν. σπόρους γὰρ τὸ παλαιὸν ἀμφοτέρους ἐκάλουν, ὅτι δὴ σποράδην οἶμαι, διεσκηνημένοι τὴν χώραν οἰκοῦσι. Διὸ δὴ καὶ γῆν πολλήν τινα ἔχουσι. Τὸ γὰρ πλεῖστον τῆς ἑτέρας τοῦ Ἴστρου ὄχθης αὐτοὶ νέμονται. *Nomen etiam quondam Sclavenis Antiſque unum erat: utroſque enim appellavit* Sporos *antiquitas; ob id, opinor, quia* σποράδην, *hoc eſt*, Sparſim, *& rare poſitis tabernaculis regionem obtinent: quo fit ut magnum occupent ſpatium. Et vero ulterioris ripæ Iſtri partem maximam habent. Sporos* Græce Sclavenos Antaſque vocat Procopius, qui patrio ſermone Rhoſſi dicebantur. IV. Item ſecundum Græcos.

Simeon Magiſter Logotheta in Annalibus de Romano Lacapeno Imperatore edit. Pariſ. pag. 490. Roſſos interpretatur *Dromitas*. Τῷ ἐνιαυτῷ ἐκείνῳ κατέπλευσαν οἱ Ῥῶς, οἱ καὶ Δρομῖται λεγόμενοι, οἱ ἐκ γένους τῶν Φράγκων ὄντες, κατὰ τῆς Κωνσταντινουπόλεως, μετὰ πλοίων χιλιάδες δέκα. *Eodem anno Ruſſi, quos Dromitas vocant, ac ſi vagos dicas ac curſu expeditos, ex Francis genus ducentes, conferta decem millium navium claſſe, infeſtis ſignis Byzantium venerunt.* Eadem fere verba leguntur apud incertum Theophanis continuatorem edit. Pariſ. pag. 262. Δεκάτης καὶ τετάρτης ἰνδικτιῶνος, Ἰουνίῳ δὲ μηνὶ ἑνδεκάτῃ, κατέπλευσαν οἱ Ῥῶς κατὰ Κωνσταντινουπόλεως, μετὰ πλοίων χιλιάδων δέκα, οἳ καὶ Δρομῖται λεγόμενοι, οἱ ἐκ γένους τῶν Φράγκων καθίστανται: *Quartadecima Indictione* (Anno Chriſti 941.) *menſis vero Junii* V. Quinam Ruſſi Dromitæ.

undecima, *Ruſſi inſtructa claſſe ad decem navium millia adverſus Byzantium migraverunt*. *Hos Dromitas vocant* (*velut palantes dicas ac curſu veloces*) *atque a Francis genus ducunt*. *Francigenæ* vocantur Ruſſi e Venedis oriundi: nam generatim Germaniæ populi, a ſeculo quinto *Francorum* nomine, maxime ab Orientalibus, appellari cœperunt. *Dromitas* autem Latinus Interpres perinde ac *Sporos* vertit, id eſt gentem *vagam palantem*, *ac curſu expeditam*. Quamquam vero genuinus iſte *Dromitarum* vocis ſenſus non ſit, uti poſtea demonſtrabo; exiſtimavit tamen Interpres Latinus, idem Græcis eſſe *Dromitas*, ac Slavis *Roſſos*, ideſt, *ſparſos*, *vagos*, *palantes*: neque mirum: etenim iidem Ruſſi inter Tanaim & Boryſthenem habitantes, ab antiquis dividuntur in *Scythas Georgos*, & *Namades*, & *Hamaxobios*, & *degeneres* ſeu *a ſervis ortos*, & *Baſilidas*; quæ certe nomina Ruſſis & Sclavis apprime conveniunt. Omnes autem Ruſſi & Slavi, ut ſupra dictum eſt, Scythæ ſunt, & Sarmatæ.

VI. Ruſſi iidem ac Roxalani. Varia Scytharum nomina, & populi diverſi.

Plinius lib. 4. cap. 12. *Ab eo* (ideſt, ab oſtiis Iſtri uſque ad Tanaim) *in plenum quidem omnes Scytharum ſunt gentes*: *variæ tamen litori adpoſita tenuere*; *alias Getæ*, *Daci Romanis dicti*: *alias Sarmatæ*, *Græcis Sauromatæ*, *eorumdem Hamaxobii aut Aorſi*: *alias Scythæ degeneres & a ſervis orti*, *aut Troglodytæ*: *mox Alani*, *& Rhoxalani*. Strabo lib. 7. pag. 215. *Tota illa regio*, *& fere quidquid extra Iſthmum* (Cherſoneſi) *ad Boryſtenem uſque eſt*, *nuncupabatur parva Scytia*: Europæa nimirum, inter Tanaim & Boryſtenem incluſa: nam Scythia Aſiatica, quantum ad Ruſſos, a Tanai ad Rha ſeu Volgam fluvium extenditur. Hæc Scythia ſive Sarmatia, ab oſtiis Iſtri uſque ad amnem Rha extenſa, quæ ſupra Ponti Euxini oram ab Occidente ad Boream, & Septentrionem excurrit, varias gentes complectitur, variis diſtinctas nominibus, ſed quarum ſola nomina poſſunt ex antiquis Geographis certa dari, ſedes cuique ſuas, ob diſſenſum de iis ſcribentium; adſignari non poſſunt. Sunt tamen communia vocabula *Scytharum* & *Sarmatarum*. Cellarius lib. 2. Geograph. antiq. c. 6. pag. 503. ordinem gentium inter Iſtrum ſive ejus oſtia, & Iſthmum Tauricæ Cherſoneſi, per flumina ſic diſponit. *Ab Iſtro ad Tyram ſeu Neſter*, Iſtrici, *haud dubie etiam aliis nominibus diſtincti*. *Poſt Tyram* Axiacæ *ad fluvium cognominem*: *ultra quem* Callipidæ *uſque ad* Hypanim, *qui Bogus eſt*. *Ab eo ad Boryſthenem* Boryſtenitæ, *quos flumen ſuum abluit*, *ut Mela ait*, *poſiti* ἐπὶ τῷ ὕδατι,

ut

ut Herodotus dicit, ideſt inter Hypanim & Boryſtenem. A Boryſthene ad Panticapen, οἱ γεωργοὶ σκύθαι, agrum exercentes Scythæ: *a Panticape ad Gerrum, nomades Scythæ*, νομάδες σκύθαι, *Herodoto lib. 4. cap. 19.* οὔτε σπείροντες οὐδὲν, οὔτε ἀροῦντες, qui nec ſerunt, neque arant: *in quo a Georgis diſtinguuntur. Mela lib. 2. cap. 1. Vagi nomades pecorum pabula ſequuntur, atque ut illa durant, ita diu ſtatam ſedem agunt. Colunt Georgi exercentque agros. Trans Gerrum, & ſupra Iſthmum Tauricæ Cherſoneſi, erant Scythæ Baſilidæ, a Pomponio memorati. Herodotus cap. 20.* πέραν τοῦ Γέῤῥου ταῦτα δὴ τὰ καλεύμενα Βασιλήϊά ἐστι, καὶ σκύθαι ἄριστοί τε καὶ πλεῖστοι, *Trans Gerrum, ſunt ea, quæ vocantur Regia, & Scythæ optimi & plurimi. Ad latus Mæotis Jazyges: Ptolemæus*, παρ᾽ ὅλην τὴν πλευρὰν τῆς Μαιώτιδος ἰάζυγες, *per totum latus Mæotidis Jazyges*. Et poſt pauca. *Alani, Europæi quidem, ut Ammianus lib. 22. cap. 19. diſtinguit, ſupra Mæotin juxta Tanaim fuerunt, a quibus in occaſum Rhoxolani recedebant, in veteri inſcriptione apud Gruterum pag. 453. cum Baſtarnis & Dacis conjuncti. Poſſis exiſtimare ab Alanis eſſe ortos, & ab illorum gente diſtinctos prima ſyllaba: quemadmodum etiam Rhoxolanos Harduinus ex Plinii membranis ſcripſit: at dicta inſcriptione Rhoxolani, & Straboni* Ῥωξολανοὶ *dicuntur*. His adduntur apud eundem Cellarium ex Ptolomæo. Plinio, Strabone, & aliis, *Geloni, Agathyrſi, Budini, Hamaxobii, Melanchlæni & Anthroprophagi*, quos Ammianus ait, *palari per diverſa, humanis corporibus victitantes*; ultimi in Orientem *Tanaitæ*, & in Septentrionem *Hyperborei*; inter Baſtarnas autem & Rhoxolanos *Chuni*: quos tamen Ammianus lib. 31. cap. 2. *ultra paludes Mæoticas glacialem Oceanum accolere* ſcribit: Helmoldus autem Ruſſiam lib. 1. cap. 1. deſcribens: *Ruſſia*: inquit, *vocatur a Danis Oſtrogard, eo quod in Oriente poſita, omnibus abundet bonis. Hæc etiam Chunigard dicitur, eo quod ibi ſedes Hunnorum fuerit*: loquitur de Ruſſia ſuperiore, a Boryſthene ad Volgam extenſam. Demum de Aſiatica Scytia ſeu Sarmatia, quæ Tanai & Volga includitur, agit Cellarius lib. 3. cap. 24. a pag. 881. ubi populos variorum nominum, ſed obſcuritate laborantes enumerans, pleroſque eorum ait eſſe Nomades, Vagabundos, Hamaxobios; inter montes autem Ceraunios & Rha amnem, *Serbos* ponit. Difficillimum quidem foret, harum gentium omnium ſedes diſcernere, & omnia cum hodiernis populis componere. Hoc ta-

men certum eſt, Geographos antiquos in eorum populorum nominibus exprimendis non tam proprietati nominum indulſiſſe, quam epithetis a Græca lingua petitis: cujuſmodi ſunt hæc, *Nomades*, *Georgi*, *Hamaxbobii*, *Troglodytæ*, *Baſilidæ*, *Melanchlæni*, *Anthropophagi*, *Hyperborei*: vel a fluminibus, ut, *Iſtrici*, *Axiacæ*, *Boryſthenitæ*, *Tanaitæ*.

VII. Prima Ruſſorum mentio apud profanos Scriptores ſub nomine Rhoxolanorum.

Cœterum ut ad Ruſſos redeam, prima eorum mentio ſub nomine *Rhoxolanorum* occurrit apud Strabonem, qui Tiberio imperante res Geographicas ſcripſit. Sic autem de Rhoxolanis lib. 2. cap. 114. „ Habitant autem ultra Boryſthenem ultimi notorum
„ Scytharum, Ῥωξολάνοι, (*a*) Rhoxolani, magis verſus me-
„ ridiem ſiti, quam extrema ultra Britanniam cognita. Ulterio-
„ ra jam frigus habitari non ſinit. Ab his verſus meridiem ſupra
„ Mæotidiem ſunt Sauromatæ & Scytæ, uſque ad orientales Scy-
„ thas „. Idem lib. 7. cap. 294. „ Quid autem ſit ultra Germa-
„ nos, & alios iis confines, ſive ii ſunt Baſtarnæ, ut plerique pu-
„ tant, ſive alii interjecti, ſive Jazyges, ſive Rhoxolandi, ſive
„ alii in curribus domicilia habentes (*Hamaxoichi*, *ſive Hama-
„ xobii* (non eſt facile dictu „. Et cap. 306. regionem totam deſcribit, quam Slavi omnes, ſed præſertim Rhoxolani occupant: „ Regionis autem totius, quæ jam dicto inter Iſtrum &
„ Boryſthenem intervallo interjacet, prima portio eſt ſolitudo
„ Getarum: & deinde Tyrigetæ (*ideſt ad Tyram fluvium habi-
„ tantes*:) Poſt hos Jazyges Sarmatæ, & qui Baſilii, ideſt, Re-
„ gii dicuntur, & Urgi, quorum plerique nomades ſunt, quidam
„ etiam agriculturæ operam navant: (*quos Mela Georgos vocat*:)
„ Hos ferunt etiam ſæpe ad utramque Iſtri partem habitaſſe. In
„ Mediterraneis Baſtarnæ ſunt, Tyrigetis (*ad Ortum poſitis*,)
„ & Germanis (*ad occaſum*) confines (*ideſt*, *intermedii*) ac
„ fere ipſi quoque Germanici generis, in plures diviſi populos:
„ nam Atmoni nominantur alii, alii Sidones: Peucini vero, qui
„ inſulam Peucen occuparunt. Ῥωξολανοὶ, Rhoxolani maxime
„ ſeptentrionales, qui campos inter Tanaim & Boryſtenem in-
„ colunt. Nam quantum eſt nobis cognitum regionis ſeptentrio-
„ nalis, a Germania uſque ad Caſpium mare, id omne eſt cam-
„ pe-

a *Rhoxolani*. Ita emendatiores codices Strabonis: cui conſonant Plinius, Spartianus alii. Quidam legunt *Roxani*: alii *Roxoani* Æneas Sylvius, ſeu Pius II. in lib. de Polonia, Lithuania & Pruſſia; *Rutheni*, inquit, *quos appellare Strabo videtur Roſanos*, *Lithuanis contermini ſunt*, Roxani ſive Roxi videntur primo appellati: poſtea Roxolani, quaſi Roxi Alani.

„ peſtre. An ſupra Rhoxolanos habitet aliquis, neſcimus „. Græcus Codex, Sylandro notante, habebat Ῥωξοανοί, *Rhoxani*: ſed diſertè lib. 2. eſt Ῥωξολανοὶ, de his ipſis: & in Epitoma Strabonis, Ῥωξανοὶ. Verum præter Strabonem, alii etiam Græci Latinique veteres, legunt *Roxolani*: Rectius, ut puto, *Roxalani*, quaſi *Roxi Alani*: nimirum inter Tanaim & Boryſthenem habitantes; nam Alani Aſiatici transfluvium *Rha* ſeu Volgam, ſedes habent.

VIII. Rhoſſi Dromitæ ſive Roxalani.

Subjungit Strabo de Rhoxolanis: „ Rhoxolani etiam contra „ Mithridatis Eupatoris Legatos ϛρατηγοὺς, pugnaverunt, Taſio „ ipſos ducente, ut ſuppetias ferrent Palaco Sciluri filio: ac cre„ ditum quidem eſt eos eſſe bellicoſos; ſed adverſus compoſitam „ probeque armatam phalangem, quævis barbarica natio & levis „ armaturæ exercitus, parum habet virium. Itaque Rhoxolano„ rum quinquaginta millia, vim (a) trecentorum (tot enim in acie „ habuit Diophantus Mithridatis ϛρατηγὸς legatus) non ſuſtinue„ runt; ſed plerique eorum occiſi ſunt „. Mox eorum vivendi genus deſcribit. „ Utuntur galeis de crudis boum tergoribus, ac „ thoracibus: peltas gerunt cratibus contextas: arma iis haſta, „ gladius, arcus: eorum ſimiles ſunt & reliqui plerique. Scenæ „ nomadum ſubcoactitio genere compactæ, infixæ ſunt vehiculis, „ in quibus ii degunt: circum eas verſantur pecora, quorum la„ cte, caſeo, & carnibus victum ſuppeditant: ſequuntur autem „ ipſi paſcua, ſubinde herboſa occupantes loca: hyeme in paludi„ bus Mæotidi propinquis, æſtate etiam in campis. Tota autem „ regio algida eſt uſque ad maritima inter Boryſthenem & oſtia „ Mæotidis, loca. Regem quoque eorum nominat, qui contra „ Philippum pugnavit: Ateas is, qui contra Philippum Amyntæ „ filium bellum geſſit, videtur plurimis iſtorum locorum barba„ ris imperaſſe „. Anteam appellat Lucianus lib. de longævis Tom. 2. pag. 469. edit. Amſtel. Ἀντέας Σκυθῶν βασιλεὺς, *Anteas Scy-*

---

a Græcus habet: ἐκεῖνοι γοῦν περὶ πέντε μυριάδας πρὸς τριακοσίοις &c. Ubi Xylander: *mox, ubi aſteriſcum ſignavi, eſt in Græco* τριακόσια, πῶς, *quo numerus debuit exprimi exercitus Diophantici. Sed corruptus eſt locus. Ego divinare nolui, ut vel* ἄγημα, *vel aliquid aliud ſubiicerem: nam Interpres LX. millia vertens, neſcio quid ſequutus & inepte quidem. Quid enim memorabile eſt aut, qui ad rem propoſitam facit, a LX. millibus vinci millia L.? Itaque codex melior conſulendus.* At memorabile eſt πέντε μυριάδας vinci a τριακοσίοις, uti plerique Codices habent: quamquam nonnulli veteres legunt πρὸς ἓξ πρὸς διακοσίοις, quod certe corruptum eſt. Inde tamen antiquus interpres vertit *LX. millia*, nimirum, ἓξ μυριάδας, *ſex Myriades*: quod Xylander advertere debuerat.

Scytharum Rex, ad fluvium Iſtrum contra Philippum pugnans occubuit, ſuprà annos nonaginta natus. Demum cap. 307. *Dramon Achillis* memorat, peninſulam in mare porrectam, longitudine ſtadiorum circiter mille verſus ortum Solis, extentam, latitudine maxima duorum ſtadiorum, minima, jugerum quatuor, diſtantem a continente utrinque cervice ſua ſtadiis ſexaginta. Hanc peninſulam poſt Leucen Boryſthenis oſtio objectam inſulam, ponunt Geographi. Mela lib. 2. cap. 7. „ Leuce Boryſthenis oſtio „ objecta parva admodum: & quia ibi Achilles ſitus eſt, Achil- „ lea cognomine. *Et cap.* 1. Achilles infeſta claſſe mare Ponti- „ cum ingreſſus, ibi ludicro certamine celebraſſe victoriam, & „ quum ab armis quies erat, ſe ac ſuos curſu exercitaviſſe me- „ moratur. Ideo dicta eſt δρόμος Ἀχίλλειος „. Plinius lib. 4. cap. 12. „ Inſula Achillis, tumulo ejus viri clara. Ab ea cxxv. „ millibus paſſuum peninſula ad formam gladii in tranverſum „ porrecta, exercitatione ejuſdem, cognominata Dromos Achil- „ leos, cujus longitudinem octoginta millium paſſuum tradit „ Agrippa „: Ab hoc *Dromo* dicti Ruſſi *Dromitæ*, de quibus ſupra ex Simeone Logotheta, & Anonymo Theophanis Continuatore. Certe Rhoxolani hucuſque hieme pecora ſua cogebant, Strabone teſte.

Poſt Strabonem, alii Græci Latinique Sriptores, expreſſam *Rhoxolanorum* mentionem faciunt. Plinius lib. 4. cap. 12. *Ab Iſtro in plenum quidem omnes Scytharum ſunt gentes*: & poſt pauca; *mox Alani* & *Rhoxalani*. Tacitus Othonis Sylvii, qui octavus poſt C. Cæſarem apud Romanos imperavit, tempora perſequens lib. 17. verſus finem ait: *Roxolanos Sarmaticam gentem* cæſis duabus cohortibus Romanis, in Mœſiam irrupiſſe. Spartianus in Hadriano cap. 6. *Cum Rege Roxolanorum, qui de imminutis ſtipendiis querebatur, cognito negotio pacem compoſuit*. Dio Caſſius lib. 71. ſcribit, *Roxolanos* cum Jazygis, ad latus Mæotidis habitantes, Aſiæ & Græciæ commerciorum cauſa innotuiſſe. Demum Ammianus Marcellinus de populis circa paludis Mæotidis ſtagna habitantibus lib. 22. cap. 16. „ Jaxamatæ, & Mæotæ, & Jazyges, Ro- „ xolanique & Alani, & Melanchlænæ, & cum Gelonis Agathirſi.

IX. An Rhoſſicus Princeps ſub Conſtantino Magno Dapifer.

Itaque primum Ruſſorum nomen, quod ad Græcos Latinoſque manavit, *Rhoxolani*, , ſeu *Rhoxi Alani*. Si vero Nicephoro Gregoræ fides eſt adhibenda, iidem populi *Roſſi* dicebantur etiam temporibus Conſtantini Magni. Sic enim ſcribit lib. 7. num. v. de

po-

populis, qui dignitatis gradum aliquem ab Imperatoribus acce-
pturi, Romam accedebant. „ Quum ſumma rerum ad Romanos
„ devoluta eſſet, potentia Urbis ipſos prope cœlos attingebat.
„ Eorum enim Conſules, & Imperatores, *ὕπατοι τέλων καὶ αὐ-*
„ *τοκράτορες*, alii Africam & Libyam, alii Galliam & Iberiam,
„ & Celticam, alii pleraſque Aſiæ & Europæ provincias ſubege-
„ runt, uſque ad Tanaim & Gades. Actum ſervitutis lege aſtri-
„ cti, alii aliunde Romam ad dominam Urbem in dies conflue-
„ bant, Duces, Satrapæ, Reges, principes nationum, & recto-
„ res provinciarum: alii, ut Cæſaribus, & Auguſtis innoteſce-
„ rent; alii, ut dignitatis gradum & locum aliquem in Cæſareo
„ Senatu ſortirentur. Accedebant & alii Viri clari & ſpectati, ut
„ reverentiæ & honoris cauſa in Civitatem adſcriberentur, & il-
„ luſtri aliquo nomine Romano ornarentur: quemadmodum Jo-
„ ſephus Hebræus ex Palæſtina oriundus, & Ptolemæus, qui de
„ rebus Aſtronomicis omnium optime ſcripſit. Illinc quippe
„ uterque cognomen accepit, *Flavii* quidem Ioſephus; Ptole-
„ mæus vero *Claudii*. Tum igitur confluentibus undecumque
„ Principibus Parthicis, Perſicis, & cæteris omnibus, alii alias
„ appellationes primitus ſortiti ſunt. Magni autem Conſtantini
„ temporibus, Roſſicus locum, & dignitatem Dapiferi, *ὁ δὲ*
„ *Ῥωσικὸς τὴν στάσιν καὶ τὸ ἀξίωμα τοῦ ἐπὶ τῆς Τραπέζης παρὰ τοῦ*
„ *μεγάλου κεκλήρωται Κωνσταντίνου*: Peloponneſi rector, *τὸ τοῦ Πρίγ-*
„ *κιπος*, *Principis*: Atticæ, & Athenarum, *τὸ τοῦ μεγάλου Δουκὸς*,
„ *magni Ducis*: Bœotiæ, & Thebarum, *τὸ τοῦ μεγάλου Πριμμι-*
„ *κηρίου*: magnæ vero Siciliæ, *τὸ τοῦ Ῥηγὸς*, *Regis*: alii denique
„ alios titulos obtinuerunt „. Hæc Gregoras: cujus teſtimonio
uſus Kulcinius in Append. ad ſpecimen Eccleſiæ Ruthenæ pag. 105.
„ Sæculo quarto, *inquit*, Nicephorus Gregoras lib. 7. cap. 5.
„ ſcribit, Principem Roſſiacum, ideſt quemdam e Ruſſia oriun-
„ dum Magnatem, fuiſſe Aulicum Dapiferum Coſtantini Magni
„ Romanorum Imperatoris. Quamvis autem P. Ribera putet
„ Gregoram intelligendum eſſe potius de Raſſiano, quam de
„ Roſſiaco Principe; hoc tamen Ruſſis ſeu Moſcis non obſtat.
„ Conſtat enim ex dictis Ruſſos affines eſſe Raſcianis, eamdem-
„ que utroſque habere originem „. Ita Kulcinius etiam fabulo-
ſa quæque ad Ruſſos trahere conatur, modo antiquitatem gentis
commendet. Atqui de gentis antiquitate quis dubitet, niſi qui
Scythas & *Sarmatas* ignorant? Roſſiacum vero Principem, qua-
lem

lem Gregoras deſcribit, ſub Conſtantino Magno *Dapiferi* titulo fuiſſe inſignitum, commentum Græcanicum eſt, de quo hæc ſapientiſſime Cangius in notis ad eundem Gregoram: „ Quæ hic
„ de Ruſſiæ ſeu Moſcoviæ Principi, ἐπὶ τραπέζης, ſeu *Dapiferi*;
„ Moreæ ſeu Peloponneſi Domino, *Principis*; Athenarum, *Ma-*
„ *gni Ducis*: Bœotiæ & Thebarum, *Magni Primicerii*; ac deni-
„ que Siciliæ, *Regis*, a Conſtantino Magno datis dignitatibus
„ commentatur Gregoras, meræ ſunt ac aniles omnino fabulæ,
„ quas refellere, operam eſſet ludere. Nam ut de Ruſſica taceam,
„ quæ nullibi occurrit, cæteræ non a Græcis, ſed a Latinis ma-
„ narunt. Qui enim ex noſtris poſt captam urbem Athenis im-
„ perarunt, Ducum appellationem vel ſibimet adſcripſerunt, vel
„ ab Imperatoribus Latinis obtinuerunt: iiſque ſimul & Thebis
„ imperarunt, quamvis Gregoras diverſos fuiſse Athenarum &
„ Thebarum dominos hic innuat, licet infra Cap. VII. contrarium
„ agnoſcat; qui quidem μεγάλοι κύριοι a Græcis, a noſtris vero
„ *Gands Sires*, ideſt, *Magni Domini*, propter vaſtiorem eorum
„ dominationem, vulgo appellabantur; non vero ex voce πριμ-
„ μικήριος corrupta, ut hic, & Cap. VII. nugatur.

X. Monita Conſtantino Magno tributa ad retundendas importunas Ruſſorum, Chazarorum, Turcarum, aliorumque Scytharum petitiones.

Ante Nicephorum Gregoram infinitæ propemodum fabulæ ad Conſtantinum Magnum Byzantii a Græcis referebantur. Paucas ſeligo e Conſtantini Porphyrogeniti libro de adminiſtrando Imperio Par. 2. cap. XIII. ubi quid reſpondendum ſit Ruſſis, Chazaris, aliiſque borealibus populis a Byzantino Imperatore aliquid poſtulantibus, filium ſuum docet Porphyrogenitus. *Scito*, inquit, *Borealibus omnibus populis, quaſi a natura inſitam eſſe divitiarum cupidinem inſatiabilem: quamobrem omnia quærunt, omnia expetunt, neque concupiſcentiam termino ullo circumſcriptam habent: ſed plura ſemper cupiunt, ac pro exigua opera maximam mercedem referri poſtulant. Id eoque importunas illorum petitiones, ac imprudentes poſtulationes ſuaſione ac prudentiæ excuſatione ſubvertere atque inhibere oportet: quæ quidem quantum uſu & experimento percepi, ut compendio dicam, hujuſmodi futuræ ſunt. Si quando ſive Chazari, ſive Turcæ, ſive Ruſſi*, εἴτε Χάζαροι, εἴτε Τοῦρκοι, εἴτε ὁ Ῥώς, *ſive aliæ quæpiam Boreales & Scythicæ gentes, ut plerumque accidit, Imperiales veſtes, coronas, aut ſtolas, cujuſdam præbiti miniſterii cauſa, ſibi tranſmitti poſtulent, ita te excuſatum oportet. Hujuſmodi ſtolæ & coronæ, quæ nos* καμελαύκια, Camelaucia *vocamus, neque hominum opera confecta,*

ne-

neque humana induſtria excogitata ſunt. Sed ut ab hiſtoria veteri in libris arcanis ſcriptum reperimus; quando Deus Conſtantinum illum Magnum Imperatorem effecit, qui primus Chriſtianorum Imperium tenuit, illi per Angelum tales ſtolas & coronas, quas nos Camelaucia vocamus, miſit, juſſitque ea deponere in magna Sancta Dei Eccleſia, quæ de nomine Sapientiæ Dei Enhypoſtatæ, Sancta Sophia appellatur: nec quotidie illa uti præcepit, ſed tantum in publico & magno Dominico feſto. Quare ex juſſu Dei hæc depoſita, & ſupra ſacram menſam in Altari ipſius Templi ſuſpenſa manent, & in ornatum Eccleſiæ deputata ſunt. Reliqua autem indumenta & ſaga Imperalia, ſupra hanc ſacram menſam extenſa jacent. Quum porro Domini & Dei noſtri Jeſu Chriſti feſtum inciderit, ex hujuſmodi ſtolis & coronis ea accipiuntur a Patriarcha, quæ tum opportuna & convenientia ſunt, qui ea ad Imperatorem mittit, iſque illis tamquam miniſter Dei in proceſſu tantum induitur: atque rurſum, poſtquam illis eſt uſus, ea remittit in Eccleſiam, ubi reponuntur de more. Quin etiam Sancti & Magni Conſtantini in Dei Eccleſiæ ſacra menſa meledictio ſcripta eſt, ut ipſi per Angelum Deus mandavit: Ut ſi quis Imperator pro quacumque neceſſitate aut rerum conditione, ſive ex intempeſtiva cupidine, ex iis quædam auferat, ac ſive ipſe iis utatur, aut aliis præbere audeat: quaſi hoſtis & Dei juſſorum inimicus, anathemate feriatur, & ab Eccleſia expellatur. Si vero ipſe quoque alia illis ſimilia efficere velit, ipſa quoque Eccleſia recipiat, libera voce petentibus Epiſcopis omnibus, & Senatu: neque vel Imperatori, vel Patriarchæ, vel cuiquam hominum facultas ſit, rerum hujuſmodi quampiam ex Sancta Dei Eccleſia exportare, ſive ſtolæ eæ ſint, ſive coronæ. Sane iis qui ex hujuſmodi Dei mandatis quodquam evertere velit, magna impendet formido. Nam quidam Imperator, Leo is vocabatur, qui etiam ex Chazaria uxorem duxerat, quum inconſulto auſu quodpiam ex hiſce ſtemmatibus abſtuliſſet, etſi Dominico non occurrente feſto, atque id præter Patriarchæ voluntatem, hunc ſibi ornatum impoſuit; ac ſubito carbone in faciem erumpente, magnis inde cruciatus doloribus, miſere periit, ac ſibi ante tempus mortem maturavit. Atque ex ſubitanea illa hujuſmodi audaciæ ultione is exinde mos inductus eſt, ut Imperator coronam accepturus, juret, & profiteatur ſe nihil mandatis & conſuetudinibus antiquis hujuſmodi adverſum aggreſſurum aut cogitaturum eſſe; atque ita a Patriarcha coronetur, & ſtatutæ ſole-

mnitati congruentia peragat & abſolvat. Hæc de Imperialibus indumentis. Subjungit, traditum quoque a Conſtantino Magno, nequis Imperator exteros populos Græci ignis conficiendi artem edoceat, aut cum iis connubia contrahat. *Ita quoque de Græco igne, qui per Siphones emittitur, curam habeas, & ſollicitudinem, oportet, ut ſi quando hunc petere audeant, ut a nobis plerumque petierunt, hujuſmodi eos verbis repellere & amandare poſſet: Iſtud quoque per Angelum magno & primo Chriſtiano Imperatori Sancto Conſtantino oſtenſum eſt, qui monita & præcepta gravia ea de re ab eodem Angelo accepit: (quod a majoribus certo teſtimonio edidicimus:) ut apud ſolos Chriſtianos, & in Imperatoria tantum urbe paretur, & non alibi, niſi ad aliam quamcumque gentem traſmittatur vel tradatur.* Addit Angelicas minas contra hujus mandati tranſgreſſores, & pœnam cuidam e Ducibus Romanorum inflictam, qui acceptis gentilium quorumdam muneribus hunc ipſis ignem tradiderat: denique *ſi unquam natio quædam ex infidelibus & inhonoratis Borealibus, affinitatem cum Romano Imperatore contrahere voluerit, vel filiam ejus ſponſam accipere, vel ſuam illi elocare, ita ut vel Imperatoris, vel filii ejus uxor ſit*; hujuſmodi filium ſuum verbis idem Conſtantinus Porphyrogenitus abſurdam hanc petitionem propulſare docet. *Hac item de re interdictum, ac terribilis immutabiliſque conſtitutio a Magno & Sancto Conſtantino in ſacra menſa Catholicæ Chriſtianorum Eccleſiæ Sanctæ Sophiæ deſcripta eſt: ne unquam Imperator Romanus affinitatem contrahat cum gente, quæ peregrinis, & a Romano ſtatu alienis moribus utatur; maximeque ſi alienæ fidei, & baptizata non ſit; Francis tantum exceptis: hos quippe ſolos excepit Magnus ille & Sanctus Conſtantinus, quia illis ex partibus originem duxerat... Certe ſupra memoratus Leo Imperator, qui coronam, ut jam diximus, improbe ac temere, abſque Patriarchæ conſenſu ex Eccleſia accepit ſibique impoſuit, ac condignas ſubito ſceleris pœnas dedit; auſus item hoc Sancti illius Imperatoris, quod, ut jam declaratum eſt, in ſacra menſa deſcriptum erat, vilipendere & pro nihilo habere; ubi ſemel Dei legumque divinarum metum omnem excuſſerat, cum Chazariæ Chagano matrimonialem contractum inſtituit, filiamque ipſius uxorem accepit, cum magno tam ſuo, quam Imperii Romani opprobrio, quod avita præcepta violaſſet ac pro nihilo habuiſſet; præter quam quod ne Chriſtianus quidem orthodoxus eſſet, ſed hæreticus & imaginum hoſtis: ideo, ha-*

harum ſcilicet impietatum cauſa, in Sancta Dei Eccleſia aſſidue excommunicatur & anathemate damnatur . . . Quodſi reponant : cur Dominus Romanus Imperator cum Bulgaris affinitate junctus eſt, neptemque propriam Domino Petro Bulgaro elocavit? Ita reſpondendum eſt : quia Dominus Romanus Imperator, vir indoctus & illiteratus erat, neque in Regia educatus fuerat, neque a principio Romanis legibus & moribus obſequutus ; neque ex Imperatorio & nobili genere ortus . . . hoc tantum uſus rationabili obtentu ; iſto nempe modo ingentem captivorum Chriſtianorum multitudinem liberari : Chriſtianos item eſſe Bulgaros & ejuſdem fidei : præterea neque vere Principis & legitimi Imperatoris filiam eſſe ; ſed tertii poſtremi atque ſubjecti, qui nullam in rebus Imperii poteſtatem haberet. Hæc ſunt Conſtantini monita ad filium, *quorum*, inquit, *notitia, magno tibi uſui eſſe, & admirabilem te præbere poſſit*: Fabularum ſcilicet venditorem, qui Chazaris, Turcis, Ruſſis, aliiſque Borealibus & Scythicis gentibus, magna tunc rerum inſcitia inſignibus, ſiquid a Byzantino Imperatore importune petiiſſent, quod is concedere nollet, advocato per machinam Deo, dictitaret, id per Angelum Conſtantino Magno Imperatori fuiſſe olim interdictum, & ab eodem Conſtantino Succeſſoribus mandatum, ne alteri cuicumque genti traderetur ; addito etiam commento, *quod a majoribus certo teſtimonio edidicimus*, *quod in ſacra Templi Sophiani menſa deſcriptum eſt*. Quæ vero a Porphyrogenito aliiſve Imperatoribus Græcis excogitata ſunt ad repellendas importunas Scytharum petitiones, effugia, mox ab oſcitantibus Scriptoribus pro rebus vere geſtis in ſuos ſunt annales relata. Redeo ad Ruſſos.

Alterum de antiquitate nominis *Ruſſici* teſtimonium profert Kulcinius loc. cit. inquiens : „ Eodem ſæculo (quarto) Antipa- „ ter Epiſcopus Ros, ſeu Roſſus, aut Ruſſus interfuit Concilio „ Antiocheno, legiturque ſubſcriptus in Synodali Epiſtola data „ ad Jovianum Imperatorem, ut ex Socrate lib. 3. cap. 21. nar- „ rat Cardinalis Baronius in Appendice de Ruthenis. Unde ſæ- „ culo quarto non jam Ruſſorum nomen in Orbe claruiſſe, ſed & „ Chriſti fidem in aliquo Ruſſiæ angulo viguiſſe eruitur „. Verum hæc quoque altera eſt ejuſdem Kulcinii allucinatio : non enim Socrates de Epiſcopo Roſſico ſive Ruſſico loquitur, ſed de Epiſcopo Rhoſi urbis ad ſinum Iſſicum in confinio Syriæ & Ciliciæ poſitæ : qua de urbe hæc Strabo lib. 16. cap. 751. *Hinc ad mare eſt*

XI. An Ruſſus, Rhoſi Epiſcopus Antipater.

Digitized by Google

Seleucia, *&* *Pieria*, *mons Amanus continuus*, καὶ ἡ Ρ῾ωσσὸς μεταξὺ Ἰσσοῦ, καὶ Σελευκείας ἱδρυμένη, *& Rhoſſus inter Iſſum & Seleuciam poſita*. Plinius lib.5. cap.21. *Oppidum Rhoſos*: *& a tergo Portæ. quæ Syriæ adpellantur, intervallum Rhoſiorum montium & Tauri*: Ptolemæus, ut & Strabo, geminata litera Ρ῾ωσσὸς, *Roſſus*, ſcribit, Euſebius quoque lib. 6. hiſtor. Eccleſ. cap. 12. ἡ κατὰ Ρ῾ωσσὸν παροικία, *Parochia, quæ circa Rhoſſum eſt*: Plutarchus denique in Demetrio pag. 904. αὐτῷ περὶ Ορωσσὸν ἀπήντησε Σέλευκος, *ei* (Demetrio) *occurrit Seleucus circa Oroſſum*, lege Ρ῾ωσσὸν, *Rhoſſum*; ex Cilicia enim huc venerat Demetrius, recte monente Cellario Geogr. antiq. lib.3. cap.12 pag.409. At aliis eſt *Rhoſus*, vel *Roſus*. Sic Peutingerianæ Tabulæ, *Roſus*: Hieroclis notitiæ in Cilicia ſecunda, Ρ῾ῶσος, *Rhoſus*: Socrati lib. 3. cap. 25. Antipater vocatur Epiſcopus Ρ῾ώσου, *Rhoſi*: demum in Synodo VII. Act. 4. Ρ῾ωσοπόλει τῆς Κιλικίας, *Rhoſopoli Ciliciæ*: nam quia ibi deſinit Sinus Iſsicus, idcirco nonnulli eam in Cilicia cenſent: *quæ diverſitas* (inquit Cellarius loc. cit.) *ab incerto finium Ciliciæ atque Syriæ manavit*. Cæterum origo nominis pura puta eſt Syriaca: a voce nimirum, ܪܫܐ, *Roſe* quæ *Caput* & *principium* ſignificat: eſt enim principium ſive Syriæ, ſive Ciliciæ: & in capite montis poſita, adeoque nihil ipſi commune cum *Roſſis* populis, a *Roſſeja* ſeu diſperſione nuncupatis.

XII. Rhos in Ezechiele memoratus, Ruſſorum Princeps.

Miror, Kulcinium de Ruſſorum origine ſcribentem non advertiſſe, id nomen longe ante Chriſti nativitatem in Greca τῶν Septuaginta Interpretum Verſione diſerte legi. Quod enim Latinus vertit Ezechiel. 38. verſ. 2. *Pone faciem tuam contra Gog in terra Magog, principem capitis Meſech & Thubal*: Græcus ſic reddit, στήρισον τὸ πρόσωπόν σου ἐπὶ Γὼγ, καὶ ἐπὶ τὴν γῆν τοῦ Μαγὼγ, ἄρχοντα Ρ῾ὼς, Μοσὸχ, καὶ Θοβὲλ: *Obfirma faciem tuam contra Gog, & contra terram Magog Principem Rhos, Moſoch, & Thobel*. Sequitur verſ.3. ἰδοὺ ἐγὼ ἐπὶ σὲ Μαγὼγ, καὶ ἐπὶ τὴν γῆν Μαγὼγ, ἄρχοντα Ρ῾ὼς, Μοσὸχ, καὶ Θοβὲλ: *Ecce ego ſuper te, Magog* (al. Γὼγ, Gog) *& ſuper terram Magog, principem Rhos, Moſoch, & Thobel*. In Hebraico textu (quemadmodum ſupra diximus) ambigua eſt vocis ראש *Rhos*, ſignificatio: vel enim appellativum eſt, נשיא ראש משך, *Principem capitis Meſech*, uti præter Latinum Syrus etiam interpretatur, ܪܫܐ ܕܡܫܟ

ܣܝܡ ܐܦܝܟ ܥܠ ܓܘܓ ܘܥܠ ܐܪܥܐ ܕܡܓܘܓ ܡܕܒܪܢܐ ܘܪܫܐ ܕܡܫܟ ܘܬܘܒܠ *Pone faciem tuam contra Gog , & contra terram Magog , rectorem , & caput Meſech & Thobel* : vel proprium , uti Septuaginta Interpretes intellexerunt , ἄρχοντα Ῥώς , Μοσὸχ , καὶ Θοβὲλ , *Principem Rhos* , *Moſoch* , *& Thobel* . Utramvis Verſionem ſequamur , quoad ſubſtantiam rei nihil differt : ſermo eſt enim de Scythis , Moſchis & Tibarenis circa Pontum Euxinum habitantibus . At notabile eſt valde , quod etiam ſub Ptolemæo Philadelpho, cujus temporibus Græca Scripturarum verſio adornata eſt, Rhoſsi Moſchis & Tibarenis conjuncti fuerint: Rhoſſi , inquam , ideſt , ad Rhos ſive Araxem fluvium habitantes populi , qui poſtmodum , Ponto Euxino trajecto , ultra Mæotidem ſedes habuerunt , ut Alanis mixti , *Ros alani* ſunt appellati . Hoc de Rhoſsis teſtimonium eſt omnium vetuſtiſsimum : ſed neque Patribus ignotum : nam de Hunnis in Romanum Imperium ſub Theodoſio juniore & Valentiniano invadentibus, hunc ipſum Ezechielis locum interpretatus eſt Proclus Epiſcopus apud Socratem lib.7. Hiſt. Eccleſ. cap.43. his verbis : „ Tunc etiam Proclus Epi-
„ ſcopus ſermonem faciens in Eccleſia, quum Ezechielis prophe-
„ tiam ſaluti tum a Deo collatæ adaptaviſſet , ingenti plauſu &
„ & admiratione exceptus eſt . Prophetia autem ſic habet : Καὶ
„ σὺ υἱὲ ἀνθρώπου , προφήτευσον ἐπὶ Γὼγ ἄρχοντα Ῥώς , Μοσὸχ ,
„ καὶ Θόβελ : & tu fili hominis , propheti za ſuper Gog Principem
„ Rhos , Moſoch , & Thobel . Judicabo enim illum morte & ſan-
„ guine & imbre inundante & lapidibus grandinis „ . *Cætera* . Hiſtoria Hunnorum a Socrate ibi ſic narratur . „ Dux quidam eo-
„ rum , cui nomen erat Ῥούγας , *Rugas* , fulmine perculſus inte-
„ riit : deinde ſequuta peſtis , maximam partem Barbarorum, qui
„ ſub illo erant , neci dedit . Neque vero hic malum ſubſtitit :
„ ſed & ignis e cœlo miſſus , multos ex iis qui ſuperfuerant , ab-
„ ſumſit . Atque ea res graviſsimum terrorem incuſsit Barbaris ,
„ non tam propterea , quod contra bellicoſam Romanorum gen-
„ tem bellum movere auſi fuiſſent , quam quod præpotentem
„ Deum iis auxilio eſſe intelligerent „ . Hæc Socrates . Apud Priſcum in Hiſtoria Gothorum , Ῥούας dicitur *Hunnorum Rex* , *cui ſucceſſit Attila* . Apud Jornandem , *Roa*, vocatur frater Octari & Mundiuchi, patruus Attilæ. *Roilam* appellat Langus interpres Nicephori : qua ratione adductus , neſcio : nam in Nicephoro Ῥούγας ſcri-

ſcribitur perinde ac in Socrate. Valeſius in Annotationibus ad hunc Socratis locum in Langum invehitur, quod nomen *Rhos* pro Ruſsis intellexerit. „ Ἄρχοντα Ῥῶς, *inquit*, ſic habet Editio „ Septuaginta Interpretum in capite 38. Ezechielis. Sed vox illa „ Ῥῶς, deeſt in Verſione Vulgata pro qua Hieronymus *Caput* in- „ terpretatur hoc modo: *Principem capitis Moſoch*. Quare quod „ Langus hic annotat de Ruſsis, meo quidem judicio alienum eſt „ ab hoc loco „. Imo nihil aptius, nihil congruentius: nam Hunni, quorum Rex Rhugas, erant e Slavorum gente: adeoque & Rhoſsi ſive Roxalani, qui & ipſi *Hunni*, eorumque regio *Chunigard*, ideſt, *Hunnorum* regio, quemadmodum ſupra ex Helmoldo, ac Theophane obſervavi.

XIII. Ruſſorum mentio apud Latinos noni & decimi ſaeculi Scriptores.

Poſt allatum Græcæ Verſionis teſtimonium, præter *Rhoxalanorum* nomen, nullus adhuc mihi occurrit Scriptor, qui diſertam *Rhos*, ſive *Ruſſorum* mentionem fecerit nono ſæculo antiquior. ac primo quidem e Latinis Liutprandus, Cremonenſis Epiſcopus, qui anno Chr. 968. ab Otthone magno Imperatore ad Nicephorum Phocam miſſus eſt, in hiſt. rerum ab Europæ Imperatoribus & Regibus geſtarum lib. 1. cap. 3. hæc habet de Ruſſis. *Conſtantinopolitana urbs, quæ prius Byzantium, nova nunc dicitur Roma, inter ferociſſimas gentes eſt conſtituta. Habet quippe ab aquilone Hungaros, Pizenacos, Chazaros, RUSSIOS, quos alio nomine nos Nortmannos appellamus, atque Bulgaros nimium ſibi vicinos: ab Oriente Bagdas; inter Orientem & meridiem, Ægypti Babyloniæque incolas: a meridie vero Aphricam habet, & notam illam vicinam ſibique contrariam inſulam Cretenſem; cæteræ vero, quæ ſunt ſub eo climate nationes, Armenii ſcilicet, Perſæ, Chaldæi, Avaſgi huic deſerviunt.* Idem lib. 5. cap. 6. de pugna navali Romani Lacapeni Imp. cum Ingero Rege Ruſſorum ſive Nortmannorum. *Gens quædam eſt ſub Aquilonis parte conſtituta, quam a qualitate corporis Græci vocant Ruſſos, nos vero a poſitione loci vocamus Nortmannos. Lingua quippe Teutonum* Nord *Aquilo,* Man *autem mas ſeu vir dicitur: unde & Nortmannos Aquilonares homines dicere poſſumus. Hujus denique gentis Rex Inger vocabulo erat, qui collectis mille & eo amplius navibus, Conſtantinopolim venit. Quod Romanus Imperator ut audivit, quoniam navalem exercitum ſuum directum contra Saracenos & ad inſularum cuſtodiam habuit, æſtuare cœpit cogitationibus. Quumque cogitationibus non paucas inſomnes noctes duceret, & Inger cuncta mari vicina diriperet, nunciatum eſt Ro-*

Romano, XV. ſemifracta ſe habere Chelandria, quæ populus ob vetuſtatem ſola reliquerat. Quod ut audivit, τὺς ναυτιγὺς, hoc eſt navium fabricatores ad ſe venire præcepit, quibus ait: properantes ſine dilatione ea, quæ remanſerunt Chelandria præparate. Sed & argumentum non ſolum in prora quo ignis projicitur, verum etiam in puppi, inſuper in utriuſque lateribus ponite. Compoſitis itaque ſecundum juſſionem ſuam Chelandriis, ſapientiſſimos in eis viros collocat, atque ut Regi Ingero occurrant, denunciat. Profecti denique, quum in pelago eos impoſitos Rex Inger aſpiceret, exercitui ſuo præcepit, ut viros illos caperet, & non occideret. Denique miſerator & miſericors Dominus, qui ſe colentes, ſe deprecantes, ſeadorantes, non ſolum protegere, verum etiam victoria voluit honorare: ventis tunc placidum reddidit mare, Secus enim ob ignis emiſſionem Græcis erat incommodum. Igitur in Ruſſorum medio poſiti, ignem circum circa projiciunt. Quod dum Ruſſi conſpiciunt, e navibus confeſtim ſeſe in mare projiciunt, eliguntque potiùs aquis ſubmergi, quam igni cremari. Alii tunc loricis & galeis onerati, nunquam viſuri ima pelagi petunt: nonnulli vero natantes inter ipſos maris fluctus uruntur, nulluſque die illa evaſit, qui fuga ſeſe ad terram non liberavit. Ruſſorum etenim naves ob parvitatem ſui ubi aquæ minimum eſt tranſeunt, quod Græcorum Chelandria ob profunditatem ſui facere nequeunt. Ingenti Inger confuſione poſtmodum ad propria eſt reverſus. Græci vero victoria potiti, vivos ſecum multos ducentes, Conſtantinopolim regreſſi ſunt læti. In hunc Liutprandi locum Muratorius tom. I. Antiquitatum Italicarum medii ævi pag. 25. hanc notam apponit Nortmanni, uti dedicimus a Liutprando, ſimulque teſtantur Ermoldus, Aimoinus, Vuillelmus Brito, Guilielmus Apulinenſis, & alii) nihil aliud ſignificabat, quam homines aquilonares: quæ appellatio non certum quempiam populum, ſed omnes Aquilonaris regionis populos complectitur. Igitur, ut arbitror, e Baltico præſertim in Oceanum piratæ Septentrionales erumpebant, & quo majoris prædæ ſpes erat illuc vela dabant. Quod vero Dani, Sveci, ac Norvegi, propiores & notiores Gallis forent, hinc Nortmanni omnes ex iis tantum nationibus conflati credebantur. Dudo de S. Quintino, qui juſſu Richardi I. Normanniæ Ducis (erat hic Rollonis primi Ducis nepos) circiter annum 990. res geſtas Normannorum literis conſignavit: Scanziam, ſeu Scandinaviam inſulam (quam Vaginam gentium, & omnium Barbarorum patriam, ſed perperam,

ram, *veteres Scriptores fecerunt*) *a Danubio ad Scythici uſque Ponti confinium diffuſam ortum dediſſe Nortmannis ſcribit*. *Eſt autem ibi* (ita ille ſubjungit) *tractus quamplurimus Alaniæ*, *ſituſque nimium copioſus Daciæ*, *atque meatus multum profuſus Getiæ*. *Illuc ergo is collocat non Dacos ſolum*, *ſed etiam Getas*, *qui & Gothi*, *Sarmatas*, *Hamabaxios* (lege, Hamaxobios) *Troglodytas*, & *Alanos*. *Præſertim vero ex Dacia*, *hoc eſt Dania*, *Nortmannos erupiſſe refert*. Et mox. *Ac proinde veriſimile admodum eſt*, *Ruſſos quoque ſeu Moſcovitas*, *ac Sarmatas*, *ad eandem prædam concurriſſe*, *utpote qui jam tunc ad Balticum*; *ſive Codanum mare*, *& ad Scythici uſque Ponti confinium*, *ex Europæ parte pertingerent*; *ex Aſiæ vero uſque ad Pontum Euxinum*. Ibid. pag. 24. *Sub Sarmatarum nomine Ruſſorum ſive Moſcovitarum gentem ampliſſimam noverunt olim ac memorarunt Romani*, *in Aſia ſimul ac Europa Boreali diffuſam*. *Ruſſi deinde*, *ſeu Rhoſſi*, *ac Rutheni appellati ſunt*, *ut Photius*, *Porphyrogenneta*, *Cedrenus*, *Johannes Zonaras*, *aliique Græci Scriptores teſtantur*.

Alterum e Latinis profero Anonymum Annalium Bertinianorum Auctorem, qui ab anno Chiſti 741. exorditur, & in anno 882. deſinit. Hunc edidit Ducheſnius Tom. 2. Franc. Script. & Muratorius Tom. 2. Rer. Ital. Ad annum vero Chriſti 839. de Legatis ad Ludovicum Imperatorem ex Oriente advenientibus hæc ſcribit. *Venerunt etiam Legati Græcorum a Theophilo Imperatore directi*, *Theodoſius videlicet Chalcedonenſis Metropolitanus Epiſcopus*, *& Theophanius Spatharius*, *ferentes cum donis Imperatore dignis Epiſtolam*. *Quos Imperator quintodecimo Kalendas Junii in Ingulenheim honorifice ſuſcepit*. *Quorum Legatio ſuper confirmatione pacti*, *& pacis*, *atque perpetuæ inter utrumque Imperatorem*, *eique ſubditos amicitiæ & caritatis agebat*, *nec non de Victoriis*, *quas adverſus exteras bellando gentes cœlitus fuerat aſſequutus*, *gratificatio*, *& in Domino exultatio ferebatur*. *In quibus Imperatorem*, *ſibique ſubjectos amicabiliter datori victoriarum omnium gratias referre popoſcit*. *Miſit etiam cum eis quoſdam*, *qui ſe*, *ideſt gentem ſuam*, *Rhos vocari dicebant*. *Quos Rex illorum Chacanus vocabulo ad ſe amicitiæ*, *ſicut aſſerebat*, *cauſa direxerat*, *Petens per memoratam Epiſtolam*, *quatenus benignitate Imperatoris redeundi facultatem atque auxilium per Imperium ſuum totum habere poſſent* : *quoniam itinera*, *per quæ ad illam Conſtantinopolim venerant*, *inter barbaras & nimiæ feritatis*

tis gentes immaniſſimas habuerant, quibus eos, ne forte periculum inciderent, redire noluit. Quorum adventus cauſam Imperator diligentius inveſtigans, comperit eos Gentes eſſe Sveonum, exploratores potius regni illius, noſtrique, quam amicitiæ petitores ratus, penes ſe eouſque retinendos judicavit, quoad veraciter invenire poſſet, utrum fideliter eo, necne pervenerint. Idque Theophilo per memoratos Legatos ſuos, atque epiſtolam intimare non diſtulit, & quod eos illius amore libenter ſuſceperit, ac ſi fideles invenirentur, & facultas abſque illorum periculo in patriam remeandi daretur, cum auxilio remittendos; ſin alias, una cum Miſſis noſtris ad ejus præſentiam dirigendos, ut quid de talibus fieri deberet, ipſe decernendos efficeret.

XIV. Ruſſi a Græcis ſcriptoribus memorati; & primum a Niceta in vita Sancti Ignatii.

E Græcis primus Nicetas, cognomento David, Paphlago, in Vita S. Ignatii Patriarchæ Conſtantinopolitani, edita per Raderum Ingolſtadii anno 1604. *Ruſſos* memorat. Is autem eidem S. Ignatio Synchronus vivebat circa annum Chriſti 878. De Ruſſis vero ad annum 858. hæc ſcribit. *Interea athleta Chriſti* (Ignatius) *ſemeſtri Mytilenæ exacto, ab exilio redit; redit autem voluntate principum, reſtitutus non tam honori, quieti, & ſolatio, quam ignominiæ: vexationi, majorique afflictioni. Quanta enim inimicus in eo malignatus ſit, quantaſque ærumnas, Nicetas Regiæ claſſis Drungarius, cognomento Oryphas, quantas item contumelias, Photio & Principibus gratificaturus, irrogarit; quæ dicendi vis & copia aſſequatur? Quis ſpeciatim hoſtium impetum, convicia; verbera, tormenta, quæ ille in familiares illius parricida manu expromſit, exponat? Acceſſit & alia ſancto viro calamitas.* Κατ' ἐκεῖνον γὰρ τὸν καιρὸν τὸ μιαιφονώτατον τῶν Σκυθῶν ἔθνος οἱ λεγόμενοι Ῥῶς, διὰ τοῦ Εὐξείνου Πόντου προσκεχωρήσαντες τῷ στενῷ, καὶ πάντα μὲν χωρία, πάντα δὲ μοναστήρια διηρπακότες, ἔτι δὴ καὶ τῶν τοῦ Βυζαντίου περιομίδων κατέδραμον νησίων, σκεύη μὲν πάντα ληιζόμενοι καὶ χρήματα, ἀνθρώπους δὲ τοὺς ἁλῶντας πάντας ἀποκτείνοντες, πρὸς οἷς δὲ καὶ τῶν τοῦ πατριάρχου μοναστηρίων βαρβαρικῷ καταδραμόντες ὁρμήματι καὶ θυμῷ, πᾶσαν μὲν τὴν εὑρεθεῖσαν κτῆσιν ἀφείλοντο. εἴκοσι δὲ καὶ δύο τῶν γνησιωτέρων αὐτοῦ κεκρατηκότες οἰκετῶν ἐφ' ἑνὶ ξοχαντῆρι πλοίου, τοὺς πάντας ἀξίναις κατεμέλισαν. *Ea tempeſtate Rhoſſi (ſive Ruſſi) gens Scytharum, a Ponto Euxino ad Stenum excurſione facta, omnem circum regionem, omniaque monaſteria deprædati ſunt: Inſulanorum quoque Byzantinorum, per populationem, vaſa omnia diri-*

puerunt, argentum abſtulerunt, captos ad unum omnes trucidarunt. Ipſius denique Patriarchæ cœnobium barbarico furore & impetu incurſantes, tota ſuppellectili direpta, ſpoliarunt, duoſque ſupra viginti ex familiariſſimis in uno navigii trochantere (parte navis ad puppim) *omnes ſecuribus fruſtatim conciderunt.* Baronius ad annum 861. hæc ipſa Nicetæ verba ex alio Interprete deſcribens, *Ruſſorum* nomen omittit num. 2. inquiens: *Acceſſit & alia ſancto Viro calamitas: eo enim tempore immaniſſimum Scytharum genus per Euxinum mare progreſſi ad Anguſtum, omnia loca, & monaſteria quum diripuiſſent*, & cætera. Hanc autem Ruſſorum irruptionem anno Chriſti 959. contigiſſe, colligitur ex ejuſdem S. Ignatii exauctoratione, quæ facta eſt die 23. Novembris anno 857. quemadmodum oſtendit Pagius ad ann. 858. num. 12. nam ejectus e ſua Sede Ignatius, in inſulam Terebinthum relegitur: inde in inſulam Hieriam ſive Sacram, & mox ad loca Promoti dicta transfertur: & elapſis haud multis inde diebus, in Numera deductus, rurſus catenis oneratur; dein Auguſto menſe appetente, (adeoque anno Chriſti 858.) in navigium conjectus, Mytilenen aſportatur. Semeſtri autem Mytilenæ exacto (ac proinde ineunte anno 859.) ab exilio revocatur: quo tempore, & anno a Niceta deſcribitur antedicta Ruſſorum graſſatio: quæ proinde a Baronio ad annum 861. perperam collocatur. Zonaras poſt S. Ignatii depoſitionem, de eadem Ruſſorum excurſione diſſerens: Τὸ δ' ἔθνος τῶν Ῥῶς, σκυθικὸν ὂν, τῶν περὶ τὸν ταῦρον ἐθνῶν, *Gens autem Scythica* (inquit) *Ruſſi genibus Taurum incolentibus* (ideſt, Tauricam Cherſoneſum, non Taurum montem, ut vertit Cangius, *Tauri montis Accolæ*) *claſſe Euxinum Pontum aggreſſa, ipſi Byzantio agro minabatur. Sed conſilium ei non ſucceſſit, divina providentia impeditum, quæ effecit, ut invita, vel potius iram numinis experta, rebus infectis diſcedere cogeretur.* Eadem legere eſt apud Cedrenum pag. 551. ubi Ruſſi vocantur, ἔθνος οἱ Ῥῶς σκυθικὸν, περὶ τὸν ἀρκτῷον Ταῦρον κατῳκημένον, *Rhoſsi gens eſt Scythica, ad Septentrionalem incolens Taurum.* Zonaras & Cedrenus videntur Taurum montem cum Tauris populis, Cherſoneſi ejuſdem nominis incolis, confundere.

XV. Simeonis Logothetæ de Ruſſis teſtimonium. Simeon Logotheta, & Magiſter, vulgo Metaphraſtes nuncupatus, qui anno Chriſti 930. claruit, in Annalibus, qui Theophani ſubjunguntur, ſub Michaële Theophili filio Imperatore Ruſ-

Ruſſos ſcribit in urbem Regiam invaſiſſe num. 38. edit. Pariſ. pag. 445. Τῷ ι. αὐτοῦ ἔτει, οἱ Ῥῶς ἔνδοθεν τοῦ ἱεροῦ φθάσαντες, Anno (*inquit*) Imperii Michaëlis decimo, Ruſſi,, quum in
,, Hierum penetraſſent, multas cædes fecerunt. Urbem itaque
,, vallo cingunt; ac quum vix Imperator trajicere potuiſſet, ſta-
,, tim cum Photio Patriarcha ad Sanctæ Dei Genitricis, quod eſt
,, in Blachernis, veniunt; eductamque cum Canticis ejuſdem
,, Dei Genitricis ſacram Veſtem ac Pallium, Τὸ ἅγιον τῆς θεοτόκου
,, ἐξαγάγοντες Μαφόριον, mari leviter intinxerunt, quumque
,, nulla perflaret aura, ventorum ſtatim orti impetus; tranquil-
,, loque mari ac ſedato, continui fluctus excitati. Impiorum Ruſ-
,, ſorum fractæ naves ac quaſſatæ, quum paucæ evaſiſſent peri-
,, culum,,: καὶ τὰ τῶν ἀθέων Ῥῶς πλοῖα κατεάγησαν, ὀλίγοι ἐκπεφευγότων τὸν κίνδυνον. Eadem Anonymus Theophani continuator in Michaële Theophili filio num. 33. edit. Reg. pag. 121.
,, Exinde factum, ut Rhoſsi, Scythica illa gens immitis ac fera
,, Romanos agros vaſtarent, ἐντεῦθεν γοῦν τὰ μὲν τῶν Ῥωμαίων
,, ἡ τῶν Ῥῶς ἐκάκου ἐπιδρομή, ἔθνος δὲ οὗτοι Σκυθικὸν ἀνήμερόν
,, τε καὶ ἄγροικον, ipſumque Pontum (haud ſane etiam Euxinum)
,, igni deſolarent, ac quaſi indagine, Regiam ipſam Urbem (Mi-
,, chaële in expeditione adverſus Iſmaelitas occupato) cingerent.
,, Verum hi quidem abunde Dei ira exſaturati, Photio, qui ad
,, Eccleſiæ gubernacula ſedebat, Deum exorante Urbique pro-
,, pitium reddente: domum rediere: nec multo poſt, Legatis in
,, Urbem miſsis, divinum efflagitantes Baptiſmum, etiam impe-
,, travere. Partim itaque hæc Roſſorum vaſtabat incurſio, par-
,, tim Cretenſium advecta claſsis, ad viginti lintres (cymbaria
,, vocant) galeas ſeptem, ac onerarias quaſdam adducens, de-
,, prædabatur infeſtabatque, modo quidem Cycladas inſulas,
,, modo maritimam omnem regionem ad Preconneſum uſque
,, pervagans; partim denique continui terræmotus labefactabant;
,, & ſolo tenus diruebant: horum unus, quo die Domini ac Sal-
,, vatoris noſtri in cœlos recepti ſolemnis memoria agitur, Exa-
,, cionii tertiam partem ſolo proſtravit &c.,, Narrat Baronius hunc tærremotum anno 862. num. 4. ex Niceta in Vita S. Ignatii. Verum, quum Simeon Logotheta in Annalibus diſerte ſcribat, depoſitionem quidem S. Ignatii & Photii intruſionem anno Imperii Michaëlis ſeptimo contigiſſe; eundem autem Michaëlem anno Imperii nono, expeditionem adverſus Agarenos ſuſcepiſſe,

 Ory-

Digitized by Google

Orypha præfecto in Urbe relicto; anno vero ejuſdem decimo Ruſſos in Urbem invadentes; miraculo Deiparæ exinde depulſos; ſequitur, hanc Ruſſorum excurſionem anno 859. exeunte, vel ineunte 860. accidiſſe: ac proinde eandem prorſus eſſe ac illam; quæ ſupra ex Niceta conſcripta eſt. Difficultas tamen eſt in *anno decimo Imperii Michaëlis*: nam Michaël quidem unacum matre Theodora Imperium iniit anno Chriſti 842. ſolus autem, ejecta matre Theodora, circa finem anni 859. Sive igitur decimus ipſius annus ab anno 842. ducatur, ſive ab anno 859. non quidem in annum 859. vel 860. ſed in annum 852. vel 869. inciderit, oportet, ea Ruſſorum excurſio. Item S. Ignatii depoſitio, quæ facta dicitur anno Michaëlis ſeptimo, contigerit neceſſe eſt, non anno 857. juxta Pagium, neque anno 858. ſecundum Baronium; ſed vel anno 848. vel 865. quæ omnia veritati hiſtoricæ repugnant. Quamobrem concludendum eſt, vitiatos eſſe in Simeonis Logothetæ Annalibus, Michaëlis Imperii annos.

XVI. Alterum Simeonis de Ruſſis teſtimonium.

Idem Simeon Logotheta poſtquam Romanum Imperatorem narraſſet juniori filio ſuo Conſtantino uxorem Theophanonem die 2. Februarii copulaſſe, ſubjungit n. 46. edit. Reg. pag. 490.
„ Eodem anno *κατέπλευσαν οἱ Ῥῶς οἱ καὶ δρομῖται λεγόμενοι,*
„ *οἱ ἐκ γένους τῶν φράγκων ὄντες, κατὰ τῆς Κωνσταντινουπόλεως*
„ *μετὰ πλοίων χιλιάδες δέκα*: Ruſsi, quos Dromitas vocant,
„ ex Francis genus ducentes, conferta decem millium navium
„ claſſe, infeſtis ſignis, Byzantium venerunt. In eos itaque Theo-
„ phanes Protoveſtiarius cum navalibus copiis miſſus inſtructa
„ claſſe, illorum ſuſtinebat impetum. Quod vero ad Ponti Eu-
„ xini Pharum jam venerant (dicitur autem Pharus moles quæ-
„ dam ſeu turris, ex qua accenſa flamma, viatores noctu in iti-
„ nere diriguntur: Euxinus vero Pontus per antiphraſim dicitur,
„ quaſi bene hoſpitalis: male enim hoſpitalis audiebat, ob graſ-
„ ſantium in eo latronum erga hoſpites, juges injurias; quibus
„ ab Hercule ſublatis, ſecuritatem nacti viatores, Euxinus eum
„ nuncupaverunt:) in loco, quem HIERON vocant, ac ſi dicas
„ Templum, (cui inde appellatio acceſsit, quod Argonautæ
„ illac tranſeuntes, eo loco Templum condiderunt:) ipſe re-
„ pente in illos irruens, navigia alia igne combuſsit, alia in fu-
„ gam egit. Quocirca fuſis omnino fugatiſque hoſtibus, partim
„ eorum naves cum vectoribus pelago merſerunt, partim pluri-
„ mos, ingentique turba vivos ceperunt. Qui reſidui fuerant,

„ ad

„ ad Orientalem plagam, εἰς τὰς Ῥόγας, ad locum, quem Rho-
„ gas vocant, navigaverunt. Quodque manipulum, neceſſarii
„ pabuli & annonarum cauſa, in Bithyniam miſerant, Bardas Pho-
„ cas in eam rem cum lectorum equitum manu miſſus, antever-
„ tens illorum iter, illiſque obviam factus, cunctos internecione
„ delevit. Sed & Curcuas cum Aſiaticis cunctis copiis deſcen-
„ dens, fuſique exercitus reliquias offendens, illorum ſtragem
„ dedit. Ii porro multa loca & templa incenderant, quoſque ex
„ Romanis comprehenderant, alios in crucem agebant, alios
„ terræ configebant: Clericos ſacrique Ordinis viros, manibus
„ poſt terga revinctis, medio cerebro infixis clavis dire perime-
„ bant. Jam vero appetente hieme, quum domum redire para-
„ rent, Romanam claſsem latere ſtudebant. Quum itaque noctu
„ ſolviſſent, facto ejus obviam Theophane Patricio, altera ſtatim
„ navalis commiſſa pugna, multaque profundo merſa navigia:
„ pauci cum navigiis ἐν τῇ τῆς χοίλης περιπεσόντων αὐτῇ ad
„ Cœles litus evecti, incolumes, per noctis opportunitatem
„ evaſerunt. Theophanes autem ingenti parta victoria reverſus,
„ honorifice & magnifice ab Imperatorè ſuſceptus, Accubitoris
„ dignitate provectus eſt.

XVII. Quid de Ruſſis Georgius Monachus & Anonymus a Porphyrogenito editus.

Hæc totidem fere verbis ab aliis duobus Græcis ſcriptoribus narrantur, qui Simeoni Logothetæ æquales fuiſſe videntur: nimirum a Georgio *Monacho*, qui poſt Theophanem & vitas *Imperatorum* a Leone Armenio ad Romanum Lacapenum, quum jam Conſtantinus Porphyrogenitus ſolus imperaret, preſcripſit; & ab *Anonymo* ejuſdem Theophanis continuatore, qui a Leone Sapiente Baſilio filio ad Romanum Juniorem Conſtantini Porphyrogeniti filium, res ab iis geſtas retulit. Uterque enim in Romano Lacapeno, Georgius ſcilicet num. 50. edit. Pariſ. pag. 588. & Anonymus num. 39. pag. 263. iſtam Ruſſorum irruptionem ſic deſcribit, ut incertum ſit, quis alterum exſcripſerit. Tam enim in Simeone, quam in Georgio, & Anonymo, non eadem modo narratio, ſed & eadem fere verba. Differunt tantum Georgius & Anonymus a Simeone, quod illi id factum *Indictione* XIV. *die* XI *Junii* referunt, hoc eſt, anno Chr. 941. Simeon autem, quamquam neque Indictionem, neque menſem notat, ſed abſolute narrationem ſuam his verbis incipit, *eodem anno Ruſſi quos Dromitas vocant*, &c. ex iis tamen quæ proxime antecedunt, videtur *Indictionem* 8. hoc eſt annum Chriſti 935. deſignare, quem-

admo

admodum ſupraobſervavi. Præterea Simeon vocat *Rhogas* locum, in quem Ruſsi trajecerunt; illi vero *Sgora*. Sed juvat Anonymum audire. Igitur poſtquam & ipſe a Romano Imperatore locatam Conſtantino filiorum natu minimo Theophanonem narraſset, hæc de Ruſsis ſubjungit. *Quartadecima Indictione, menſis vero Junii undecima, Ruſsi inſtructa claſſe ad decem navium millia adverſus Byzantium navigaverunt. Hos Dromitas vocant, atque a Francis genus ducunt. Miſſus itaque eſt cum triremibus, & celocibus quotquot in urbe erant, illorum impetum excepturus Theophanes Patricius: inſtructaque ac parata claſſe, jejunii ac lacrymarum apprime præſidio communitus, Ruſſos operiebatur, navale cum eis certamem commiſſurus, quod vero illi jam junxerant, ac propter Pharum venerant (vocatur vero Pharus, turris quædam & ſubſtructio, cui fax accenſa imponitur, ad eorum qui noctu applicant, iter dirigendum:) ipſe ad Euxini fauces ſtationem habens (ſic enim contraria adpellatione vocatus eſt, quum* ακόξεινος, Cacoxinus *diceretur, idcirco nimirum quod latrones ea loca inſidentes aſsidue adverſus hoſpites graſſarentur, quos ab Hercule ſublatos ajunt; proptereaque viatores tuto jam illius itinere,* Euxini *quaſi hoſpitalis, nomen indidiſſe:) in loco, quem* Hierum *vocant, repente in eos impreſsionem fecit. Hierum inde nominis appellationem ſumpſit, quod Argonautæ illac tranſeuntes, Templum ibi extruxerint. Primus itaque ſua ipſe celoce vectus, cum Ruſsicarum navium ordinem diſſoluit, tum pleraſque præparato igne nautico incendit; reliquas in fugam vertit; quem pone ſequutæ naves reliquæ atque triremes, hoſtium omnem aciem penitus fuderunt: ac plures quidem navium cum vectoribus ſubmerſerunt, multos peremerunt, plurimos vivos ceperunt. Superſtites cladi reliquiæ ad* Orientalem *plagam, ad locum* τὰ Σγόρα, Sgora *dictum, trajecerunt. Ibi Bardas Patricius* ἀπο ςρατηγῶν ὁ Φωκᾶς, *Phocas* exdux, *miſſus cum equitum peditumque delecta manu, ad hoſtium iter terra intercipiendum, in eorum cohortem ſatis numeroſam, ad pabulandum aliaque neceſſaria ad* Bythiniæ *partes miſſam, incidit; ingentique eam ſtrage fudit & profligavit, atque internecione delevit. Sed & ſapientiſsimus ſolertiſsimuſque Joannes Curcuas Scholarum* Domeſticus, *cum Aſiatico omni exercitu præſto fuit, multoſque Ruſſorum a reliquo agmine aliis aliiſque locis divulſos offendens, ſuſtulit; ita ſane, ut ejus aggreſsionis metu perculſi, in ſuis ſe navibus adunata claſſe continerent, nec uſquam ex-*

cur-

Digitized by Google

currere auderent. Hi porro ingentia maximaque mala perpetraverant, quum nec dum illis Romanæ copiæ præſto eſſent. Nam Stenum omne, quod vocant, igne vaſtarunt. Ex illis quos captivos ceperant, alios in crucem agebant, alios terræ configebant, alios velut ad metam erectos, jaculorum imbre impetebant. Quotquot vero Sacerdotalis ac Clericalis ordinis deprehendebant, iis, retro vinctis manibus, per medium caput clavos ferreos adigebant. Multas ſacrarum Ædium ſubjecta flamma combuſſerunt. Ingruente vero hieme, quum eos neceſſarius jam commeatus deficeret, dum ſcilicet Scholarum Domeſtici Curcuæ copiarum inſultus, virique prudentiam ac conſiliorum ſagacitatem timent, necnon Patricii Theophanis navalia prælia, exque inſidiis aſtuque aggredientis impetum reformidant, domum redire conſtituerunt. Ac vero, hoc admittentes, ut Romanam claſſem laterent, quum menſe Septembri Indictione quintadecima ad Thraciæ partes transfretare aggreſſi eſſent, quem dicebam Patricium Theophanem obvium habuerunt: neque enim viri ſolertiſſimum ac pervigilem animum unaque fortiſſimum fefellerunt. Mox igitur navalis iterum pugna committitur, plurimæque hoſtium ſubmerſæ naves, multi occiſi. Pauci cum navibus cladi ſubducti; inque Culos litus evecti, ἐν τῇ τῆς Κόλης παραπεσόντες ἀκτῇ, *ingruente nocte fuga evaſerunt. Theophanes Patricius cum inſigni victoria maximiſque erectis trophæis reverſus, bonorifice & magnifice ſuſcipitur, ac Accubitoris dignitate ornatur.*

Quæ hactenus ex Anonymo deſcripſi, eadem apud Georgium Monachum leguntur, hac appoſita ad marginem nota: ὅτι ἐν τοῖς χρόνοις Ῥωμανοῦ καὶ Κωνσταντίνου κατέπλευσαν οἱ λεγόμενοι Ῥῶς κατὰ Κωνσταντινουπόλεως μετὰ πλοίων χιλιάδες δέκα: *Romani & Conſtantini temporibus adverſus Conſtantinopolim decem millium navium claſſe venerunt quos Ruſſos dicunt.* Sed Georgius importunas illas Simeonis & Anonymi de *Dromitis* & *Francis*, de *Pharo*, de *Euxino*, deque *Hiero* obſervationes, omittit: Sic enim habet: *Junii menſis undecima, Indictione quintadecima,* κατέπλευσαν οἱ Ῥῶς κατὰ Κωνσταντινουπόλεως μετὰ πλοίων χιλιάδων δέκα, *Ruſſi inſtructa claſſe ad decem navium millia adverſus Conſtantinopolim navigarunt. Miſſus vero eſt cum triremibus & celocibus, quotquot in urbe exſtabant, Theophanes Patricius* ὁ Παραδυναστεύων, καὶ πρωτοβεστιάριος, *Subadjuva & Protoveſtiarius; inſtructaque & parata claſſe, jejunii ac lacrymarum apprime præſidio*

ſidio munitus, *Ruſſos operiebatur*, *navale cum eis certamen commiſſurus*. *Quumque illi jam veniſſent*, *ac Pharo propinquaſſent*, *ipſe ad Euxini fauces ſtationem habens*, ἐν τῷ ἱερῷ λεγομένῳ, *in loco quem Hierum vocant*, *repente in eos impreſſionem fecit*. *Primus itaque ſua ipſe occurrens celoce*, τήν τε σύνταξιν τῶν Ῥωσιακῶν πλοίων, *cum Ruſſicarum navium aciem diſſolvit*, *tum pleraſque præparato igne*, τῷ ἐσκευασμένῳ πυρὶ, *incendit*, *reliquas in fugam vertit*. Cætera uti apud Anonymum: qui in Romano juniore num. ult. pag. 300. edit. Pariſ. de capta a Nicephoro Phoca Cretenſium inſula differens, hæc de ejuſdem Nicephori copiis ſcribit: *quum menſes fere octodecim & amplius*, *urbem obſediſſent*, *conſumpta Agarenis Cretenſibus omni annona*, *iiſque in anguſtias coactis*, *ac quum ex illis quotidie ad Magiſtrum ultro confluerent*; *Dei tandem cuncta moderantis imperio*, *menſe Martio*, *ſexta Indictione*, *Scholarum Domeſticus aciem inſtruxit*, *diverſoſque ex illis cuneos & phalangas ac turmas conſtituit*. Ἐπεὶ δὲ ταῦτα συνέστησε τῶν ταγμάτων, καὶ τῶν θεματικῶν ἀρχόντων, καὶ Ἀρμενίων, καὶ Ῥώς, καὶ Σθλαβησιάνων, καὶ Θρακικῶν, ἐπελθεῖν τῷ κάστρῳ ἐκέλευσε. *Quibus ita conſtitutis*, *ex Legionariis*, *& Armeniis*, *& Ruſſis*, *& Sclabinis*, *& Thracibus lectos in urbem immiſit*. Creta Agarenis erepta eſt a Nicephoro Phoca imperante Romano Juniore menſe Martio anno Chr. 961. Indictione quarta, uti habet Curopalates, non Indictione *ſexta*, uti Anonymus ſcribit, neque *decimaquarta*, uti perperam legitur apud Cedrenum pag. 643. edit. Pariſ. nam Indictio quarta in annum Chr. 961. incidit, quo Romanus Junior imperabat: at Indictio 6. in annum 963. & Indictio 14. in annum 956. vel 971. quibus annis aut Conſtantinus Porphyrogenitus Romani pater, aut Nicephorus Phocas, Romano mortuo, imperabat. Interim notandum ex Anonymo, jam tum Ruſſos in Imperatorum militia fuiſſe adſcriptos. Cæterum hanc ipſam, quæ ſupra deſcripta eſt, Ruſſorum excurſionem legere eſt ad Indictionem XIV. apud Georgium Cedrenum pag. 630. edit. Pariſ. & Joannem Zonaram pag. 191. qui tamen numerum Navium Roſſicarum nimium auget: *Poſt hæc* (inquiens) στόλος Ῥωσικὸς, *claſſis Ruſſica*, *non mille*, *ſed decies & quinquies mille navium*, *urbem aggreſſa eſſe dicitur*, οὐ χιλιοναῦς ἦν ἀλλ᾽ εἰς πεντεκαίδεκα χιλιάδας. Eundem deſcribit Baronius ex Curopalate ad ann. Chr. 941. ubi ea narrata, ſubjungit: *Porro hujus glorioſæ victoriæ meminit etiam Luitprandus*, lib. 5. cap. 6., *hoſque*, *quos Græ-*

ci

ei Ruſſos vocant, *ipſe Northmannos*, *appellat*, *cujus pariter ratione omnes populi Boreales eſſent appellandi Northmanni*: *nam*, ut ait, *Nord*, *Aquilo*, *Man*, *vir dicitur*; *ita ut Nordman*, *idem quod Aquilonaris ſonet*. *Horum autem Ducem ſeu Regem Inger nominatum tradit*: quod Græci ſcriptores tacuere. Hoc tamen Luitprandi teſtimonio refellitur ſeries Chronologica Ducum Ruſſiæ, in qua apud Kulcinium in Appendice pag. 108. Igorus dicitur Ruſſis imperaſſe anno Chr. 886. an annum 921. *quo a Dreulanis interfectus perhibetur*, *dum ab expeditione contra Græcos facta rediret*. Expeditio enim illa ſuſcepta anno 941. tam a Latino ſcriptore Luitprando, quam a Græcis Simeone, Georgio, Anonymo, Cedreno, Zonara, Curopalate narratur. Ad *Dromitas* demum Ruſſos quod attinet, (quod Latini Simeonis & Anonymi Interpretes, *palantes*, *vagos*, *ac curſu veloces*, exponunt) Tauroſcytæ ii ſunt, Cherſoneſum Tauricam incolentes, quemadmodum a Cedreno & Zonara vocantur: Plinius quoque ac Ptolemæus, Tauricæ Cherſoneſi populos, *Tauro-Scythas* appellant; ſed eos maxime, Procopio teſte, qui *Dromum Achillis* inſulam inhabitant: unde *Dromitæ* dicti.

XVIII. Conſtantini Porphyrogeniti de Ruſſis teſtimonium.

Conſtantinus Porphyrogenitus Imperator, Leonis Sapientis filius, non modo in libro de adminiſtrando Imperio, crebram Ruſſorum mentionem facit; verum etiam in vita Avi Baſilii Macedonis num. 96, pag. 211. edit. Pariſ. eorum ad Chriſtiana ſacra converſionem ſub eodem Baſilio factam narrat. Ejus verba hæc ſunt. *Prætereha* τῶν Ρ῾ῶς Ε῎θνος, *genti Ruſſorum neſcienti manſueſcere*, *ullive cedere*, *atque a Dei ſenſu ac pietate remotiſſimæ*, *auri argentique ac ſericarum veſtium largitione in fœdus pertractæ*, *initiſque cum ea induciis*, *ac pace firmata*, *divini quoque Baptiſmatis participes fieri perſuaſit*; *ac Archiepiſcopum ab Ignatio Patriarcha ordinatum*, *ut ſuſciperent*, *effecit*. Reliqua tum proferam, quum de hujuſce gentis ad Chriſtum converſione erit ſermo. Porro hoc ipſum de Ruſſis ad fidem Chriſti converſis, idem Conſtantinus, ſive quiſvis alius Anonymus Theophanis continuator, narrat lib. 4. num. 33. pag. 122. in Imperio Michaëlis Theophili ac Theodoræ filii: nam quum Ruſſos in urbem Regiam ſub Photio Patriarchatum adepto invaſiſſe dixiſſet, ſubjungit: *nec multo poſt Legatis in urbem miſſis*, *divinum afflagitantes Baptiſmum*, *etiam impetravere*. Nimirum, Baſilio Macedone imperante, uti Porphyrogenitus exponit, & Zonaras narrat lib. 16.

Digitized by Google

num. 16. pag. 173. his verbis: *Pace cum gente Ruſſica, effecit* (Baſilius) *ut illa in cognitionem arcanorum noſtrorum perveniret; & quum ſe baptizari velle promiſiſſent, Pontificem eis miſit.* Et cætera. At Cedrenus, inſtar Anonymi, id factum poſt Ruſſorum ſub Michaële irruptionem ponit, inquiens pag. 551. *Hi quum ipſam Conſtantinopolim in grave conjeciſſent periculum, paulo poſt Dei iram experti, domum reverſi ſunt: Legatiſque in urbem miſſis divinum baptiſmum efflagitarunt impetraruntque.* Adeo barbaram gentem emollivit ſanguis tot Martyrum, quos illi trucidarant, & Sancti ipſius Ignatii oblata pro ipſis deprecatio, quem, uti ſupra narratum eſt ex Niceta, tantopere afflixerant. Pagius ad ann. 861. num. 7. *Ruſſi*, inquit, *ſeu, ut tunc vocabantur, Rhoſſi, hoc anno Chriſtianam fidem amplexati ſunt.* Mox producit teſtimonium Porphyrogeniti, qui iis enarratis, quæ hoc anno, 861. ut putat idem Pagius, adverſus Ignatium a Photianis geſta, n. XXXIII. ſcribit.: *Exinde factum, ut Roſſi* (*Scythica illa gens immitis ac fera*) *Romanos agros vaſtaret; ipſumque Pontum* (*haud ſane etiam Euxinum*) *igni deſolarent, ac quaſi indagine Regiam ipſam Urbem* (*Michaele in expeditione adverſus Iſmaelitas occupato*) *cingerent. Verum hi quidem abunde Dei ira exſaturati, Photio, qui ad Eccleſiæ gubernacula ſedebat, Deum exorante, urbique propitium reddente, domum rediere: nec multo poſt Legatis in urbem miſſis, divinum efflagitantes Baptiſmum, etiam impetravere.* Confirmat hanc ſuam de Ruſſis an. 861. ad Chriſti fidem converſis ſententiam producta Photii Epiſtola, quam is ad Patriarchales Sedes Orientis ſcriptis; Baronius autem ad annum 863. num. 41. recitat: ubi Photius, poſtquam de Bulgarorum baptiſmo verba fecit, de Ruthenis ſeu Ruſſis ſcribit: *non ſola gens iſta a priore ſua impietate ad Chriſti fidem converſa eſt; verum etiam quod apud multos ſæpenumero eſt dictitatum, gens illa, quæ crudelitate ac cædibus omnes ſuperat, qui Rutheni dicuntur, quique infinitos populos ſibi ſubjecerunt, & propterea multum elati adverſus Romanum Imperium manus injecerunt, nihilominus etiam iſti puram, & immaculatam Chriſtianorum religionem, depoſita ſua illa Ethnica & impia ſuperſtitione, quam antea ſequebantur, noſtram fidem ſuſceperunt: ſubditorum loco & clientum humane nobiſcum ſe habentes, pro illa ſua priore adverſus nos deprædatione, & pro magna illa ſua audacia, ita eos fidei deſiderium & zelus accendit, ut iterum Paulus clamare videatur, Benedictus Deus in ſæcula: Epiſco-*

ſcopun enim & Paſtorem receperunt, & Chriſtianorum ſacra magno ſtudio & diligentia venerantur. Verum his Pagii argumentis non obſtantibus, una videtur, non duplex fuiſſe Ruſſorum converſio, eademque ſub Baſilio, non ſub Michaële Imperatore contigiſſe. Nam ad Porphyrogeniti auctoritatem quod ſpectat, jam vidimus, illum non indicato ſignate tempore dixiſſe, Ruſſos Michaële imperante & Photio in Patriarchatum intruſo baptiſmum petiiſſe & obtinuiſſe; ſed poſtquam eorum irruptionem in urbem Regiam, quæ circa annum 860. contigerat, narraſſet, ſubjunxiſſe, eos *non multo poſt*, *Legatis in urbem miſſis*, *divinum efflagitantes baptiſmum*, *etiam impetraſſe*. Indefinitum tempus, quod hic a Porphyrogenito Anonymi Chronicon edente iis verbis, *non mnlto poſt*, notatur, idem Porphyrogenitus ad ætatem Avi ſui Baſilii Macedonis refert, quum ait, eo imperante Ruſſos ad Chriſti fidem converſos, Archiepiſcopum a S. Ignatio Patriarcha accepiſſe: neque enim multum temporis effluxit ab anno 860: quo Ruſſis in urbem Regiam invaſerant, ad annum 867. qno ſolus Baſilius, Michaële interfecto, Imperium obtinuit, & Photio ejecto Sanctus Ignatius in ſuam Sedem eſt reſtitutus. Ad Epiſtolam vero Photii quod ſpectat, primo quidem ſuſpecta eſt ejus auctoritas, quum nullus alius hiſtoricus Ruſſos dicat expreſſe ſub Michaële Imperatore ad fidem converſos; ſed vel iis verbis, *non multo poſt*, utantur, vel diſerte narrent id factum ſub Baſilio Imperatore & Patriarcha Ignatio contigiſſe. Deinde Baronius ipſe, qui eam Photii epiſtolam ad annum 863. recitat, ſubjungit de eadem num.44. *Verum quæ occaſione calumniarum Occidentalium Schiſmaticorum in Nicolaum Papam ad Photium miſſarum hic recitata eſt, non hoc anno ad Patriarchas, ſed poſt triennium eſſe data cognoſcitur, nempe ut ex ea apparet, poſt irrogatum ſacrilege in eum ab eodem Photio anathema*. Putat enim Baronius, eam Photii epiſtolam anno 866. ſcriptam. At vero quum in eadem epiſtola neque annus, neque menſis, aut Indictio ſignetur, merito ſuſpicari quis poſſit, eamdem a Photio ex occupata Sede ejecto circa finem ann.867. aut initium ann.868. exaratam. Quidquid tamen ſit, ex eadem epiſtola non recte colligit Pagius anno 861. Ruſſos ſacra Chriſtiana amplexos, quum id æque fieri potuerit, ab anno 862. ad 865. Poſtremo, etiamſi Photio fidem adhibentes, Ruſſos dicamus cum Pagio anno 861. aut Baronio anno 863. ad fidem Chriſti converſos; alios tamen iſtos fuiſse opor-

Digitized by Google

oportet ab iis, qui ſub Baſilio Imperatore & Ignatio Patriarcha poſt annum 867. Chriſtanam Religionem amplexi ſunt. Ruſſi enim & Slavi non una gens erant, neque ſub uno Principe. Conſtat autem per ea tempora, ideſt, ſub Michaële & Baſilio Imperatoribus, a Sanctis Methodio & Cyrillo ad fidem Chriſti adductos Chazaros, Bulgaros, Moravos. Quid igitur ſi Photius de Chazaris aut Moravis loquatur, quos ipſe Ruthenos vocarit? nam Ruſſorum æque ac Slavorum nomen, ampliſſimum eſt.

Sed ad Porphyrogenitum regredior. Is de Ruſſis multa tradit, τοὺς Ῥῶς eos appellans, regionem vero, τὴν Ῥωσίαν: & primo quidem in lib. de Adminiſtrando Imperio Par. 2. cap. 9. Ruſſos deſcribit e Ruſſia Conſtantinopolim in lintribus venientes: cujus verba ſupra ſunt recitata, ubi de Sclavis. Deinde cap. 2. & ſeqq. de Ruſſis proprie dictis agit, deque Patzinacitis, Chazaris, Uzis, Cherſonitis, aliiſque Slavici generis populis. *Ruſſi*, inquit, *contermini ſunt Patzinacitis & Turcis. Patzinacitarum gens parti Cherſonis finitima eſt*, & niſi amice cum Romanis ſentiat, in Cherſonem impreſſionem & excurſionem facere valet, ipſamque Cherſonem, ejuſque regiones infeſtare ac depopulari: Patzinacitarum gens altera Cherſonis parti contermina eſt, quæ etiam cum Cherſonitis negotiationem exercet, & tam ipſis, quam Imperatori miniſterium præbent in Ruſſia, Chazaria, Zichia, atque in omnibus iſtic poſitis regionibus, pactam videlicet mercedem a Cherſonitis accipientes. *Ruſſis Patzinacitæ* vicini ſunt & contermini: quare niſi pacem invicem colant, Ruſſiam ſæpe deprædantur, ingentique damno afficiunt. Ideo Ruſſi operam dant, ut pacem cum Patzinacitis habeant. Ab ipſis enim boves, equos & oves comparant: nullum quippe horum animalium in Ruſſia naſcitur. Sed neque ad bella, quæ extra fines geruntur, ire omnino Ruſſi poſſunt, niſi cum Patzinacitis pacem ſervent: quoniam dum illi extra fines abſcedunt, ipſi irrumpentes poſſunt terram peſſundare & vaſtare. Neque poſſunt item Ruſſi Imperatricem Romanorum Urbem, ſive belli, ſive commercii cauſa petere, niſi pacem cum Patzinacitis colant: nam ubi cum navibus Ruſſi ad loca fluminis prærupta devenerint, quum non ultra procedere queant, niſi naviculas ſuas flumine eductas, humeris impoſitas tranferant, tunc temporis illos Patzinacitæ invadunt, & facile, quia duplici labori ferendo pares non ſunt, in fugam vertunt & interficiunt. *Patzinacitæ Bulgaris* etiam finitimi ſunt: & arbitratu ſuo, ſive proprii

quæ-

quæſtus cauſa, ſive ad ineundam cum Romano Imperatore gratiam, Bulgariam nullo negotio invadere poſſunt, ac multitudine, roboreque ſuo ipſos devincere & profligare. Quapropter Bulgari magnam pacis ac concordiæ cum Patzinacitis ſervandæ curam ſollicitudinemque gerunt. Bulgariam verſus in partibus Danapri & Danaſtri (*Boryſthenis*, *ac Tyræ*) reliquorumque illic fluviorum, Patzinacitæ quoque ſedes habent: ac Cæſarianus huc cum Chelandiis miſſus, non neceſſe habet Cherſonem adire, ſed poteſt illic nullo negotio celeriterque Patzinacitas invenire: quos conveniens Cæſarianus, dum ipſe in Chelandiis manet, ſervans & cuſtodiens res Imperatoris, ipſis per famulum adventum renunciat. Tum illi ipſum adeunt, qui advenientibus obſides e ſuis offert, ab iiſque viciſſim accipit, quos in chelandiis retinet, atque inde cum iis paciſcitur. Quum autem Patzinacitæ Cæſariano pro lege & conſuetudine ipſorum ſeſe juramento obſtrinxerint, tum ille ipſis Imperatoria munera elargitur, & amicos ex illis quotquot voluerit accipit, atque ita revertitur. Sic vero cum illis ineunda foedera, ut ex pacto teneantur operam præbere, ubicumque uſus poſtulaverit, ſive adverſus Ruſſos, ſive contra Bulgaros, vel Turcas. *Patzinacitæ* a principio ad (*a*) Atel, & Geech (*b*), flumina habitarunt, iiſque contermini fuerunt populi illi, qui *Chazari* (*c*), atque *Uzi* cognominantur. Ante annos vero quinquaginta ii qui Uzi nuncupantur, cum Chazaris coſpirantes, & conjunctis armis, Patzinacitas aggreſſi, ſuperiores facti, ſedibus eos ſuis expulerant, illaſque tenuere in hodiernum uſque diem Uzi. At Patzinacitæ qui fuga evaſerant, circumeuntes quærebant, ubinam ſedes ſuas collocarent: venienteſque in terram, quam nunc incolunt (ſupra Mæotidem inter Danaprim & Danaſtrim) inventis illic Turcis incolis, debellatos ejecerunt, (ultra Danaſtrim ad Danubium) ſedeſque ipſi ſuas ibi poſuerunt, tenentque jam hodie annum quinquageſimum quintum, uti dictum eſt. Et Patzinacia quidem univerſa in Themata octo dividitur, quæ magnos quoque principes totidem habet: quorum quatuor Themata ultra Danaprim flumen ſita ſunt, Orientem Septentrionemque ſpectantes, verſus Uziam, Chazariam, Ala-

a *Etel*, ſive *Atel*. Græcis *Rha*. Ruſſis, & indigenis, *Wolga*. Herbelot. Bibl. Orient. pag. 372.

b *Geech* Antiquis Geographis *Oxus*. Arabibus & Perſis, *Gihon*. Herbelot. Bibl. Orient. pag. 401.

c *Chazari*. Apud Porphyrogenitum, *Mazari*, per errorem.

Digitized by Google

Alaniam, Cherſonem & cæteras regiones: ob nobilitatem autem *Cancar* appellantur: reliqua quatuor Themata poſita ſunt cis Danaprim, ad partes Occidentis Septentrioniſque, quorum unum Bulgariæ finitimum eſt, alterum Turciæ, tertium Ruſſiæ, quartum conterminum eſt tributariis pagis Ruſſiæ regionis, puta *Ultinis*, *Derbleninis*, *Lenzeninis*, reliquiſuue *Sclavis*. Diſtat autem Patzinacia ab Uzia & Chazaria itinere dierum quinque: ab Alania dierum ſex; a Mordia, dierum decem; a Ruſſia, unius diei; a Durcia, dierum quatuor; a Bulgaria, dimidii unius diei: propinqua eſt Cherſoni, ſed magis etiam Boſporo. Hactenus ex Porphyrogenito.

XIX. Patzinacitæ qui & Ulachi.

Baudrandus V. *Patzinacæ, Patzinacia, Patzinaticæ* quum Porphyrogeniti verba recitaſset, *Erat*, inquit, *hæc regio, ubi poſtea Valachia late ſumpta, & Ruſsia minor, inter Boryſthenem & Iſtrum fluvios*. Anſelmus Bandurius in Animadverſionibus ad Porphyrogeniti librum de Adminiſtran. Imperio, primum quidem deſcribit hæc ejuſdem Porphyrogeniti de Patzinacitis verba: *οἱ Πατζινακίται τὸ ἀπ ἀρχῆς εἰς τὸν ποταμὸν Α᾽τὴλ*; mox de iiſdem hæc ſubjungit: *Patzinacitæ, qui & Patzinacæ, a principio incoluerunt antiquam magnamque Bulgariam circa flumen* Atel *dictum, quod Theophani* Atalis *dicitur, &* Edel *Tartaricè; a Ruthenis vero* Volga *ſeu* Vvolga, *appellatur, olim* Rha *Ptolomæo: poſtmodum vero iidem Patzinacitæ trans Iſtrum planicies incoluerunt, a Boryſtene fluvio ad Pannoniam uſque porrectas. De hujus autem regionis incolis Patzinacitis, & gentibus ipſis conterminis, pluribus agit ſcriptor noſter* (Porphyrogenitus) *in principio hujus operis, & infra cap. 42. ubi terminos illarum gentium aſſignat. Patzinacitæ vero quamplurima bella varia fortuna geſſerunt, tam cum Romanis, quam cum aliis nationibus; tandem devicti fuere a Joanne Commeno, qui in hujus victoriæ memoriam diem feſtum inſtituit: quem quidem* ἣν τῶν Πατζινακων τελετὴν *nuncupavit, ut ſcribit Choniates in ejus vita*: Τοιαύτην νίκην περιφανῆ κατὰ Σκυθῶν ὁ Ἰωάννης ἀράμενος καὶ μέγιστον στήσας τρόπαιον, τὰς δ᾽ εὐχὰς τῷ Θεῷ ἀποδίδωσι. τὴν τῶν Πατζινάκων λεγομένην ἐς ἡμᾶς τελετὴν εἰς ἀναμνηστήρια προσάξας τῶν πεπραγμένων καὶ χαριστήρια. Hac de Scytis parta victoria, & illuſtri edito facinore, Joannes vota Deo perſolvit: quod feſtum Patzinacarum noſtro tempore dicitur, in rei geſtæ monimentum, & grati animi teſtimonium. *Patzinacarum autem nomen, ex Ruſsico vel Polonico*

nico Pyeczinigorum *deſumptum ſcribit Allatius*, *& ex eo Lucius de Regno Dalmatiæ & Croatiæ lib. 6. cap. 5. ubi ait Patzinacas ſeu Patzinacitas*, *poſtmodum Ulahos appellatos fuiſſe*. Nimirum *Valachos*. Valachia autem, quam hodie Valachi incolunt, Turcis *Iſlachia*, ibi eſt, ubi olim pars Daciæ: diſtinguitur autem, Baudrando teſte, in duas provincias, nempe in Valachiam propriam, & Moldaviam, ſive Valachiam inferiorem: ex quibus prima, quæ Valachia propria & Occidentalis & minor, a Græcis, Slavis & Turcis, οὐγγροβλαχία *Ungrovlachia* dicta quod Hungaricam Valachiam ſignificat, a Latinis *Tranſalpina* & *Superior*, ab ipſis autem Valachis *Muntena*, ideſt Montana, dicitur: terminatur a Septentrione Poloniæ regno, & Ruſſia Rubra; ab ortu Beſſarabia; a meridie partim Bulgaria, & partim etiam Moldavia, a qua terminatur adhuc ad occaſum; Principem nunc habens proprium, Vayvoda dictum, ſub clientela Turcarum: ejus urbes præcipuæ *Jaſsium*, & *Soczova*. Valachia autem inferior, ſive Orientalis & major, nunc *Moldavia* dicta, & olim Μαυροβλαχία, *Maurovlachia*, ideſt nigra Ulachia a Græcis, hodie quoque a Turcis *Carabogdania*, ideſt, *Nigra*, *Bogdani Regio*, a Bogdano Principe dicitur, & hanc Slavi *Moldovlachiam*, a flumine Molda dicunt. Sed hæc obiter de Patzinacis ſeu Valachis. ad Ruſsos redeo.

Baronius ad annum 959. ex Reginone *Ruſſos* cum *Rugis* confundit. Helenam enim Ruſſorum Reginam, Rugorum vocat; & Adalbertum Rugorum Epiſcopum, Ruſſorum, *inquiens*: XX. Rugi a Ruſſis diverſi.
„ Anno Redemptoris 959. Indict. 2. Legati Helenæ Reginæ Rugorum, quæ ſub Romano Imperatore Conſtantinopolitano Conſtantinopoli eſt baptizata, ficte, ut poſt claruit, ad Regem Otthonem venientes, Epiſcopum & Presbyterum eidem genti petebant. Hæc apud Reginonem hoc anno; ſequenti vero, ait, Libutium ex cœnobitis S. Albani ab Adaldago Hamburgenſi Epiſcopo, Rugorum Epiſcopum ordinatum; eum vero anno ſequenti diem obiiſſe, in locumque ejus ſubrogatum fuiſſe Adalbertum Monachum ex cœnobitis S. Maximini in Rugorum ſive Ruſſorum Epiſcopum, qui anno ſequenti a ſua ordinatione, male a populis illis acceptus, vix fuga lapſus evaſit, occiſis nonnullis e ſuis; ipſe vero benigne ab Ottone ſuſceptus, apud Vvilielmum Moguntinum Epiſcopum honorifice detinetur, donec defuncto Vvirtzburgenſi Abbate, ab eodem Ottone eidem monaſterio præficitur Abbas „. Hæc omnia apud Regino-

ginonem: qui Rugos quidem nominat, non autem Ruſſos: tam enim Helenam *Rugorum* Reginam vocat, quam Adalbertum *Rugorum* Epiſcopum, perindè ac ſi iidem ſint *Rugi*, ac *Ruſſi*, quemadmodum & Mabillonius autumat Secul. v. pag. 576. ubi *Rugiam* interpretatur de *Ruſſia*, nunc *Moſcovia* appellata. Ita & Pagius ad ann. 959. a num. 2. Adalbertum ad *Rugos* miſſum Epiſcopum, contendit ad *Ruſſos* perrexiſſe, & ab iis expulſum fuiſſe. Verum alii ſunt *Rugi*, & alii *Ruſſi*. Rugi iidem ſunt ac *Rugiani*, quos Helmoldus in Chron. Slavorum lib. 1. cap. 2. *Ranos* etiam vocat, inſulæ cognominis incolas, quæ contra Vvilzos poſita eſt, gentem fortiſſimam, Slavorum, ut ibidem Helmoldus narrat: qui ſoli habebant Regem, extra quorum ſententiam nihil agi de publicis rebus fas erat: adeo metuebantur propter familiaritatem Deorum, vel potius Dæmonum, quos majori præ cæteris cultura venerabantur: & cap. 37. de iiſdem: ſunt autem Rani, qui ab aliis *Rimi* (lege, *Runi* vel Rugiani) appellantur, populi crudeles, habitantes in corde maris, idolatriæ ſupra modum dediti, primatum præferentes in omni Slavorum (*Henetorum ſeu Venedorum*) natione, habentes Regem & fanum celeberrimum. Unde etiam propter ſpecialem fani illius cultum, primum venerationis locum obtinent; & quum multis jugum imponant, ipſi nullius jugum patiuntur, eo quod inacceſſibiles ſint propter difficultatem locorum. Gentes, quas armis ſubegerint, fano ſuo cenſuales faciunt. Major Flaminis, quam Regis veneratio apud ipſos eſt: qua ſors oſtendit, exercitum dirigunt. Victores aurum & argentum in ærarium Dei ſui conferunt; cætera inter ſe patiuntur. Idem lib. cit. cap. 6. de prima eorumdem ad Chriſti fidem converſione, deque ſubſequente apoſtaſia: *Non caret admiratione, quod digniſſimi Præſules* Hammenburgenſes, *& Evangelici prædicatores, Anſcarius, Reimbertus, & ſextus in ordine Unni, quorum in converſione gentium ingens claruit ſtudium, Slavorum curam tantopere diſſimulaverint, ut nec per ſe, nec per miniſtros, aliquem in eis fructum feciſſe leguntur. Efficit hoc, ut æſtimo, populi hujus incredibilis duritia, non autem prædicatorum torpor, quibus animus circa vocationem gentium adeo fuit affectus, ut nec opibus, nec vitæ pepercerit. Tradit enim veterum antiqua relatio, quod temporibus Ludovici Secundi* (filii Ludovici Pii) *egreſſi fuerint de Corveja* (Corbeja) *Monachi ſanctitate inſignes, qui Slavorum ſalutem ſitientes, impenderunt ſeipſos ad ſubeunda periculum*

ricula & mortes pro legatione verbi Dei. Peragratiſque multis Slavorum provinciis, pervenerunt ad eos, qui dicuntur Rani, ſive Rugiani, & habitant in corde maris. Ibi fomes eſt errorum, & ſedes idololatriæ. Prædicantes itaque verbum Dei cum omni fiducia, omnem illam inſulam lucrati ſunt, ubi etiam Oratorium fundaverunt in honorem Domini ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, & in commemorationem Sancti Viti, qui eſt patronus Corviæ. Nam Sanctum Vitum, quem nos Martyrem ac ſervum Chriſti confitemur, ipſi pro Deo venerantur, creaturam anteponentes Creatori, nec eſt aliqua barbaries ſub cœlo, quæ Chriſticolas ac Sacerdotes magis exhorreat; ſolo nomine Sancti Viti gloriantur, cui etiam templum, ac ſimulacrum ampliſsimo cultu dedicaverunt, illi primatum Deitatis ſpecialiter attribuentes. De omnibus quoque provinciis Slavorum illic reſponſa petuntur, & Sacrificiorum exhibentur annuæ ſolutiones. Sed nec mercatoribus, qui forte ad illas ſedes appulerint, patet ulla facultas vendendi, niſi prius de mercibus ſuis Deo ipſorum pretioſa quæque libaverint, & tunc demum mercimonia foro publicantur. Flaminem ſuum non minus, quam Regem venerantur. Ab eo ergo tempore, quo primo fidei renunciaverunt, hæc ſuperſtitio apud Ranos perſeverat uſque in hodiernum diem. Nimirum uſque ad annum Chriſti 1168. nam eo anno a Vvaldemaro Danorum Rege victi ſunt Rugiani, & ad fidem Chriſti amplectendam compulſi, uti idem Helmoldus narrat lib.2. cap.12. his verbis. *In tempore illo congregavit Vvaldemarus Rex Danorum, exercitum grandem & naves multas, ut iret in terram Rugianorum, ad ſubjugandum eam ſibi. Et adjuverunt eum Kazemarus & Buggeslavus Principes Pomeranorum, & Pribislavus Princeps Obotritorum, eo quod mandaſſet Dux* (Saxoniæ) *Slavis, ferre auxilium Regi Danorum, ubicumque forte manum admoviſſet ſubjugandis exteris nationibus. Proſperatum eſt ergo opus in manibus Regis Danorum, & obtinuit terram Rugianorum in manu potenti, & dederunt ei pro ſua redemptione quidquid Rex impoſuiſſet, & fecit produci Simulacrum illud antiquiſsimum Zwantevitch, quod celebratur ab omni natione Slavorum, & juſsit mitti funem in collum ejus, & trahi per medium exercitum in oculis Slavorum, & fruſtatim conciſum in ignem mitti. Et deſtruxit fanum cum omni religione ſua, & ærarium locuples diripuit: & præcepit, ut decederent ab erroribus ſuis, in quibus nati fuerant, & aſſumerent cultum veri Dei: & dedit ſumptus in ædificia Ecle-*

cleſiarum, & erectæ ſunt duodecim Eccleſiæ in terra Rugianorum, & conſtituti ſunt Sacerdotes, qui gererent populi curam in his quæ Dei ſunt: & affuerunt illic Pontifices, Abſolon de Roſchilde, & Berno de Magnopoli. Hi adjuverunt manus Regis cum omni diligentia, ut fundaretur cultus domus Dei noſtri in natione prava atque perverſa. Erat autem tunc temporis Princeps Rugianorum vir nobilis Jaremarus, qui audita vera Dei cultura & fide Catholica, alacriter ad baptiſma convolavit, præcipiens etiam omnibus ſuis, ſecum ſacro baptiſmate renovari. Et mox repetit quod ſupra dixerat de Chriſtiana fide per Monachos Corbejenſes ſub Ludovico Karoli magni filio ibi propagata, deque S. Viti cultu in idololatriam commutato, *ita ut ex S. Vito factum ſit idolum* Svantevith *ſeu* Santevith. Demum cap. 13. epocham converſionis Rugianorum prodit, inquiens: *Anno ergo incarnati Verbi* 1168. *fundatum eſt opus novæ plantationis in terra Rugiinorum, & ædificatæ ſunt Eccleſiæ, & præſentia Sacerdotum illuſtratæ: ſervieruntque Regi Danorum ſub tributo.*

XXI. Rugi ex Tacito, Procopio, Jornande, & Paulo Varnefridi Diacono.

Tacitus cap. 43. inter Viadrum & Viſtulam ſub mari Svevico *Rugios* & *Lemovios* ponit, inquiens: *Protinus deinde ab Oceano Rugii & Lemovii*: quos ſic ulteriorem Pomeraniam, præſertim maritimam, cum Caſſubiorum terra tenuiſſe neceſſe eſt. *Rugii* (inquit Cellarius tom. 1. Geogr. Ant. lib. 2. cap. 5.) *citeriores, & prius a Tacito nominati, quorum oppidum* Rugium *intus poſuit Ptolemæus: & prope Viperæ oſtium ſupereſt aliud* Rugenwald, *quod veterem nomenclaturam regionis confirmat. Limitem ergo his ab Odera ſeu Viadro Cluverius conſtituit Viperam, ſive* Vvipper *amnem; Ulteriores Lemovii, ac Vipera ad Viſtulam ſunt. Hos poſteriori ævo* Herulos *nominatos fuiſſe, exinde Cluverius conjecit, quia medii ævi ſcriptores, obliti Lemoviorum, plerumque cum Rugiis conjungant Herulos in regionibus, in quas una egreſſi fuerant.* Quid? ſi Rugii ex continente in Inſulam tranſierint: aut ex inſula in continentem oppoſitam migrarint? nam Inſulam *Rugiam*, citeriori Pomeraniæ objectam, notavit fortaſſe Tacitus, ſed ſine nomine, lib. de Germ. cap. 40. ubi quum citeriores Pomeraniæ maritimas gentes recenſuiſſet, Varinos, Suadones, Eudoſes, & cæteros, hos dicit *in commune Herthum, ideſt, Terram matrem colere: eſſe in inſula Oceani ſacrum nemus, dicatumque in ea vehiculum veſte contectum.* At his populis (notante Cellario loc. cit.) nulla notabilior inſula, quam *Rugia*, eſt oppo-

ſita...

ſita . . . *Rugia autem a Rugis*; *Tranſodorano populo*, *qui forſan*
aliquando occupavit, *videtur nomen accepiſſe*. Ita hæſitanter Cel-
larius. Verum, ex Helmoldo res eſt certiſſima, Rugiam a Rugis
dictam. *Rugos* autem, Herulis conjunctos populos, memorat &
Procopius lib. 2. de Bello Gothico cap. 14. ubi poſtquam relatam
a Longobardis de Herulorum Rege Rodulpho victoriam retuliſ-
ſet, ſubjungit de iiſdem Herulis. *Quo factum*, *ut in patria*
amplius manere nequiverint: *ſed illa quamprimum egreſſi*, *iter*
porro continuarint, *cum liberis & uxoribus peragrando oras*
omnes, *Iſtro fluvio ulteriores*. *Regionem ingreſſi*, *habitatam*
olim a Rugis, ἣν δὴ Ῥογοὶ τὸ παλαιὸν ᾤκηντο, *qui in Italiam*
cum Gothorum exercitu conceſſerant, *ibi conſtitere*. & lib. 3. cap. 2.
antiquam eorum in Germania ſedem deſcribit. „ Quidam erat
„ in Gothorum exercitu Eraricus. Ῥογὸς μὲν γένος, natione
„ Rugus, inter hos barbaros præpotens: οἱ δὲ Ῥογοὶ, Rugi
„ autem, gens Gothica, ſuis olim vivebant legibus. Aggregati
„ vero cum nonnullis aliis populis ad Theodericum ipſius regni
„ primordio, in unum corpus coaluerunt, atque ex eo rem bel-
„ licam in commune ſemper tractarunt. Vitatis tamen mulie-
„ rum alienarum connubiis, nationiſque nomen pura ſobolis ſuc-
„ ceſſione apud ſe conſervarunt. Ildibadi nece turbatis rebus,
„ Eraricum hunc Rugi declararunt ſubito Regem. Quod adeo
„ non Gothis placuit, ut pleroſque conjecerit in mœrorem gra-
„ viſſimum; quaſi jam nihil reſtaret ſpei, oblatæ antea ab Ildi-
„ bado, qui Gothos in dominatum regnumque Italiæ reſtituere
„ poterat „. Jornandes de rebus Geticis cap. 22. quum a Ge-
bericho Gothorum Rege bellum Viſumaro Vandalorum regi illa-
tum, reportatamque de eo victoriam narraſſet, ſubjungit; „ tunc
„ perpauci Vandali, qui evaſiſſent, collecta imbellium ſuorum
„ manu, infortunatam patriam relinquentes, Pannoniam ſibi a
„ Conſtantino Principe petiere, ibique per 40. annos plus mi-
„ nus ſedibus locatis, Imperatorum decretis incolæ ſervierunt;
„ unde etiam poſt longum a Stilicone Magiſtro militum & ex-
„ conſule ac Patricio invitati, Gallias occupavere „. Mox de
Geberichi ſucceſſore Ermanarico, cap. 23. hæc ſcribit: „ Go-
„ thorum rege Geberich rebus excedente humanis, poſt tempo-
„ ris aliquod Ermanaricus nobiliſſimus Amalorum in regno ſuc-
„ ceſſit. *Et poſt pauca*. Habebat ſiquidem quos domuerat, Go-
„ thos, Scythas, & inter alios, Rocas, *ideſt Rugos*. *Et mox*.

 „ Et

Digitized by Google

„ Et quum tantorum ſervitio clarus haberetur, non păſſus eſt, „ niſi & gentem Erulorum, quibus præerat Alaricus, magna ex „ parte trucidatam, reliquam ſuæ ſubigeret ditioni. Nam præ- „ dicta gens, Ablavio hiſtorico referente, juxta Mæotidas palu- „ des habitans in locis ſtagnantibus, quas Græci Ele vocant, „ Eruli (al. *Eluri*) nominati ſunt „. Hos ibidem ſcribit a Gothorum rege fuiſſe devictos: & addit: „ Poſt Erulorum cædem „ idem Ermanaricus in Venetos arma commovit... qui ab una „ ſtirpe exorti, tria nunc nomina reddidere, ideſt, Veneti, An- „ tes, Sclavi, qui quamvis nunc, ita facientibus peccatis noſtris, „ ubique deſæviunt, tamen tunc omnes Ermanarici imperii ſer- „ viebant „. Hic Herulos Jornandes in Mæotide habitaſſe dicit: at ſupra cap. 3. primam eorum ſedem in Scanzia, ſeu Scandinavia extitiſſe perhibet, unde ejecti a Danis, illuc migraverint: „ Cogeni, *inquit*, in hac gente (*Scanziæ incolæ*) reliquis „ corpore eminentiores, quamvis & Dani ex ipſorum ſtirpe „ progreſſi, Erulos propriis ſedibus expulerunt: qui inter omnes „ Scanziæ nationes nomen ſibi ob nimiam proceritatem affe- „ ctant præcipuum „. Rugi itaque, Herulis vicini, primum quidem juxta mare Svevicum conſidebant; deinde unacum Go- „ this pars eorum ultra Iſtrum aliquandiu habitavit, demum in Italiam cum Theodorico conceſſit. Nugatur vero Jornandes, dum *Herulos* a locis ſtagnantibus apud Mæotidem, quas *Eli* Græci vocant, *Eluros* primum, tum *Erulos* dictos ſcribit: nam Heruli dicebantur, antequam ex Scandinavia prodirent. Reinerus Reineccius de Gentium Germanicarum & Henetarum appellationibus, exponens Helmoldi Chronicon lib. 1. cap. 2. ubi de Henetis in Orientali Slavia, ſeu intra Albim & Viadrum habitantibus, hoc eſt, in Marchia Brandeburgenſi, aliam hujus nominis etymologiam affert: nam primum quidem earum nomina recitat, ſic: *Heruli*, ſeu *Heveldi*: *Leubuſii*: *Wilini*; *Stoderani*: *Brizani*, cum multis aliis: deinde hæc notat: „ Herulorum ſeu „ Helveldorum ſedes fuit ad fluvium Havelum. Atque haud „ ſcio, an non inde Heveldorum nomen manavit. Herulos de „ Herulis Germanis appellatos crediderim, forte quod in ſedes „ horum ſucceſſerint. Inhæſitque nomen ipſorum oppido Wer- „ lo in Obotritorum finibus. Significant autem Heruli vaga- „ bundos ſeu peregrinantes, ſicuti de eadem origine Saxones „ mundum vocant die Werlt „. Cellarius lib. 2. cap. 5. de Rugis

Digitized by Google

giſ loquens; „ Jornandes, *inquit*, Odoacrum genere Rugum „ dixit, at *Herulorum* ſimul Regem, ſaltem auxilio illorum mu„ nitum, de Regnorum ſucceſſione cap. 103. licet de rebus Ge„ ticis cap. 23. cum Ablabio hiſtorico a Mæotide palude velit „ arceſſere „. Allucinatur Vir eximius; Jornandes enim cap. 23. de Reb. Get. non Rugos memorat, ſed Herulos, uti ſupra diximus. Paulus Vvarnefridi Diaconus Rugos eſſe Germanos diſerte ſcribit lib. 1. de Geſtis Longobardorum cap. 1. *Gothi ſiquidem, Vvandalique, Rugi, Heruli, atque Turcilingi, nec non etiam aliæ feroces & barbaræ nationes, e Germania prodierunt*. Eodem lib. cap. 19. *Feletheum* memorat *Rugorum Regem*, aliis dictum *Flebam, Phoebam, Febanum, Fabam, Faviam, Favianum, Feubam, Fethiam, Feleсtеum, Filetum, Feletrum, Sevam, & Seletrum*, ut notarunt Bollandiani ſocii ad Acta Sancti Severini Noricorum Apoſtoli. Rugos autem teſtatur Paulus circa annum Chriſti 487. juxta Danubium ſedes habuiſſe, nimirum e primis ſuis ſedibus profectos. Verba ejus recito, ut inde pateat, Rugos jam olim ex inſula Rugiana, aut ex continente illi objecta, migraſſe. *His temporibus inter Odoachar, qui in Italia per aliquot annos jam regnabat, & Feletheum, qui & Feva dictus eſt, Rugorum Regem, magnarum inimicitiarum fomes evaſit. Qui Feletheus illis diebus ulteriorem Danubii ripam incolebat, quam a Norici finibus idem Danubius ſeparat*. Et mox. *Adunatis ergo Odoachar gentibus, quæ ejus ditioni parebant, ideſt, Turcilingis, & Herulis, Rugorumque parte, quos jamdudum poſſederat, necnon etiam Italiæ populis, venit in Rugiland, pugnavitque cum Rugis, ultimaque eos clade conficiens, Feletheum inſuper eorum Regem extinxit: vaſtataque omni provincia, Italiam repetens, copioſam ſecum captivorum multitudinem abduxit. Tunc Langobardi de ſuis regionibus egreſſi, venerunt in Rugiland, quæ Latino eloqui Rugorum patria dicitur, atque in ea, quia erat ſolo fertilis, aliquantis commorati ſunt annis*. Et poſt pauca. *Egreſſi quoque Langobardi de Rugiland, habitaverunt in campis patentibus, qui ſermone barbarico Feld appellantur*: hoc eſt, & Vvolfangus Lazius lib. 12. de migrationibus gentium interpretatur, ubi de ſeptima Langobardorum habitatione verba facit: *Mediterranea petentes Iſtrum verſus, campeſtria ſub Herulorum Regis tributo ea acceperunt, quæ in Moravia hodie extenta late cernuntur*. Caſſiodorus in Chronico de commiſſo Odoacrem inter & Feletheum Rugorum Regem bel-

bello: *Boethius V. C. Coſ. Hoc Coſ. Odoacer Phœba Rege Rugorum victo, captoque potitus eſt*. Anonymus vero Cuſpinianus a Pagio relatus hæc addidit. *Sub Conſulatu ejuſdem* (nempe Boëthii)*pugna facta eſt inter Odoacrem Regem, & Febanum Regem RUGORUM, & vicit Odoacer, & adduxit captivum Febanum Regem ſub* XVII. *Kalend. Decembris*. Conſulatus Boëtii incidit in annum Chr. 487. & XII. regni Odoacris in Italia. Jornandes, ut ſupra dixi, de Regnorum ſucceſſione cap. 103. *ipſum Odoacrem genere Rugum* vocat: Paulus vero Diaconus in hiſt. Miſcella lib. XV. cap. 7. Regem eum appellat *Turcilingorum & Rugorum*. Eugippius autem in vita B. Severini Noricorum Apoſtoli cap. 12. cauſam ejus belli inter Odoacrem & Feletheum commiſſi exponit: *Fridericus* (inquiens: erat autem is Felethei frater.) *B. Severini morte comperta, pauper & impius, barbara cupiditate ſemper immanior, veſtes pauperibus deputatas, & alia nonnulla credidit auferenda. Cui ſceleri ſacrilegium copulans, calicem argenteum, cæteraque altaris miniſteria præcipit auferenda &c. Abraſis omnibus Monaſterii rebus, parietes tantum, quos Danubio non potuit transferre, dimiſit; ſed mox in eum ultio denunciata pervenit: nam intra menſis ſpatium a Friderico fratris filio interfectus, prædam pariter amiſit & vitam. Quapropter Rex Othacar Rugis intulit bellum, quibus etiam devictis, & Friderico fugato, patre quoque Fava* (ſic enim Feletheus dicitur) *capto, eum in Italiam cum noxia conjuge ſupra memorata, videlicet Giſa, tranſmigravit*. Igitur præter Rugos populos in Rugiana inſula Baltici maris habitantes, quorum Helmoldus meminit, Rugi etiam populi (ex eadem fortaſſe inſula egreſſi) juxta Danubium habitabant. Ad hos Rugos miſſus fuit Adalbertus, ſive ut Cromerus lib. 3. de Rebus Polonorum pag. 46. opinatur, in Hungariam & Poloniam profectus eſt; non in *Ruſſiam* ſeu *Tauro-Scythiam*,, vel ut nunc loquimur, in *Moſcoviam*, quemadmodum Pagius ad annum 959. num. 2. contendit. Helena vero non Rugorum iſtorum aut inſulanorum fuit Regina, ſed *Ruſſorum* inter Tanaim & Boryſthenem degentium: qui proinde a Rugis valde differunt, ſicuti ex ipſo Helmoldo conſtat, qui *Ruſſos*, & *Ruſſiam* ad litus auſtrale Baltici maris veſus Orientem collocat; Rugos vero ſive Rugianos (utique inſulanos) unacum Danis, Sveonibus, & Vvinulis ſeu Venedis, quos omnes Nortmannos appellat, ad ſeptentrionale latus: conſtat etiam ex narratis de Rugorum Rege Feletheo, qui ultra Da-

Digitized by Google

Danubium habitabant. Denique Rugis hujuſmodi, ſive inſulanis, ſive Noricum incolentibus, Latini Epiſcopi Libutius, & Adalbertus ab Adaldago item Latino Hammenburgenſi Antiſtite ſunt dati: at vero Helena Ruſſorum Regina, Conſtantinopoli baptizata, Græcum ritum amplexa eſt: quod & Volodimirus ipſius ex filio nepos præſtitit, ut mox dicam. Itaque, quidquid ſit de Legatis ab Helena ad Ottonem miſſis qui fortaſſe de pace ac fœdere cum Germanis ineundo agebant, ii certe Epiſcopum Latinum non petiiſſent; adeoque corruptus videtur Reginonis locus, ſicque reſtituendus: „ Anno Dom. Incarn. 959. Legati Helenæ Reginæ Ruſ„ ſorum, quæ ſub Romano Imperat. Conſtantinopolitano Con„ ſtantinopoli baptizata eſt, nec non Legati Rugorum, ficte (ut „ poſt claruit) ad Regem Ottonem venientes, Epiſcopum & Pre„ ſbyteros eidem genti petebant „. Rugi enim, non Ruſſi, petierunt ab Ottone Epiſcopum, ut poſt claruit.

XXII. Rugi, ſive Ruſci, Adelbertum Epiſcopum ejiciunt: non Ruſſi.

Qui a Reginone Chronicorum lib. 2. ad ann. 959. 960. 961. & 962. *Rugi* vocantur; eos Lambertus Schafnaburgenſis *de rebus geſtis Germanorum* ad ann. 960. 973. & 1043. *Ruſcos* appellat, eorumque regionem *Ruſciam*. Sic enim ſcribit ad ann. 960. „ Ve„ nerunt Legati Ruſciæ gentis ad Regem Ottonem deprecantes, „ ut aliquem ſuorum Epiſcoporum tranſmitteret, qui oſtenderet „ eis viam veritatis. Qui conſenſit deprecationi eorum, mittens „ Adelbertum Epiſcopum fide Catholicum, qui etiam vix evaſit „ manus eorum „. Eadem verbatim in Chronico Hildenſheimenſi ad eundem Chriſti annum 960. leguntur: „ Venerunt Le„ gati Ruſciæ gentis ad Regem Ottonem, & deprecati ſunt eum, „ ut aliquem ſuorum Epiſcoporum tranſmitteret, qui eis oſten„ deret viam veritatis: & profeſſi ſunt ſe velle recedere a Paga„ nico ritu, & accipere religionem Chriſtianitatis. Et ille conſen„ ſit deprecationi eorum, & tranſmiſit Adalbertum Epiſcopum „ fide catholicum: illique per omnia mentiti ſunt, ſicut poſtea „ eventus rei probavit „. De Helena Regina utrobique altum ſilentium: quod indicio eſt, Reginonem ad Rugos, non ad Helenam Ruſſorum Reginam, Conſtantinopoli baptizata, ea retuliſſe, quæ de Rege *Rugorum* tam Schafnaburgenſis, quam illius Chronici Auctor narrant. Pergit idem Schafnaburgenſis ad annum 973.: *Otto Imperator ſenior cum juniore venit Quidlinburg, ibique celebravit ſanctum Paſcha* x. *Kal. Aprilis. Illucque venerunt Legati plurimarum gentium, videlicet, Romanorum, Græ-*

co-

corum, Beneventanorum, Italorum, Hungarorum, Danorum, Sclavorum, Bulgarorum, atque Ruſcorum, cum magnis muneribus. Et ad ann. 1043. *Rex (Heinricus) Incarnationem Domini Goslariæ celebravit.... Ibi inter diverſarum provinciarum Legatos, Legati Ruſcorum triſtes redierunt, quia de filia Regis ſui, quam Regi Henrico nupturam ſperaverant: certum repudium reportabant.* Nullus dubito, quin duo hæc poſtrema Schafnaburgenſis teſtimonia de *Ruſſis*, quos Moſcovitas appellamus, poſſint intelligi: poſtquam enim Ingore defuncto, Sphendoſthlavus ipſius filius Ruſſis imperare cœpit, Legatos & ipſe ſuos, non ſecus atque Bulgarorum Reges, ad Ottonem Imperatorem, contermi-nis populis imperante, deſtinaverit. Ita & Jaroslavus, Volodimiri filius, affinitatem, quam cum Henrico Germaniæ Rege contrahere nequivit, contraxiſſe perhibetur cum Henrico Galliæ Rege, Anna filia ſua in uxorem ei tradita. Verum quod primum narravit de Ruſſiæ Legatis, Epiſcopum ab Ottone petentibus, datoque eis Adalberto Epiſcopo; id, inquam, ad Rugos pertinet, non ad Ruſſos: etenim ſub Ottone primo, Adalbertus Epiſcopus Slavis (quo nomine & Rugi, & Ruſſi comprehenduntur) datus eſt: quemadmodum narratur in Chronico Lamberti Schafnaburgenſis ad ann. 959. *Venerunt legati Ruſciæ gentis ad regem Ottonem, deprecantes, ut aliquem ſuorum Epiſcoporum tranſmitteret, qui oſtenderet eis viam veritatis; qui conſenſit deprecationi eorum, mittens Adelbertum Epiſcopum fide Catholicum, qui etiam vix evaſit manus eorum.* Et in Regionis Chronico ad eundem annum, adjecto perperam Helenæ nomine: *Legati Helenæ Reginæ Rugorum...: ficte (ut poſt claruit) ad Regem venientes, Epiſcopum & Presbyteros eidem genti petebant.* Hunc Rugis Epiſcopum dedit Otto anno ſequenti 960. ex eodem Reginone: *Anno Dominicæ Incarn.* 960. *Rex natalem Domini Franconofurd celebravit, ubi Libutius ex cœnobitis S. Albani a venerabili Epiſcopo Adaldago (Hammenburgenſium videlicet) genti Rugorum Epiſcopos ordinatur.* Et anno 961. *Libutius priori anno quibuſdam dilationibus ab itinere ſuſpenſus*, xv. *Kal. Martii anni præſentis obiit, cui Adalbertus ex cœnobitis S. Maximini machinatione & conſilio Vuillelmi Archiepiſcopi* (Moguntini) *licet meliora in eum coſixus fuerit, & nihil unquam in eum deliquerit, peregre mittendus, in ordinatione ſucceſſit. Quem piiſſimus Rex ſolita ſibi miſericordia, omnibus quibus indigebat copiis inſtructum, genti Ru-*

go-

Digitized by Google

gurum honorifice deſtinavit. Ad annum vero 962. *Adalbertus Rugis ordinatus Epiſcopus nihil in his, propter quæ miſſus fuerat, proficere valens, & inaniter ſe fatigatum videns, revertitur, & quibuſdam ex ſuis in redeundo eccisis, ipſe cum magno labore vix evaſit: & ad Regem veniens, charitative ſuſcipitur, & a Deo amabili Vvilhelmo Archiepiſcopo* (Moguntino) *pro retributione tam incommode ab eo ſibi machinatæ peregrinationis, bonis omnibus & commodis quaſi frater amplectitur & ſuſtentatur*. De eodem Adalberto ad ann. 966. *Erkanbertus Vvirtzburgenſis cœnobii Abbas obiit, & Imperator, electione Monachorum, Adalbertus Rugis ordinatum Epiſcopum, eidem Monaſterio præfecit*. En Adalbertum Rugorum Epiſcopum ann. 961. ordinatum, anno ſequenti ac Regem Ottonem reverſum, anno demum 966. cœnobio Vvirtzburgenſi præpoſitum. Videamus nunc quomodo idem Adalbertus ad Metropolim Magdeburgenſem ſit evectus. Ditmarus lib. 2. pag. 20. de Ottone Imperatore ſcribit: *Adalbertum Trevirenſem, profeſſione Monachum, ſed Ruſſiæ prius ordinatum Præſulem, & hinc a gentilibus expulſum, ad Archiepiſcopatus apicem, inclytum patrem & per omnia probatum, anno Dom. Incarn. 970. XV. Kal. Novemb. Apoſtolica auctoritate promovit*. Ditmarus Magdeburgenſem Archiepiſcopum unum eundemque facit cum Adalberto quondam Rugorum Epiſcopo, etſi pro Rugis *Ruſſos* ſcribit. Pagius: *Scriptores Latini*, inquit, *mediæ & infimæ ætatis, Ruſſiam plerumque Rugiam appellat; indeque error enatus, quod Sanctus Adalbertus in Rugiam maris Baltici inſulam, prædicandi Evangelii cauſa directus fuerit: quo nihil magis a veritate alienum*. Rugiam appellari a Scriptoribus Ruſſiam, non invenio, niſi in iis locis, de quibus eſt quæſtio, an Rugi a Reginone & aliis memorati, ſint iidem ac Ruſſi. Pagius affirmat; nos negamus. Certe Helmoldus Ruſſos a Rugis ſeu Rugianis diſerte diſtinguit, quamquam in textu cap. 1. eos Ruzos vocat: vero Ruſſiam nunquam Rugiæ nomine donat Sic cap. 15. lib. 1. de Rege Poloniæ, & Ottone III. Imperat. *Eodem quoque tempore Boleslavus, Polonarum Chriſtianiſſimus Rex; confœderatus cum Ottone III., omnem Slaviam, quæ eſt ultra Odoram, tributis ſubjecit, ſed & Ruſiam, & Pruſſos, a quibus paſſus eſt Adelbertus Epiſcopus, cujus reliquias tunc Boleslavus tranſtulit in Poloniam*. Non de Adalberto Rugorum Epiſcopo hic ſermo eſt, ſed de Pragenſi Martyre. Sic etiam c. 1. Ruziam & Ruſiam vocat,

non Rugiam: *omnes hæ regiones, præter Pruzos, Chriſtianitatis titulo decorantur. Diu enim eſt, quo Ruzia credidit. Ruſsia autem vocatur a Danis, Oſtrogard, eo quod in Oriente poſita, omnibus abundet bonis*. Et mox. *Nam Ruthenum mare, brevi in Græciam tranſmittit*. Intelligit mare Euxinum cui fere adjacebant Ruſsi, ſeu Tauro Scythæ. Tum ſubjungit: *Polonia magna Slavorum provincia, cujus terminum in Ruziæ regnum dicunt connecti*. Demum ex hoc Ruziæ nomine derivatum *Ruzenorum* legitur apud Schafnaburgenſem ad ann. 1075. *Paucis poſt diebus Moguntiam venit, ibique occurrit ei Ruzenorum Rex Demetrius nomine, deferens ei inæſtimabiles divitias in vaſis aureis & argenteis, & veſtibus valde pretioſis, petiitque ut auxilio ſibi foret contra fratrem ſuum, qui ſe per vim regno expuliſſet, & regnum tyrannica immanitate occupaſſet*. Et infra. *Ruzenorum Rex Dedi Marchioni Saxonico, cujus ductu eo advenerat, a Rege commiſſus eſt ſervandus, donec Legati reverterentur*.

XXIII. Unus Adelbertus Rugorum primum: mox Magdeburgenſium Antiſtes.

Sed ad Rugorum Epiſcopum revertor. Baronius ad annum 971. num. 13. tres *Adelbertos* diſtinguit, quorum alter Epiſcopus Pragenſis in Bohemia, alter Magdeburgenſis Archiepiſcopus, tertius Rugorum antiſtes extiterit. At ex Helmoldo aliiſque conſtat, duos tantum fuiſſe: Pragenſem ſcil. & Magdeburgenſem, qui olim Rugorum Epiſcopus fuerat. Et de Pragenſi quidem res clara eſt: nam in Pruſſia martyrio coronatus eſt anno Chr. 997. ejuſque meminit Helmoldus lib. 1. cap. 1. de Pruſſia loquens: *Apud illos martyrio coronatus eſt illuſtris Boemiæ Epiſcopus Adelbertus*. Et cap. 15. Bolezlavus *ſubjecit Ruſſiam & Pruſſos, a quibus paſſus eſt Adelbertus Epiſcopus*. Adelbertum vero Rugorum Epiſcopum anno (ut ſupra dixi) 961. ordinatum, & anno 966. Vvirtzburgenſi cœnobio præpoſitum, anno demum 970. ad Eccleſiam Magdeburgenſem evectum, teſtatur præter Ditmarum loc. cit. etiam Helmoldus lib. 1. cap. 11. his verbis. *Subactis autem, Chriſtianæque fidei copulatis Slavorum gentibus, magnus Otto inclytum urbem Magdeburg, ſuper ripas Albiæ fluminis condidit, quam Slavis Metropolim ſtatuens, Adelbertum ſummæ ſanctitatis virum, ibidem conſecrari fecit Archiepiſcopum. Is primus in Magdeburg ordinatus, duodecim annis ſtrenue Pontificatum adminiſtravit, multoſque Slavorum populos illic prædicando convertit: cujus ordinatio facta eſt anno Imperatoris* XXXV. *Et ſunt anni poſt ordinationem Sancti Anſcarii* (primi Hammenburgenſis

Ar-

Archiepiſcopi) cxxxvii. *Magdeburgenſi autem Epiſcopatui ſubjecta eſt tota Slavia uſque ad Panim fluvium: Epiſcopatus ſuffraganei quinque, quorum Merſeburg, & Cicen, ſuper Salam fluvium: Miſna vero, ſuper Albiam; Brandenburg, & Havelberg, interius vadunt. Sextus Epiſcopatus Slaviæ eſt Aldenburg. Hunc Epiſcopatum, ſicut & cæteros, Imperator Otto Magdenburgenſi primum ſubjicere decreverat; quem tamen poſtmodum Adbeldagus Hammenburgenſis Epiſcopus requiſivit, eo quod terminus ſuæ Eccleſiæ antiquis Imperatorum privilegiis eſſet circumſcriptus.* Hactenus Helmoldus de inſtituta Magdeburgenſi Metropoli, & promoto ad illam Adalberto, quondam Rugorum Epiſcopo; quamquam abuſive eum ſcribit *ordinatum & conſecratum* Magdeburgenſem Antiſtitem: jam enim antea Epiſcopalem conſecrationem acceperat. Quum autem dicat, ejus promotionem anno Imperatoris 35. accidiſſe, ſignificat ann. Chr. 970. nam cap. 13. loquens de obitu ejuſdem Ottonis Imperatoris, inquit: *Anno ergo regni ſui 38. Imperii XI. magnus Princeps, Otto domitor omnium Septentionis nationum, feliciter migravit ad Dominum, & ſepultus eſt in civitate ſua Magdeburg.* Conſtat autem, Ottonem Imperat. obiiſſe *anno Chr. 973. nonis Maji, quarta feria ante Pentecoſten*; Vide Pagium. Igitur annus Regni ejus XXXV. quo Adalbertus factus eſt Magdeburgenſis Antiſtes juxta Helmoldum, incidit in annum Chr. 970. quemadmodum & ex Ditmaro ſupra diximus. Quamobrem quod *ex Chronico Magdeburgenſi mſ.* Tom. ix. Concil. pag. 675. Pagius de Concilio Ravennæ anno 966. celebrato num. 2. refert, non annum reſpicit, quo Adalbertus Archiepiſcopatum Magdeburgenſem obtinuit, ſed quo Otto Imperator ſedem illam Metropolitanam inſtituere decrevit. Verba Chronici hæc ſunt. „ Sereniſſimus Imperator Auguſtus Otto, qui eandem „ Sanctam Synodum ob communem Imperii ſui ſalutem congregaverat, plurimas Sclavorum nationes ultra flumen Albiæ in „ confinio Saxoniæ, multo ſe labore & maximis ſæpe periculis ad „ Chriſtum convertiſſe coram omnibus retulit: rogans, ut quod „ ipſe ſummo ſtudio Deo mancipaverat, Paſtoris negligentia ad „ vomitum redire non ſineret. Hujus dignam relationem, & tantam fidei confeſſionem Sancta Synodus benigna aure ſuſcipiens, „ Deoque in his omnibus gratias agens, tot Slavorum populos ad „ Deum noviter converſos nonniſi per Epiſcopos in convenientibus locis in unaquaque eorum provincia, ſecundum populi

Digitized by Google

„ quantitatem in rationabilem terræ diviſionem conſtituendos, „ ad hoc animari atque erudiri poſſe cenſuit. *Et paulo poſt*. Eſt „ Civitas in Parochia Halberſtadenſis Epiſcopii, Magdeburg di„ cta, in confinio Saxonum & Sclavorum, in ripa fluminis Albiæ: „ in qua idem Sereniſſimus Cæſar populi multitudinem aduna„ vit, Eccleſias conſtruxit, plurimorumque Martyrum, Beati „ ſcilicet Mauricii, & Innocentii, aliorumque innumerabilia cor„ pora Sanctorum illuc transferens, Canonicoſque inibi Deo fa„ mulantes conſtituens, ad eorumdem victum, & Eccleſiæ uti„ litatem, caſtra, villas, prædia, decimaſque cum univerſis ad„ jacentiis affluenter ex proprio conceſſit. Placuit igitur omnibus „ apud prædictam Civitatem Magdeburg Archiepiſcopalem fieri „ Cathedram, eo quod hæc in confinio Sclavorum, ut prædixi„ mus, loco videretur oppurtunior, & in ejus propagatione vo„ luntas Imperatoris eſſet amplior „. *Et cætera*. Ita probata eſt in Synodo Ravennenſi, Archiepiſcopatus Magdeburgenſis inſti-ſtitutio. Quod autem Helmoldus ait, Adalbertum duodecim annis Magdeburgenſem Eccleſiam tenuiſſe, confirmatur ex Lamberto Schafnaburgenſi, qui eum obiiſſe ſcribit anno 981. his verbis. *Adelbertus Magdeburgenſis Archiepiſcopus obiit, cui Hiſillarius ſucceſſit*: alias dictus Giſilerius: Totidem enim fluxerunt anni ab anno 970. ad 981. Ejuſdem Adalberti obitum ad annum quoque 981. conſignat Chronographus Magdeburgenſis manuſcriptus in Bibliotheca Regia aſſervatus: *Anno*, inquiens, *Dom. Inc.* 981. *Athelbertus Magdeburgenſis primus Archiepiſcopus, Imperatore Romæ commorante*, XIII. *ſuæ ordinationis anno* (XII. ut habet Adamus Bremenſis, a Baronio citatus, qui ejus mortem ann. 983. ponit) *ſuos docendo & confirmando, & Gisleri Præſulis* (Merſeburgenſis) *quia tunc cum Cæſare fuit, Diœceſim perluſtrans*, XIII. *Kalen. Julii in Meſſeburch Miſſam celebravit* ... *Is vero tapeto ſuperpoſitus, completiſque omnibus, quæ a Clericis dicenda erant, fideliter migravit ad Chriſtum* XII. *Kal. Julii*. Pagius tamen, qui Adalbertum anno 981. mortuum aſſerit, inthronizatum vult non anno 970. ſed anno 968. idque oſtendit, productis duorum Chronographorum Magdeburgenſium, a Meibomio editorum, teſtimoniis: quorum primus ad annum 967. num. IX. citatus, hæc habet verba: *Quem* (*Adelbertum*) *& Romam pro Pallio a Domno Papa ſuſcipiendo* (Otto Imperator) *direxit. Domnus autem Papa Joannes, illius nominis XIII. & prius Narnienſis*

Epi-

Epiſcopus, juſtis petitionibus annuens, nihilque tarditatis impendens, Privilegio Apoſtolicæ auctoritatis eum dignum Archiepiſcopum decernens, pro amore B. Mauricii & Innocentii, & Sanctorum, qui in Magdaburg requieſcunt, & prædicti Imperatoris, Pallium ad Miſſarum ſolemnia celebranda dedit anno Dom. Inc. 968. *Indictione* XII. (a menſe Septembri inchoata) XV. *Kal. Novembris, hoc eſt, in feſtivitate Sancti Lucæ Evangeliſtæ, anno Pontificatus ipſius Domni Joannis univerſalis Papæ quarto. Tunc Imperator miſit eum ad Sedem ſuam cum magno honore, præcipiens univerſis Saxoniæ Principibus, ut proximum Natale Domini cum eo eſſet.* Alter Magdeburgenſis Chronographus num. VI. laudatus, ait, *Ottonem Imperatorem, Adelbertum, qui dudum Treviris de cœnobio Sancti Maximini Monachus abſtractus & Epiſcopus conſecratus ad prædicandum Rugis fuerat deſtinatus, Romam pro Pallio & Privilegio ab Apoſtolica Sede ſuſcipiendo cum literis ſuæ auctoritatis direxiſſe. Sedit eo tempore in clavigeri cœleſtis Petri Cathedra, gratia & nomine Joannes Papa nominis illius XIII., in ordine vero Rom. Pontif.* 126. *Hic igitur benigniſsime illum ſuſcipiens, pro pio ſtudio glorioſiſsimi Imperatoris, quod in amplificatione divini cultus habebat gaudens, ideoque juſtis ejus petitionibus annuens, illum Apoſtolica auctoritate Archiepiſcopum fore, ejuſque Succeſſores decrevit, cui & Pallium ad Miſſarum ſolemnia celebranda dedit, & ipſe nimia dilectione commonitus* XV. *Kalend. Novemb. ideſt, in feſto Sancti Lucæ Evangeliſtæ ordinavit* (ideſt, Pallium conceſſit:) *Et Privilegio Apoſtolicæ auctoritatis ſanxit, ac confirmavit, eum in ordine Eccleſiaſtico Primatum habere omnium Eccleſiarum, Archiepiſcoporum qui in Germania ſunt ordinati in Gallia quoque Colonienſi, Trevirenſi Archiepiſcopis, per omnia honore ſimilem eſſe &c. Præterea ſtatuit eum eſſe Metropolitanum totius ultra Salam & Albiam Slavorum gentis tunc ad Deum converſæ, vel convertendæ, & ut ſecundum deſiderium Imperatoris in his civitatibus, in quibus olim barbari ritus maxima viguit ſuperſtitio, ideſt, Cizi, Miſni, Merſeburg, Brardeburg, Havelberg, Pornam (ideſt,* Poſnam) *in honorem Domini Epiſcopia fundarentur, quorum Paſtores ſecundum canonicam auctoritatem Magdeburgenſi Epiſcopo fidem & ſubjectionem debendo ſectarentur. His, & aliis, quæ Privilegia adhuc inibi conſecrata* (conſervata) *ordinatis, & interminatione Dei & Apoſtolici nominis confirmatis, præfatus Archiepiſcopus cum Legatis Romanæ*

Eccle-

Eccleſiæ, *Widone ſcilicet Epiſcopo Bibliothecario*, *& Benedicto Cardinali*, *qui illum cum Hildewardo Halberſtadenſi Epiſcopo Sedi ſuæ inthronizarent*, *dimiſſus*, *ad Imperatorem remeavit lætus*. Et cætera. Nolo cum Pagio funem trahere. Quidquid enim ſit de anno, quo Adalbertus Archiepiſcopus Magdeburgenſis eſt renunciatus, duo tamen certa ſunt: primum, eum Rugorum, non Ruſſorum fuiſſe olim ordinatum Epiſcopum: deinde, unum eundemque eſſe, qui prius Rugis Epiſcopus datus fuerat, & qui poſtea ad Metropolim Magdeburgenſem eſt promotus. Quod vero tam apud Helmoldum & Schafnaburgenſem, quam apud Chronographos Magdeburgenſes, idem Adalbertus multos Slavorum populos ad Criſti fidem adduxiſſe perhibetur, nulla Ruſſorum facta mentione, id non eo factum, uti ad annum 959. num. 3. putat Pagius, quia nimirum Slavi non erant Ruſſi: (Slavi enim ſunt quam maxime, & Slavorum omnium, ſi fas eſt dicere, Slaviſſimi: ſed quia Scriptores Germanici Ruſſos a Slavis diſtinguentes, Slavicos populos maxime appellare ſolent, qui idolis antea ſervientes, inter Albiam & Odoram habitabant, mox ad Chriſti fidem adducti, Latinum Ritum ſunt ſequuti, quorum proinde hiſtoriam accurate preſcribit Helmoldus.

XXIV. JoſephGorjonidæ, &Abraham Zacuthi Hebræorum, ſententiæ de Slavis, Ruſſis, Moſchis, Bulgaris.

Antequam de Ruſsorum origine dicendi finem faciam, juvat ex hiſtoria *Joſephi Gorjonidæ*, Venetiis anno 1644. edita, & ex libro *Juchaſim* ſive genealogiarum, quæ *Abraham Zacuth* Judæus anno Chriſti 1502. compoſuit, prodiitque typis primum Conſtantinopoli anno 1556. deinde Cracoviæ anno 1580., quid Hebræi recentiores de Slavis, Ruſsis, Bulgaris, & Moſchis ſentiant, exponere. Itaque Gorjonides de *Thogarma* hæc habet; (Hæbraicum Textum vide apud Bochartium in Phaleg lib. 3. c. 15. p. 226.)
„ Thogarmæ ſunt decem familiæ, ſcilicet Chozar, & Patzinac,
„ & Alikanus, & Bulgari, & Ragbiga, & Turcæ, & Buz, & Za-
„ buch, & Hungari, & Tilmaſæ. Omnes iſti in Aquilone degunt,
„ & terras ſuas de nominibus ſuis appellarunt. Habitant autem
„ ad fluvium Ethel, qui eſt Atlach. Tamen Hungari, & Bulgari
„ & Patzinacæ, habitant ad magnum fluvium Danubium „. Bo-
„ chartius ibidem ſic interpretatur. „ Quia familiis Thogarmæ
„ aſsignantur ירכתי צפון, *Latera Aquilonis*, Ezech. 38. 6. Pſeu-
„ do-Gorjonides ex iis deducit pleroſque Aquilonares, Danubii
„ maxime & Rha ſeu Volgæ accolas, quem cum Arabibus ap-
„ pellat *Ethel*, & *Ethalach* aut *Elatahc* verius, quomodo ſcribunt

„ ta-

„ tabulæ Iſmaelis Abulfedæ. Has porro familias vult eſſe decem
„ numero. Prima *Chozor*, Ortelio *Cunſar* perperam, eſt locus
„ ad mare Caſpium, a quo vocatur *mare Chozar* a Geographo
„ Nubienſi. Secunda *Patzinac*, eſt Dacia veterum: Suidas.
„ Δάκες οἱ νῦν Πατζινακῖται, *Patzinacas* habet Cedrenus. Ter-
„ tia *Anchialus* (ita ſcribo pro *Alichanus*) eſt Thraciæ urbs ad
„ Pontum. Quarta *Bulgaria*, tam nota eſt, quam ignota quinta
„ *Ragbiga*, ſed ſcribendum רגוזה *Raguza*, ideſt Epidaurus.
„ Sextam, ideſt *Turcas*, Mela & Plinius deſcribunt ad paludes
„ Mæotides. Septima *Buz*, alias *Buza*; eſt Daciæ vetus oppidum,
„ Ptolomæo *Napuca*. In octava pro *Zabocb* puto legendum *Za-*
„ *volch* כולך. Hæc Tartarorum eſt familia celebris prope Vol-
„ gam. Nona ideſt, *Hungaria*, nihil notius. Decima, *Talmits*
„ videtur eſſe Germaniæ *Miſnia*, *quæ olim Dalemincia*„. Ego
vero exiſtimo pro אליקנוס: *Alikanus*, legendum אלנוס: *Alanus*,
ideſt *Alani*: pro רגביג: *Ragbiga*, גרביג: *Garvig*, ideſt, *Charvati*,
ſive *Chovatæ*: pro בוז *Buz*, *Buzn*, ideſt, *Baſni*: pro *Zabuc*, זרבול
Zarbul, ideſt *Serbli*, ſive *Servii*, & pro *Tilmas*, *Dalmatæ*. Quod
enim Bochartius infra in *Dodanim* pag. 228. ponit *Dalmatas*,
Croatas, *Sclavos*, *Servos*, & *Boſnos*; hos, inquam, ex ingenio
ſuo ibi interpretatur. Cæterum textus Hebraicus Gorjonidis alios
populos repræſentat, nempe *Cretenſes*, *Siculos*, & alios quoſdam
inſulanos.

Idem Gorjonides de *Thiras* apud eund. Bochart. pag. 227. *Thiras ſunt*, רוסיס *Ruſsi*, *Poſni* (*vel Poſnani in Polonia*) *&* *Angli*, *qui habitant ad mare magnum. Ruſsi habitant ad fluvium Cyrum, qui defluit in mare Georgian*, (*ideſt Caſpium.*) Rectius pro *Cyro*, retinendam puto hebraicam lectionem, בירא, *Bira*, ideſt, *Boryſthenem* fluvium, qui defluit in mare גורגאן, *Gurgan*, non quidem Caſpium, ſed Euxinum, ita appellatum a *Colchis* populis, quos Hebræi & Arabes ſequiori ævo *Georgianos* vocant. Etenim Gorjonides quum ſit recens ſcriptor, hodiernum gentium ſitum, non antiquum reſpexit. Rhoſſi autem, ſive Ruſſi, etiamſi olim in Araxene, hoc eſt, inter Cyrum & Araxem fluvios, ſedes habuerint, poſtea tamen Ponto Euxino trajecto, inter Tanaim & Boryſthenem præcipue habitarunt. Scio ab Arabibus Caſpium mare appellari *Bahar Chozar*, mare Chazariæ, & *Bahar Giorgiana*, ab adjacente ſcilicet urbe, quam *Georgianam* & *Corcangiam* dicunt, eſtque ſita ad oſtia fluvii *Gehonis*, ideſt, *Oxi*, in Caſpium

mare

mare influentis. Ar verum etiam eſt, Iberiæ & Colchidis antiquæ populos ab iiſdem Arabibus *Georgianos* dici, ſive, ut ipſi proferunt, *Gurgios*, & *Kurgios*, eorumque regionem *Gurgiſtan*. Vide Herbelot. in Bibl. Orient. pag. 402 v. *Giorgian*. Et pag. 407. v. *Gurge*, & *Kurge*: *les Georgiens*. *Gurgiſtan*, *la Georgie*.

Zacuth in libro *Juchaſim*, de filiis Japheth, quamquam fere commentitia, hæc habet apud eundem Bochart. pag. 354. „ Et „ filii Japhet ſeptem fuerunt in regione Europæ, quæ eſt Orbis „ triens: & habitarunt ab initio Moſcoviæ מושקוף, uſque ad Por- „ tugalliam, quæ vocatur finis terræ, & in veteribus libris Luſi- „ tania. *Et pag.* 355. Gomer & Magog ſunt Gothi, qui vene- „ runt e locis Moſcoviæ vicinis, & Moſcovitæ, & alii „. Ita interpretor hebraicum, והמשכו והליך באו מקרוב מושקוף Bochartius autem vertit: *Venerunt e locis Moſcoviæ vicinis, & Moſcovia, & Halic*: & ſubjungit: „ Gomer & Magog non ſunt idem populus, „ veteribus Magog ſunt Scythæ, & Gomer, Phryges vel Galatæ, „ qui Phrygiam occuparunt uſque ad Halym fluvium. An inde „ ſumptum eſt Halic? alioquin quid ſit, neſcio. והליך, idem eſt, „ ac *cætera*, *reliqua*: particula nimirum uno verbo omnia com- „ plectens, non nomen populi, aut fluvii „. Idem Zacuth de Madai vel Medis pag. 355. „ Medi autem ab una parte attin- „ gunt regnum Moſcoviæ, & magnum flumen Athel nomine, „ qui e deſerto Moſcoviæ fertur ad mare Chozar. Ad illud, in- „ quam, mare, a parte Occidentis eſt Media, quæ hodie Scer- „ van dicitur cum vicinis omnibus regnis „. Non probat hæc Bochartius, inquiens: *nihil dici potuit abſurdius*. *Media eſt in diverſo climate*, *& a Moſcovia immenſum diſtat*. Verum meminiſſe debuit, Zacuthum non eſſe Geographum antiquum, ſed recentiſſimum: utpote qui poſt annum Chriſti 1500. ſcribebat. Quum igitur Mediam dicit ab una parte attingere regnum Moſcoviæ & fluvium Atel ſive Volgam, loquitur de Medis ſui temporis, hoc eſt, de Regno Perſarum, quod mari Caſpio terminabatur adeoque conterminum erat regno Moſcoviæ, cujus fines ad oppoſitam Caſpii maris oram extendebantur.

Idem de Javan, Thubal, Meſech, & Thiras. *Terræ autem Javan*, *noſti aditus & exitus*. (Nimirum noſti ſitum Græci) *& Thubal eſt Hiſpania* (*Hebr.* Sepharad, nimirum Iberia ad mare Caſpium, non Hiſpaniæ:) *Et Meſch vocatur regnum Ruſsiæ* (ita legendum, pro, פרסיא Perſia:) *quod regnum magnum eſt*, *ſitum*

ſur

ſupra mare Nigrum, *unde eſt*, *quod hodieque in ea terra amnis eſt Meſchinus nomine* (intellige Moſcwfluvium, a quo Moſcoviæ nomen eſt .) *Thiras*, *eſt Thracia*, *inde a Venetia uſque ad Hungaros*. Poſtremo de filiis Gomar . „ Et filii Gomer, Askenaz, regni „ caput eſt Bohemia . Et Riphath, Aquilejenſes & Tarviziani, „ qui fuerunt in Aſia , in loco quem hodie vocant Illyik : & inde „ profecti ſunt , & ædificarunt urbem Venetiam . Et Thogarma, „ eſt Turcia , quæ lingua Turcica vocatur Turkiſtan : eſt autem „ regnum magnum ab una parte Perſidem attingens „ . Bochartius pag. 356. non probat primo, quod *Askenaz* in Hebræorum ſcriptis ſit Germania: nam, ut alia omitantur, populos regni Askenaz in Babylonem convocat Deus, Jerem. 51. 27. Secundo, ita, inquit, plerique ſentiunt, Venetos e Paphlagonia veniſſe, ubi Homeri Heneti: porro Joſepho *Riphath* ſunt Paphlagones. Verum, quum Heneti legantur e Paphlagonia veniſſe in Illyricum, confundit Zacutbus profectionis terminos, & eos Illyrico veniſſe ſibi fingit. Tertio, Thogarma ſi ſit Turkeſtan, quomodo equi & muli Tyrum inde deducuntur, Ezechiel. 27. 14. maxime quum in tota Scytia, cujus pars eſt Turkeſtan, nec muli nec aſini ſint? Sed videor fortaſſe tempus triviſſe fruſtra in his Hebræorum nugis referendis.

C A P U T IV.

Moſchorum, *&* *Moſcovitarum origo*.

QUum igitur Scytharum Sarmatarumque nomen antiquiſſimum omnium eſſe appareat, Ruſſorum vero, & Slavorum longe recentius; videamus, num inter eos populos, qui Slavorum nomine cenſentur, eademque lingua utuntur, quiſquam ſit, qui vetuſtius nomen habeat. Primæ populorum origines neque aptius, neque tutius, quam e ſacris Literis petuntur, in quibus & infallibilis dictorum veritas continetur, & ſumma Scriptorum antiquitas præ cæteris auctoribus commendatur. Græci enim ſi cum Hebræis comparentur, recentiſſimi, tum appellativis ut plurimum nominibus veram gentium originem occultant, tum propria ſicubi nomina exprimunt, ad fabulas convertuntur: nihilque in iis tam obvium eſt, quam Regum, Ducum, Heorum nomina ſibi fingere, quum vera etymologia deeſt. Plena etiam pericu-

I. Arabicus Sacræ Scripturæ interpres, nomina filiorum Japheht pervertit.

riculis videtur ea Scripturas Sacras interpretandi ratio, quæ a nonnullis uſurpatur, ut ſcilicet propria nomina aut pro appellativis ſumant; aut ſenſu, non voce ipſa ſervata, in id transferant, quod alio idiomate perinde ſignificatur; aut demum gentem, quam ſibi fingunt, eorum loco ſubſtituant. Sic R. Saadias, Arabicus ille Pentateuchi Interpres, (ut nunc de aliis ſileam;) non ſecus atque Gorjonides & Zacuthus, nomina filiorum Japhethi, quæ inſpiratus a Deo Moſes Hebraice, uti erant, literis tradidit, neſcio quo ductus ſpiritu, in eas, quas ipſe ſomniabat, gentes convertit. Quod enim Hebraicus textus habet Geneſ. 10. verſ. 2. 3. *Filii Japheth, Gomer, & Magog, & Madai, & Javan, & Thubal, & Moſoch, & Thiras, & filii Gomer, Aſcenaz, & Riphath, & Thogauma*: hoc inquam, Arabice ſic interpretatur: بنوا يافث الترك وياجوج وماهات واليونانية والصين وخراسان وفارس وبنوا جومر الصقالبة والفرنجه والبيرجان *Filii Jophet, Turcæ, & Jagog, & Mahat, & Iones* (hoc eſt, Græci) *& Sin, & Choraſan, & Perſia. Et filii Gomer, Sclavi, & Franci, & Jargian*. Sic legitur in editione Londinenſi: at emendandum, البرجان, cum uno puncto diacritico, hoc eſt, *Borgian*, ſive *Burgundi*. Qua tamen Saadiæ verſione nihil eſt ineptius. Nam primo, *Gomer* uno eodemque loco & tamquam nomen proprium ſumitur, & pro *Turcis* redditur. Deinde Thubal & Moſoch, ad Choraſanam & extremas Sinarum partes amandantur: Thiras autem, pro Perſis exponitur; Askenaz etiam, & Riphat, & Thogorma, de *Sclavis*, *Francis*, & *Burgundis* intelliguntur; quod eſt contra expreſſam Sacræ Scripturæ auctoritatem: nam Ezechiel 38. *Mogog*, *Moſoch*, *Thubal*, *Gomer*, *Thogarma*, ab Aquilone convocat Deus in Babylonem; ut in titulo ejuſdem capitis, Syrus quidem ſic habet; ܥܠ ܓܘܓ ܘܡܓܘܓ ܕܣܠܩܝܢ ܠܘܩܒܠܗܘܢ ܟܕ ܣܠܩܘ ܡܢ ܒܒܠ *De Gog, & Magog, qui aſcenſuri ſunt adverſus eos (filios Iſrael), quum aſcenderint e Babylone*. Arabicus autem: النبوة في اجوج وماجوج الذين حاربوهم اذ صعدوا من ارض بابل *Prophetia contra Gog & Magog, qui bellum intu-*

intulerunt eis, ubi aſcendiſſent e terra Babylonis. Nuſquam autem legitur. Francos, Burgundos, Turcos, Sinas, & Choraſanitas in Babylonem conveniſſe, ut inde in Palæſtinam aſcenderent. Quinimo idem ipſe Arabicus interpres ſibi non conſtat: nam quos Geneſ. 10. interpretatur, *Turcæ*, *Jagog*, *Sin*, *Choraſan*, *Burgundi*; hos ipſos Ezech. 38. proprio nomine appellat, *Gog*, *Magog*, *Thobel*, *Moſoch*; *Gomer*, *Torgama*.

Miſſo itaque inepto hujuſmodi interpretandi genere, ad propria Hebraica nomina redeo. Bochartius, vir ſummus, laudatum Ezechielis locum cum antiquis Geographis Græcis comparans, recte evincit, uſque ad illa Ezechielis tempora, filios, & nepotes Japheti, *Gomer*, *Magog*, *Thubal*, *Moſch*, *Thogarma*, cis Caſpium mare & Pontum Euxinum, inhabitaſſe *Phrygiam*, *Paphlagoniam*, *Cappadociam*, *Pontum*, & quidquid ultra Meſopotamiam & Aſſyriam per *Armeniam*, *Colchidem*, & *Iberiam* ab Euxino ad Caſpium excurrit. Ibi primæ eorum ſedes, quos Græci *Scythas* vocarunt. Diodorus lib. 2. *Scythæ primum juxta Araxem amnem pauci habitarunt*. Herodotus. *Scythas nomades qui Aſiam incolunt, quum a Maſſagetis bello vexarentur, Araxe trajecto in Cimmerium abiiſſe*. Cimmeria nimirum dici cœpit, poſtquam Gomer poſteri, Græcis *Cimmerii* dicti, in Mæotidem trajecerunt. Plinius de Mæotide lib. 6. cap. 7. *Incolunt Sarmatæ, Medorum, ut ferunt ſoboles, & ipſi in multa genera diviſi*. Medorum ſcilicet pars, Media & Parthia relicta, Ponto & ipſi trajecto, ad Cimmerios affines ſuos migrarunt. *Gogarene* Iberiæ pars trans Cyrum. Stephano teſte, *locus inter Colchos & Iberos Orientales*. ſervat ipſiſſimum nomen Gog integrum, ubi Gog & Magog olim conſederant: ſed præcipua eorum ſedes inter Cyrum & Araxem, juxta illud Ezechiel. 38. *contra Gog.*, *& contra Magog*, *Principem Rhos*, *Moſoch*, *& Thorl*: quemadmodum Hebraicum textum Græcus interpretatur, cui conſentit Arabicus in hæc verba:

II. Primæ ſedes filiorum & nepotum Japheti, Gomer, Magog, Thubal, Moſoch, & Thogarma, cis Pontum Euxinum, & Caſpium mare.

ثبت وجهك علي جوج وارض ماجوج رئيس روس موصوخ وثوبل.

confirma faciem tuam contra Gog, *& terram Magog*, *Principem Rus*, *Moſoch*, *& Thobel*. Quamquam Latinus ejus interpres ſic vertit; *contra Gog*, *& terram Magog*. *Principis Principum Moſoch*. *& Thobei*: non recte, meo quidem judicio: nam Arabicus Græco hic preſſe inhæret: in Græco autem ſic legitur: ἄρχοντα Ῥὼς, Μοσὸχ, καὶ Θοβὲλ, *Principem Rhos*, *Moſoch*, *& Thobel*.

Hebraicus textus (ut ſupra dixi) utrumque ſenſum fert, *Pricipem Rhos*, ſcilicet, & *Principem Capitis*. Chaldaicus paraphraſtes hunc ſecundum ſenſum exprimit, *ſuper Gog, terram Magog*, דבריש משך, *qui eſt in capite Meſech* (non *ſummum Principem Meſech*, uti Latine perperam redditur:) ſic & Syriacus Interpres:

ܥܠ ܓܘܓ ܘܥܠ ܐܪܥܐ ܕܡܓܘܓ ܡܕܒܪܢܐ ܘܪܝܫܐ ܕܡܫܟ ܘܬܘܒܠ

contra Gog, & contra terram Magog; rectorem ac principem Moſoch, & Thubel: Ad Gog enim refertur ܡܕܒܪܢܐ *Rectorem*, & *Caput*: ſive *Principem*; non ad *terram Magogis, Rectoris & Principis*: ut ex ſequentibus conſtat: ܗܐ ܐܢܐ ܠܘܬܟ ܓܘܓ ܡܕܒܪܢܐ . ܘܪܝܫܐ ܕܡܫܟ ܘܬܘܒܠ *Ecce ego ad te, Gog, rector & Princeps Moſochi, & Thubelis*. Quidquid tamen ſit, vel ex iſto Ezechielis teſtimonio manifeſtum fit, *Gog* incolam terræ *Mogog* in illis tunc imperaſſe locis, ubi habitant poſteri *Meſech & Thubel*, vel ubi horum terra incipiebat. Quid vero de primis Meſecei & Thubali ſedibus judicandum ſit, docet Bochartius. *Mihi*, inquit lib. 3. cap. 12., *Meſech, vel, ut veteres ſcribebant, Moſoch, & Thubal, ſunt Moſchi, & Tibareni, qui apud Græcos ſcrptores eodem modo junguntur, quo apud Hebræos Meſech & Thubal*. Herodotus in Thalia cap. 49. *Moſchis autem & Tibarenis*, Μόσχοισι δὲ καὶ Τιβαρηνοῖσι, *trecenta talenta imperata erant*. Et in Polymnia cap. 78. Τιβαρηνοὶ δὲ . . . καθάπερ Μόσχοι ἐσκευασμένοι ἐστρατεύοντο, *Tibareni autem . . . . . eodem ornatu militabant, quo Moſchi*. Item: τέτυς δὲ συνέτασσον ἄρχοντες οἵδε Μόσχυς μὲν καὶ Τιβαρήνυς Ἀριόμαρδος: *hos vero regebant hi duces, Moſchos quidem & Tibarenos Ariomardus*, Vides eadem arma atque eoſdem in bello duces; unde hos populos colligas arctiſſima inter ſe neceſſitudine fuiſſe junctos. Itaque quum a *Meſech*, vel a *Moſoch*, recte deducant non pauci recentiorum *Moſchos* eſt quod miretur lector, nulli dum veniſſe in mentem: *Thubal Tibarenos* condidiſſe, ut *Meſech Moſchos*. Neque enim, ſi ex *Tubal* Græci fecerunt *Tibar*, & Τίβαριν χώραν, ut habet Diodorus lib. 4. pag. 413., aut *Tibaros*, ut Euſebius de Præpar. lib. 1., & Strabo lib. XI. & creſcente voce, *Tibarenos*, mutatio hæc tanti fuit, ut debuerit doctorum oculos configere: quum Græcos ſit notiſſimum ſcribere

bere φιχώρ, pro *Phieol*, & χαρὰδ, pro *Saled*, & Βελιάρ pro *Belial*. Tale eſt, quod ex *Uzal* vel *Auzal*, factum Αὔσαρα, & ex *Chalmadda*. Χαρμάνδη. Hactenus Bochartius: qui cap. XI. *Thogarmam* interpretatur Cappadociam, cujus in confiniis adhuc ſervatur *Trogmorum* ſive *Trocmorum* nomen, derivatum utique a *Thorgama*, nam Græcus pro Thogarma, legit Θόργαμα. Strabo lib. 12. ἔχουσι δὲ οἱ μὲν Τρόκμοι τὰ πρὸς τῷ Πόντῳ καὶ τῇ Καππαδοκίᾳ, *Trocmi Ponti & Cappadociæ confinia tenent*. Sed & iidem apud Stephanum, Τροκμήνοι *Trocmeni*, dicti, & *Trocmades* vel *Trogmades* in concilio Chalcedonenſi, in quo ſæpe nominatur Κυριακὸς ἐπίσκοπος Τροκμάδων, pro quo Ortelius legit Τρογμάδων. *Trocmeni* certe dicti a *Trocma*, & *Trogmades* a *Trogmada*, cujus rectus caſus *Trogmas* plane videtur ex *Torgama* factus. Juxta Pontum ſiquidem olim habitarunt & *Trogmeni*, & *Cimmerii* & *Askenii*, ſic dicti a Torgama, ſive Thogorma, Gomer, & Aſchenez. unde etiam mare *Axenium*, quod poſtea *Euxinum*. Junguntur enim *Gomer* & *Thogorma* in Ezechiele, ſicut *Meſech*, & *Thobel*: omnes autem ex eodem Propheta, regionem inhabitaſſe Judæis aquilonarem dicuntur; nec longius ab his diſtabant *Tibareni*, de quibus Apollonius lib. 2. verſ. 375.

> Ἄγχι δὲ ναιετάουσι πολύρρηνες Τιβαρηνοὶ
> Ζηνὸς εὐξείνοιο Γενηταίην ὑπὲρ ἄκρην,
> *Prope vero habitant opulenti Tibareni*
> *Supra Jovis Euxini Genetæum promontorium.*

Ideſt, poſt Amazonas, Thermodonta, & *Chalybas*, quos Strabo lib. XII. cap. 378. *Chaldæos* vocat: *ſupra Trapezuntem & Pharnaciam Tibareni ſunt, & Chaldæi, & Sanni, qui olim Macrones dicebantur; ac minor Armenia*. Avienus Dionyſii interpres verſ. 947.

> Inde Tibareni, Chalybes ſuper arva ubi ferri
> Ditia vulnifici crepitant incudibus altis.
> Poſt hos Aſſyriæ tenduntur jugera terræ.

Quos autem *Chaldæos* Strabo nominavit, eos ipſe cap. 378. interpretatur: οἱ νῦν Χαλδαῖοι, Χάλυβες τὸ παλαιὸν ὠνομάζοντο, *qui nunc Chaldæi vocantur, olim dicti fuere Chalybes* καθ' οὓς μάλιστα ἡ Φαρνακία ἵδρυται, *penes quos potiſſimum Pharnacia eſt*: Chaldæi ſeu Chalybes, Tibarenis conjuncti. Pomponius Mela lib. 1. cap. 19. *Paphlagoniam finit Armene: Chalybes proximi urbium clariſſimas habent Amiſon & Sinopen*. Ibid. *Tibareni Chalybes attin-*

attingunt. Idem Strabo lib. XI. cap. 527. poſtquam Mediam deſcripſit, de Armenia pergit, & populis eam attingentibus, inter quos Tibareni, & Moſchici, differens: *Orientalia* (*Armeniæ*) *Mediam attingunt cum magnam, tum Atropatenam. Verſus Septentrionem ſunt montes, qui Caſpio imminent mari, Paracheathri, tum Albani, Iberi, & Caucaſus circumdans iſtas gentes, Armeniamque attingens, cumque Moſchicis etiam coiens, & Cholchicis, uſque ad eos qui Tibareni dicuntur*. Demum lib. 12. cap. 559. uti ſua ætate regebat Tibarenia regio, ſic illam deſcribit. *Supra Pharnaciam ergo & Trapezuntem ſunt Tibareni & Chaldæi*, Τιβαρηνοὶ, καὶ χαλδαῖοι; *uſque ad parvam Armeniam. Ea eſt ſatis felix regio, quam, ut & Sophenam, reguli tenuerunt, aliquando fœdere Armeniis juncti, aliquando rem ſuam privatim adminiſtrantes: paruerunt eis & Tibareni, & Chaldæi; ita ut Trapezuntem uſque & Pharnaciam eorum ſe ditio proferret. Mithridates Eupator potentia auctus, cum Colchidem ſibi ſubjecit, tum iſthæc omnia, Antipatro Siſide dominium ei cedente. Eam autem curam iſtorum locorum geſſit, ut 75. caſtella in iis exſtruxerit, inque iis maximam gazam recondiderit, de quibus præcipua ſunt* Hydara, *Baſgædariza, Sinoria, finibus majoris Armeniæ inhærens caſtellum: unde & Synoriam Theophanes, o magno appellavit* κιμμεριχὸς, *hoc eſt, bigas*. Et poſt pauca. *Enimvero minorem Armeniam quum alias alii, Romanorum arbitratu, habuiſſent, ultimo loco Archelaus tenuit: Tibarenos, Chaldæos, uſque ad Colchidem & Pharnaciam ac Trapezuntem poſſidet Pythodoris, prudens mulier, & præeſſe rebus gnara; filia eſt Pythodori Tralliani. Uxor fuit Polemonis, & cum eo regnavit per aliquod tempus: marito autem apud barbaros mortuo in* (a) *Aſpurgianis, qui ſunt circa Sindicam, ipſa in regnum ſucceſſit: quumque haberet duos e Polemone filios, & unam filiam: hæc nuptum data fuit Cotyi Sapæo, & per inſidias eo necato vidua permanſit, quum liberos ex eo haberet: de quibus natu maximus rerum potitur. Pythodoridis filiorum alter cum matre privatus regnum adminiſtrabat, alter recens Armeniæ majoris rex eſt creatus. Ipſa Archelao nupſit, & cum eo, dum is in vivis permanſit, vitam exegit. Nunc vidua eſt, & poſſidet quæ diximus loca, iiſque alia etiam venuſtiora, de quibus deinceps dicimus*. Hæc Strabo de Tibarenis. Mo-

a *Aſpurgiani* & *Sindi* populi juxta Mæotidem habitantes. Vide Strabon. lib. XI. cap. 495. Stephanus. Σινδοὶ ἀπὸ μεσημβρίας τῆς Μαιώτιν λίμνη Idem Ἀσπουργιανοὶ ἔθνος τῶν περὶ Μαιώτιδος λίμνης,

Moſchi, haud dubie a Moſoch dicti, ſicut Tibareni a Thubal, habitabant inter Cappadociam, Cholchidem, Iberiam, & Armeniam. Ab his dicti *Moſchici* montes, de quibus Strabo lib. 1. cap. 61. *Iberi occidentales, in loca ultra Pontum & Cholchidem commigrarunt, quos Araxes* (a), *ut ait Apollodorus, ab Armenia ſeparat: verius autem Cyrus, & Moſchici montes.* Et lib. xi. cap. 521. *Trans Eupratem deinceps, poſt Antitaurum verſus Septentrionem extenditur mons magnus, & varie ſciſſus: ejus pars Paryadres, alia Moſchici montes, alia aliter appellatur: hi totam Armeniam uſque ad Iberos & Albanos comprehendunt.* Et cap. 462. *Poſt Heniochos Colchis eſt, ſub Caucaſiis & Moſchicis montibus.* Et lib. 12. cap. 548. *ſupra Trapezuntem & Pharnaciam Tibareni ſunt, & Chaldæi, & Sanni, qui olim Macrones dicebantur, ac minor Armenia: ſed & Apaitæ his vicini ſunt locis, qui quondam vocati ſunt Cercitæ: per hos tranſit mons aſperrimus Scydiſſes, qui conjungitur Moſchicis montibus, qui ſupra Colchidem ſunt.* Porro *Moſchos* populos circa Caſpium mare ponit Mela lib. 1. cap. 2. circa Phaſidis fontes Plinius lib. 6. cap. 16. Strabo lib. xi. cap. 499. eorum regionem inter Iberiam, Colchidem & Armeniam eſſe ſitam ſcribit. *Moſchica, in qua templum fuit, tripartita eſt: partem ejus Colchi, Iberes aliam, aliam Armenii tenent.* De templo idem cap. 498. præmiſerat: *ſupra dicta flumina* (Phaſidis nimirum) *in Moſchica regione ſitum eſt Leucotheæ templum a Phrixo conditum, ibique oraculum ejus, ubi aries non immolatur: id opulentum pridem, noſtra ætate ſpoliavit Pharnaces, ac paulo poſt compilavit Mithridates Pergamenus.* Subjungit de Moſchorum Colchorumque Dynaſtis, & regionis ubertate: *Enimvero quantus antiquitus ſplendor ejus fuerit, fabulæ oſtendunt, Jaſonis expeditionem ſub involucro proponentes, qui uſque ad Mediam proceſſerit, ac antea etiam Phrixi. Poſtea temporis ſucceſſerunt Reges, qui in provincias (id enim ſunt Sceptuchiæ) diviſam ditionem mediocri rerum ſtatu tenuerunt. Tandem Mithridates Eupator magnam nactus potentiam, iſtis potitus eſt regionibus: ab eo ſubinde aliquis amicorum miſſus eſt præfectus & adminiſtrator provinciæ: de quibus fuit Moaphernes patris mei patruus: atque hinc Regi maxima fuerant ad rem navalem ſubſidia. Mithridate autem everſo, etiam ditio ipſius diſſipata in multos eſt: ultimo Polemon* Col-

III. Moſchi a Moſoch dicti. Eorum regio inter Colchidem, Iberiam, & Armeniam. Poſtea trans Pontum Euximum

---

a Jta emendat Xylander. Textus corruptus habet, Χοαραξης; legendum tamen monet καὶ ὁ Ἀράξης.

Colchidem habuit: eoque mortuo uxor Pythodoris regnum in Colchos, Trapezuntem, Pharnaciam, & ſupra accolentes barbaros tenuit. Plutarchus a Cn. Pompejo ſubjugatos *Moſchos* habet. Lucanus lib, 3. verſ. 270. Sarmatis eos conjungit.

Heniochi, ſæviſque affinis Sarmata Moſchis.

Item Sidon. Apollinar. in Panegyr. Avit.

Sauromatam taceo, ac Moſchum, ſolitoſque cruentum Lac (potare Getas.)

Quod indicio eſt, Scythas omnes & Sarmatas, & Moſchos, proceſſu temporis, vel ſua ſponte, vel ab aliis expulſos, longius, proceſſiſſe, & ultra Pontum Euxinum, circa Mæotim paludem ſedes fixiſſe: ibi enim & *Cimmerii*, certiſſima Gomeri ſoboles, jampridem conſederant: unde & Boſporo nomen *Cimmerio* fecerunt. Hos circa Colchidem in Scytharum regione cum Georgianis, juxta Caſpium mare, habitaſſe, Plinius tradit. Strabo autem lib. XI. cap. 494. *Fuit quodam tempore*, inquit, *magna Cimmeriorum in Boſporo potentia, qui &* κιμμερικὸς βόσπορος *Cimmerius Boſporus ab iis dictus fuit. Hi ſunt qui regiones continentis a dextra Ponti ſitas uſque ad Joniam incurſionibus vexaverunt. Atque hos quidem Scythæ iſtis e locis expulerunt: Scythas Græci, qui Panticapeum & alias in Boſporo urbes eo condiderunt.* Idem de antiquis Cimmeriorum incurſionibus lib. 3. cap. 627. *Captas ait Sardes Calliſthenes primum a Cimmeriis, deinde a Treribus & Lyciis: idque etiam Callinum elegiarum Scriptorem oſtendere: poſtremo in Croeſi & Cyri poteſtatem veniſſe. Quum autem Callinus dicat, Cimmerios in Eſioneas impreſſionem feciſſe, qua Sardes ceperunt, conjicit Scepius, Jonice eum Eſioneas Aſioneas dixiſſe, ideſt Aſios: quod nimirum Meonia dicta eſſet Aſia; quomodo & Homerus loquitur:*

Aſius eſt ubi campus, ad alta fluenta Cayſtri.

Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι καΰστρίυ ἀμφὶ ῥέεθρα.

Eadem repetit lib. 14. cap. 647. *Antiquitus evenit Magnetibus, ut funditus a Treribus delerentur, gente Cimbrica* (κιμμερικῦ ἔθνυς) *quæ diu lætis uſa eſt ſucceſſibus. Deinceps Mileſii locum obtinuerunt. Callinus quidem ita meminit Magnetum, ut qui rebus adhuc ſecundis uterentur, & in bello contra Epheſios rem feliciter gererent. Archilochus videtur jam cognitam habuiſſe eorum calamitatem, celerius plorare jubens Magnetum mala: unde etiam colligi poteſt fuiſſe eum Callino poſteriorem. Aliam antiquiorem impreſſionem Cimmeriorum Callinus memorat, his verbis:*

Νῦν

Νῦν δ' ἐπὶ κιμμερίων ϛράτος ἔρχεται ὀμβ:ιμοέργον

At nunc Cimmeriorum exercitus imminet atrox,

in qua de Sardibus captis docet. Tandem quum varias variorum de Cimbris, Germaniæ populis extremis ad Septentrionem in Cimbrica, ut vocant, Cherſoneſo habitantibus, ſententias idem Strabo lib.7. cap.293. retuliſſet ac rejeciſſet, Poſidonium laudans, hæc ex ipſo ſubnectit: *Idem non inepta conjectura colligit, Cimbros homines fuiſse prædones ac vagos armiſque ad Mæotin uſque locum progreſsos: & fuiſse ab iis Cimmerium Boſporum denominatum quaſi Cimbricum, quum Græci Cimbros Cimmeriorum nomine afficiant*: κιμμερίυς τὺς κίμβρυς ὀνομασάντων τῶν ἑλλήνων. At longe verior videtur ſententia, Cimmerios, Gomeri filios, & locis Pontum Euxinum, ubi habitabant, primum a Scythis, hoc eſt, a Tibarenis, Moſchis, aut aliis populis, ejectos, in Tauricam Cherſoneſum fuiſſe progreſſos: inde vero, trajecto etiam Boryſthene & Viſtula, uſque ad eam peninſulam excurriſſe, quam de ſuo nomine *Cimbricam Cherſoneſum* appellant: quamquam de hujuſcemodi gentium migrationibus, quæ omne tempus ſuperant, certum quid definiri nequeat: ac proinde idem Strabo lib. 12. cap. 573. optime pronunciat: *Poſt bellum Trojanum, Græcorum migrationes, tum Trerum, Cimmeriorum, Lydorum, Perſarum deinde: Macedonum, & ad extremum Gallorum irruptiones, conturbaverunt omnia atque confuderunt. Obſcuritatis vero cauſam non mutationes dumtaxat præbuerunt, ſed & Scriptorum diſſenſio, de iiſdem non eadem dicentium.*

IV. An Moſchi & Moſcovitæ a Moſchis populis appellationem ſortiti?

Dixerit quiſpiam, ſicut Cimmerii Cimbros, aut viceverſa, condiderunt, quamquam immenſum quantum Taurica a Cimbrica Cherſoneſo diſtet; ita *Moſchi* inter Colchos, Iberes, & Armenios olim poſiti populi, *Moſchæ* urbe, & flumini *Moſcho*, in Ruſſia magna ſatis, nomen dederunt, unde poſtea dicti *Moſchi* ſeu *Moſcovitæ*. Hanc *Moſcovitarum* originem ambabus, ut ajunt, ulnis amplectitur Kulcinius in Appendice pag.104. ubi Plinium laudat de monte *Tauro* lib.5. cap.27. hæc ſcribentem: „ Reſilit ergo „ ad Septentrionem, flexuſque immenſum iter quærit: quin etiam „ confractus, effugiens quoque maria, plurimis ſe gentium no„ minibus hinc & illinc implet, & a dextra Hyrcanicus, a læva „ Moſchicus dicitur. *Tum ſubdit*: En clarum de Moſcis teſtimo„ nium: quos etiam memorat Lucanus lib.3. affineſque eos Sar„ matis facit, dicens, *ſævique affinis Sarmata Moſchis*. Scripſit

„ iſte ſub Nerone, & ab eo fuit necatus „. Mox ſæculi quinti Scriptorem profert Sidonium Appollinarem „ qui celebrat, *inquit*, metrice Sauromatas ſeu Sarmatas, iiſque finitimos Moſcos „ quibus utpote Ruſſis, Sarmatarum nomen deberi, in confeſſo „ eſt apud omnes.

V. A Moſcho fluvio, & Moſcha urbe dicti Moſchi & Moſcovitæ.

Verum, etiam fieri potuerit, ut *Moſchi* populi, Cholchis olim finitimi, in Ruſſiam magnam migraverint, ibique & flumini *Moſcho*, & urbi *Moſchæ* nomen dederint; nullo tamen Auctoris antiqui teſtimonio conſtat, id *Moſchorum* nomen genti Ruſſicæ ante annum Chriſti 1300. hæſiſſe. Et Ptolemæus quidem præter Moſchos populos ſupra laudatos, *Moſchum* fluvium memorat in Myſia ſuperiore, ex Orbelo monte in Danubium fluentem: inquiens, παρ' ἣν ἐκτρέπεται Μόσχιος ποταμὸς, *juxta quam* (urbem Tricornium a Singidimo ſpatio XIV. M. P. diſtantem) *divertitur* (ſive ut Cellarius emendat, ἐκχεῖται) *flumen Moſchium*. Mela autem de Moſchis tantum populis meminit, quos ſupra ex Strabone laudavimus. Sic lib. 1. cap. 2. „ Super Scytas Scytharumque deſerta, ac ſuper Caſpium ſinum, Comari, Maſſagetæ, Caduſii, Cyrcani, Iberi: ſuper Amazonas & Hyperboreos, Cimerii, Scythæ, Heniochi, Georgi, Moſchi „. Et cap. 21. de loco, ubi Phrixi templum in Colchide & lucus fabula vetere velleris aurei nobilis: „ Hinc orti montes, longo ſe jugo, „ & donec Riphæis conjungantur, exporrigunt: qui altera parte in Euxinum, & Mæotida, & Tanaim: altera in Caſpium pelagus obverſi, Ceraunii dicuntur: iidem alibi Taurici, Moſchi, „ Amazonici, Caſpii, Coraxici, Caucaſii, ut aliis aliiſque appoſiti gentibus, ita aliis aliiſque dicti nominibus „. De Moſchis vero populis, ſive Moſcha urbe, ſive fluvio Moſcho in Ruſſia magna, nemo veterum meminit. Hinc Cromerus lib. 1. cap. 9. de Slavorum origine diſſerens: „ Modocas equidem populos, *inquit*, „ in Sarmatia Aſiatica apud Ptolemæum, Moſchicos, ſive Moſchios montes in Cappadocia ſive Armenia, apud eundem Ptolemæum, & C. Plinium reperio. Moſchenos etiam populos, „ & Moſchorum tractum, idem Plinius commemorat. Strabo „ quoque Moſchos populos Colchis finitimos eſſe ſcribit. Joſephus vero Hebræus Moſchinos populos, Cappadocas poſtea dictos, a Moſchim, ſive Moſoch Japeti filio, ut eſt in Geneſi „ apud Moyſen, oriundos eſſe, ſcriptum reliquit. Et Modocarum quidem nomen minus; Moſchenorum vero, ſeu Miſchinorum,

,, rum, ſive Moſchorum, admodum convenit iis populis, qui
,, nunc in Europæa pariter & Aſiatica Sarmatia, longe lateque im-
,, perantes, Slavica lingua utuntur, & Moſchi Latine, Moſcovi-
,, tæ Germanice, Slavonice vero Moſqua appellantur. Et a mul-
,, tis quidem ſæculis ii ſedes illas tenent, quod eorum ipſorum
,, Annales teſtificantur: ſed hoc nomen Moſchorum non ita pri-
,, dem uſurpare cœperunt, nec univerſe primum, ſed unus de
,, multis populis, a flumine & arce Moſqua, ita dici cœptus eſt,
,, ex eo fere tempore, quo poſt diviſum in multos principatus
,, Ruſſorum ejus regionis imperium, Johannes quidam Dux Da-
,, nielis filius (quemadmodum Vir gravis ac diligens, Sigiſmun-
,, dus Herberſteinius, Regis Ferdinandi Conſiliarius, in Moſcho-
,, via ſua, ex ejus gentis Annalibus compertum, nuper memo-
,, riæ prodidit:) & territorio præfuit, & inſtaurata arce, quæ mo-
,, dica & obſcura ante fuerat, ſedem ibi ſuam conſtituit. Cujus
,, poſteri quum ſubactis proximis quibuſque ejuſdem nationis
,, atque linguæ Principibus, principatum ſuum longe lateque di-
,, lataſſent, tum demum cæteri quoque Ruſſorum populi longe
,, majores, antiquiores, & nobiliores, quam Moſchi ad eam diem
,, fuerant, nempe Wladimirienſes, Novogrodenſes, Jaroslavien-
,, ſes, Twerenſes, Moſaiſcenſes, Suſdali, Piskovienſes, Reza-
,, nenſes, Severienſes, & alii, ut quique devicti ſunt, in Moſcho-
,, rum nomen abiere: ſic tamen, ut cuncti pariter Ruſſorum no-
,, men libenter etiamnum agnoſcant. Itaque olim Kiovenſis Me-
,, tropolites, & nunc Moſchicus etiam, Ruſſiæ Metropolites,
,, cum ab aliis, tum a Patriarcha Conſtantinopolitano vocatur:
,, & ipſe hunc titulum, velut ampliorem & auguſtiorem, quam
,, Moſchoviæ, uſurpat. Et vero ipſi quoque Moſchorum Princi-
,, pes non tam Moſchorum, quam Ruſſiæ totius dominatum in
,, inſcriptionibus, quamquam falſo, ſibi arrogant. Unde liquet,
,, nec antiquum eſſe Moſchorum nomen: & Ruſſorum partem,
,, ac unum quendam populum eos eſſe, ab arce & oppido, quod
,, maximis terrarum ſpatiis a priſcorum illorum Moſchorum ſive
,, Moſchinorum tractu abeſt, non ita pridem appellationem mu-
,, tuatos.

VI. Communis auctorum ſententia de Moſcovitarum Moſcorumque Etymologia.

Hanc ipſam Moſchorum ſeu Moſchovitarum etymologiam ab urbe Moſcha, vel fluvio Moſcho petitam, tradunt communiter Scriptores. Paulus Jovius in lib. de *Legatione Moſcovitarum* ad Clementem VII. Pontificem Maximum: ,, Iis maxime finibus Mo

„ ſchovitæ ex omni parte claudantur, quos Modocas amne haud „ dubie ſic dicti, qui & regiæ urbi, quam interfluit, ſuum quo- „ que nomen indiderit „. Joannes Fabri de Moſcovitarum religione ad Ferdinandum Archiducem Auſtriæ. „ Quoniam urbs „ eſt illis regalis totius provinciæ, Moſcovia dicta, unde & Mo- „ ſcovitæ nomen acceperunt, vel, ut aliis placet: veluti Vola- „ terrano; a fluvio Moſcovii, utcumque derivaveris hoc modo, „ non admodum retulerit, dummodo nominis ratio liquida fiat „. Paulus Oderbornius in Joannis Baſilidis magi Moſcoviæ Ducis vita ad Henricum Julium Epiſcopum Alberſtadenſem lib. 1. „ Natus eſt, *inquit*, Baſilides in celeberrima urbe Moſchovia, quæ „ toti imperio dat nomen, ac inter Scythas & Ruſſos ſummam „ obtinet claritatem. *Et mox*. Hunc maximum Scythiæ tractum „ Moſchoviam recentiores vocant, vel a Moſoch, vel a Moſqua „ flumine appellatione ſumpta. Quamquam nec deſunt alii, qui „ ad hujus vocis defenſionem veterum ſententiam ex Argonauti- „ co carmine adducunt. Plinio autem, & Ptolemæo hi populi „ Roxolani, Straboni Roxani dicuntur, qui quondam adverſus „ Mithridatis Eupatoris Duces dimicarunt. Nunc Ruſſos, & Mo- „ ſchovitas dicimus. *Et paulo poſt*. Moſchorum genti urbs Mo- „ ſchovia hoc nomen dedit, ipſa a parvo Moſqua fluvio in re- „ gione Thwerenſi nato ſic dicta „. Demum Hofmanus v. *Moſcha*. „ Moſcha ſeu Moſcua, Gallis *Moſcow*, caput, Moſcoviæ, „ urbs perampla, emporium celebre, ad Moſchum fluvium. *Et* „ *de hoc fluvio*. Moſcus, ſeu Moſcha, vulgo *Moska*, fluvius Ruſ- „ ſiæ Albæ, ſeu Moſcoviæ. Oritur in Tuverenſi provincia, 70. „ milliaribus Ruſſicis ſupra Moſaiſcum, a quo ad Metropolim „ Moſcuam 90. milliaria ſimilia ſunt, ſex autem milliaribus ſupra „ Moſaiſcum navigabilis eſſe incipit. Hinc Moſcuam urbem ri- „ gat & dividit, atque infra Columnam in Occam ſe exonerat „. De Moſcovia vero regione. „ Moſcovia nomen habet ab urbe „ Moſcua, non a Moſcis populis ultra mare Euxinum, Colchis fi- „ nitimis. *Et paucis interjectis*. Addo, quod ſic Ruſſia Alba dici „ cœpit (ſcilicet *Moſcovia*) a quo circa annum 1325. Georgius „ (*imo Joannes*) ſedem Imperii ex urbe Uladimiria in urbem „ Moſcoviam tranſtulit: quamvis nihilominus Uladimiria ad „ hunc uſque diem, primum in magni Ducis titulo locum obti- „ neat, ſecundum demum Moſcovia tenente.

Cauſam & tempus tranſlatæ Uladimiria Moſcuam regiæ Ruſ- ſorum

VII. Cur ex urbe Uladimiria Moſcham translata Ruſſorum Regia?

ſorum ſedis, exponit Herberſteinius in *Chorographia Principatus dominii Magni Ducis Moſcoviæ*. quam erudito *Rerum Moſcoviticarum commentario* ſubjungit. Ibi enim de Moſcovia provincia, urbe, & fluvio diſſerens; *Hoc caſtrum*, inquit, *roboribus tantum initio circumdabatur: atque ad magni Ducis Johannis, Danielis filii, tempora uſque, parvum ac ignobile erat. Is enim Petri Metropolitæ ſuaſu, primus ſedem imperii eo tranſtulit. Nam Petrus amore Alexii cujuſdam, qui ibi ſepultus claruiſſe miraculis dicitur, eo loci ſedem ſibi prius elegerat: eoque mortuo, atque ibidem ſepulto, quum ad ejus tumulum miracula pariter fierent, locus ipſe religionis ac ſanctitatis quadam opinione adeo celebris factus eſt, ut poſteri Principes omnes, Johannis ſucceſſores, ibi Imperii ſui ſedem habendam eſſe duxerint. Nam mortuo Johanne, ejuſdem nominis filius ſedem ibi retinuit: ac poſt eum Demetrius; poſt Demetrium Baſilius, is qui ducta Vuitoldi filia, Baſilium cæcum poſt ſe reliquit. Ex quo Johannes, ejus Principis Pater, apud quem oratorem egi (qui primus caſtrum muro cingere cœpit) natus eſt: cui operi triceſimo ferme anno poſt, ſupremam manum ejus poſteri impoſuere. Ejus caſtri propugnacula Baſilicæ, cum Principis Palatio, ex latere ab omnibus (a) Italis, quos propoſitis magnis præmiis Princeps ex Italia evocaverat, Italico more extructa ſunt. Multæ autem, ut dixi, in hoc ſunt Eccleſiæ, ligneæ ferme omnes, quarum altera Divæ Virgini, altera Divo Michaëli eſt ſacra. In templo Divæ Virginis ſepulta ſunt duorm Archiepiſcoporum corpora, qui ut Principes eo ſuam Imperii ſedem transferrent, ibique Metropolim conſtituerent, auctores fuere: eamque maxime ob rem in divorum numerum ſunt relati. In altero Templo Principes vita defuncti humantur: conſtruebantur, nobis præſentibus, plura etiam templa ex lapide.* Fallitur Herbeſteinius, quum ſcribit *Petrum amore Alexii cujuſdam, qui ibi* (in urbe Moſcua) *ſepultus claruiſſe miraculis dicitur, eo loci ſedem ſibi prius elegerat*: Fallitur, inquam: nam Alexius Petro ſupervixit, non Petrus Alexio: Petrus

1 *Italis*. Paulus Jovius de legatione Moſcovitarum. „ Singulæ regiones ſingula habent ſacella; ſed conſpicuo in loco templum eſt Deiparæ Virgini dicatum, celebri „ ſtructura, atque amplitudine, quod Ariſtoteles Bononienſis mirabilium rerum artifex, & machinator inſignis, ante 60. annos exſtruxit. *Et max*. Arx ipſa cum turribus ac propugnaculis admirabili pulchritudine, Italorum architectorum ingenio conſtructa eſt. Antonius Poſſevinus de reb. Moſcoviticis pag. 3. „ Arces Moſcus duas „ Principis hujus (*Joannis*) parens Baſilius ædificari juſſit, Mediolanenſi architecto, „ Italis operariis. Extat ejus rei memoria Latinis literis ſupra arcis portam, ſub imagine pia Beatiſſimæ Virginis;

Digitized by Google

trus ſiquidem Ruſſorum Metropolita fuit ab anno 1307. Alexius autem ab anno 1364. mediante inter ipſum & Petrum Theognoſto: Vide Kulcinium in *Catalogo Archiepiſcoporum Kiovienſium ac Metropolitarum totius Ruſſiæ*, Par.3. Specim. Eccleſ. Ruthenæ pag.117. & ſeq. qui cauſam etiam affert, cur non Regia tantum, ſed etiam Metropolitica ſedes Moſcuam fuerit a Joanne Danielide translata: quia nimirum Kioviam, Ruſſiæ tunc Metropolim, Gediminus Lithuaniæ Dux, Ruſſis eripuerat: *Sub hoc Metropolita Petro*, inquit Kulcinius pag. cit., *cecidit dominium Ruſſorum: nam Gediminus magnus Lithuaniæ Dux anno* 1319. *lecto ingenti exercitu, occupavit Voliniam, & occiſo ejus Domino Uladimiro, profligatiſque Kiovienſi, Luceorienſi, Breſtenſi, cæteriſque Ducibus, totam Ruſſiam ſubjugavit. Ab hoc tempore igitur extinctum eſt nomen Ducum Kiovienſium: ex ruinis tamen debellatæ Ruſſiæ natum eſt dominium Moſcoviticum. Joannes enim illius Danielis, de quo paulo ante dictum, filius ſe tranſtulit, Moſcuam, ibidemque ſedem Imperii fixit: hinc dicti Moſci, ſeu Moſcovitæ, qui ſubſequentibus temporibus, armis ac opibus ſatis inclaruere. Ornavit exordium naſcentis Moſcorum dominii S. Petrus Metropolita, quum Moſcuæ manere cœpiſſet, & multis præclare geſtis, ibidem ſancte obiiſſet.* Idem in ſerie Chronologica magnorum Ruſſiæ ſeu Moſcoviæ Ducum, pag.120. *En habes lector primum Moſcoviæ Ducem: hic enim Joannes, Georgii frater, Danielis vero filius, tranſtulit ſedem principatus Uladimiria Moſcuam, quam urbem quum dilataſſet, magnificiſque ædificiis ac propugnaculis exornaſſet, excitavit quoque templa inſignia. Quamobrem S. Petrus Metropolita Kiovienſis, qua amœnitate loci, qua pietate Principis pellectus fixit & ipſe in renovata urbe ſuam reſidentiam, quam tamen ſucceſſores ejus non continuarunt, ut videre poterit in Chronologia Archiepiſcoporum Kiovienſium.* Non igitus Petrus Metropolita Kiovienſis auctor fuit Joanni Ruſſorum Duci, ut ſedem Uladimiria Moſcuam transferret, neque ipſe Moſcuæ antea ſedem fixerat; ſed Joannem Moſcuam migrare ob Lithuanorum incurſiones coactum ſequutus eſt.

VIII. An Moſchorum nomen a Moſcho Principe.

Porro quam lepida eſt *Moſcovitarum* origo, quam nonnulli Polonicarum rerum Scriptores tradunt. Eraſmus Vitellius Epiſcopus Plocenſis in oratione ad Cæſarem Maximilianum habita die 20. Auguſti anno Domini 1518. ob victoriam a Sigiſmundo Poloniæ Rege contra Ruſſorum Ducem ann. 1518. relatam, Moſchos

ſchos nunc *Roxolanas* appellat, nunc *Hamaxobitas*. Jodocus autem Ludovicus Decius in lib. de vetuſtatibus Polonorum, fabuloſas Beroſi antiquitates incautus deſcribens, inter cætera de Moſchis hæc habet: *Anno Nembroti 25. Tuyſcon Sarmatas maximos populos fundavit, & paulo poſt a Moſco Principe, coloniarum Moſci in Aſia ſimul & in Europa fundati*. Nugæ ex Annio deſumtæ.

IX. Prima Moſcovitarum apud Græcos appellatio.

Quamquam medio fere quartodecimo ſeculo Dux Ruſſorum Joannes Danielides, Sede Imperii in urbe Moſcua conſtituta: Moſchis, ut ſupra diximus, ſeu Moſcovitis primam appellationem dederit; hoc tamen nomine nuncupatos Ruſſos non invenio ante Laonici Chalcocondylæ tempora. Chalcocondylas Turcicæ gentis hiſtoriam, ab Othomano Orthogulis filio, qui circa annum 1300. regnare cœpit, uſque ad Mahometem II. qui Conſtantinopolim anno Chriſti 1453. occupavit, & deinceps uſque ad annum 1464. quo Auctor in vivis erat, decem libris Græce expoſuit. In tertio autem libro, ubi Temiris adverſus Scythas expeditionem deſcribit, diverſa Scytharum genera eſſe teſtatur, eorum nempe, qui Regi Poloniæ & magno Duci Lithuaniæ parent & qui ſub Tartaris Præcopenſibus ſeu Crimeæ tyrannis degunt, & qui Moſcovitarum magnis Ducibus ſubjiciuntur: *Scytharum*, inquit, *genera ſingula habitant ſeparata ab reliquis. Pars* (a) *quædam ejus gentis relicta cis Iſtrum, ſub Cazimiro Lituanorum Rege degit. Eandem regionem etiamnum tenent, ſtrenue operam navantes ſuo Regi in bellis, quæ cum finitimis gerit. Genus enim iſtud hominum quocumque acceſſerit, primas in rebus bellicis tenet, fortitudiniſque gloria emicat. Qui* (b) *ante Boſphorum & Tauricam inſulam, quæ dirimit Mæotim paludem, & Pontum Euxinum, accolunt, imperio Atziceriis reguntur; ſubegerunt autem Gothos, & Januenſes urbem Capham inhabitantes, ut cogerentur tributum pendere. Etiam Sarmatiæ quædam pars huic regi tributaria eſt. Sarmatæ* (c), *qui incolunt regionem verſus Euxinum Pontum & Oceanum, magnum Scytharum Regi, qui in Agora regni ſedem habet, tributum pendunt jam inde ex illo tempore, quo in Sarmatiam populabundi curſitantes, partim hominum, partimque aliarum rerum prædas egerunt: eamque diu obtinuere, impoſito tributo, quod ſingulis annis magno Scytharum Regi tribue-*

a Sarmatia, quæ Ruſſia, ſub Rege Poloniæ, & magno Duce Lituaniæ.
b Tartari Præcopenſes in Taurica Cherſoneſo;
c Moſcovia. Ruſſia.

Digitized by Google

bùerent. Sarmatia a Scythis paſtoribus ἀπὸ Σκυθῶν τῶν Νομάδων *uſque ad Dacos & Lituanos ſe fundit. Sarmatæ Illyriorum linguam in uſu habent plerumque: victu, moribuſque, & Christiana religione, magis Græcos ſequuntur; nec perinde ipſis cum Pontifice Romano convenit. Habent Græcum Epiſcopum, cui in Religionis ritibus auſcultant. Vivendi rationem, moreſque Græcorum imitantur. Suppellectilis apparatu repræſentant Scythas Sarmatæ qui loca verſus Euxinum Pontum,* ἀπὸ λευκοπολίχνης, *ab urbe Leucopolichna* (Leopoli) *tenent; plerumque non Regibus, verum Ducibus utantur,* τό τε Μοσχόβιόν τε, καὶ Κίεβος, καὶ Τοφάρι, καὶ Χωρόβιον, *Moſcoviorum, Kiovenſium, Tofarienſium* (Tweverienſium) *& Chorobiorum urbes a tyrannis reguntur, tributumque ſolvere coguntur Nigræ, ſic appellatæ, Sarmatiæ,* ἐς τὴν μέλαιναν Σαρματίαν... *Eam autem Sarmatiam, quæ ſub Septentrione colitur,* Σαρματίαν καλοῦσι, *Albam Sarmatiam appellant.*

X. Moſcovii,& Ruſſi magno Tartarorum Regi quondam vectigales.

Quod ait Chalcocondylas, Sarmatas Ruſſos, ſeu Moſcovios, & alios Ruſſiæ Albæ Duces, *magni* Scytharum Regis, qui in Agora ſedem habet, tributarios eſſe, id ex Herberſteinio confirmatur, qui in commentario Rerum Moſcoviticarum pag. 6. *Moritur,* inquit, *Vvolodimerus anno Mundi 6633.* (hoc eſt, Chr. 1125.) *nec poſt eum filii ejus, neque nepotes quicquam poſteritate dignum, uſque ad tempora Georgii & Baſilii, geſſerunt, quos Bati Rex Tartarorum bello vicit, intermitque; Vvolodimeriam, Moſcoviam, atque bonam Ruſſiæ partem exuſſit, & deprædatus eſt. Ab eo tempore, anno ſcilicet Mundi 6745.* (Chr. 1237.) *uſque ad præſentem Baſilium* (qui ab anno 1506. Ruſſis imperare cœpit) *omnes fere Ruſſiæ Principes Tartarorum non ſolum tributarii erant, verum etiam Tartarorum arbitrio Ruthenis ambientibus ſinguli Principatus deferebantur.* Et pag. 64. *Bathi Tartarorum Rex magna manu a meridie in ſeptentrionem egreſſus, Bulgariam, quæ ad Vvolgam infra Cazan eſt, occupavit. Anno dein ſequenti, qui erat 6745. ſequutus victoriam, in Moſcoviam uſque pervenit, urbem regiam aliquandiu obſeſſam, per deditionem tandem accepit; ſed fide, quam dederat, non ſervata, omnibus cæſis, ultra progreſſus, vicinas provincias, Vvolodimeriam, Pereaslaw, Roſtow, Suſdali, compluraque caſtra & oppida, cæſis aut in ſervitutem abductis inhabitatoribus, excuſſit: Georgium magnum Ducem inſtructo exercitu ſibi occurrentem profligavit, & occidit: Baſilium item Conſtantini, captivum ſecum abduxit interemitque. Quæ*

omnia

Digitized by Google

omnia, ut ſupra dictum eſt, anno Mundi 6745. geſta ſunt. Ab eo tempore omnes fere Ruſſiæ Principes, a Tartaris inaugurabantur, illiſque parebant, uſque ad Vvitoldum magnum Lithuaniæ Ducem, qui provincias ſuas, & quæ in Ruſſia occupaverat, a Tartarorum armis fortiter defendit, viciniſque omnibus terrori fuit. Magni autem Duces Vvolodimeriæ & Moſcoviæ, uſque ad modernum Baſilium Ducem, ſemper in preſtita ſemel Tartarorum Principum fide & obedientia permanſerunt.

CAPUT V.

Slavi indigenæ in Scythia, & Sarmatia: Advenæ vero in Germania, Polonia, Bohemia, Pannonia.

Quærit Laonicus Chalcocondylas, quum unus idemque ſit Illyriorum ac Ruſſorum in Moſcovia habitantium ſermo; utrum e Sarmatia in Illyricum, an ex Illyrico in Sarmatiam ſint profecti? Σαρμάτας δὲ φωνῇ διαχρῶνται παραπλησίᾳ τῇ Ἰλλυριῶν, τῶν ἐς τὸν Ἰόνιον παροικούντων ἐς τοὺς Ἐνετούς, ὁπότεροι μὲν τούτων παλαιότεροι, καὶ τὴν ἑτέρων ὁπότεροι τούτων ἐπινέμονται, ἢ Ἰλλυριοὶ, ἐπένεικα τῆς Εὐρώπης διαβάντες, Πολανίαν τε καὶ Σαρματίαν ᾤκησαν, ἢ Σαρμάται δὴ ἐπὶ τάδε τοῦ Ἴστρου γενόμενοι, τήν τε Μυσίαν, καὶ Τριβαλῶν χώραν, καὶ δὴ καὶ Ἰλλυριῶν, τὴν πρὸς Ἰόνιον ἄχρι δὴ Ἐνετῶν ᾤκησαν, οὔτε ἄλλου τινὸς ἐπυθόμην τῶν παλαιοτέρων διεξιόντος, οὔτ᾽ ἂν ἔχοιμι πάντῃ ὡς ἀληθοῦς διασημήνασθαι. *Sarmatarum lingua ſimilis eſt Illyriorum, Jonium ad Venetos uſque accolentium. Utri autem horum vetuſtatis prærogativa gaudeant, & utri alterorum regionem teneant, an videlicet Illyrii in iſtam Europæ partem recedentes, Poloniam & Sarmatiam incoluerint; aut an Sarmatæ ad hæc Iſtri loca adeuntes, Myſiam & Tryballorum Illyriorumque regionem, qua verſus Jonium patet uſque ad Venetos, inhabitarint; neque quemquam audivi veterum commemorantem, nec ipſe poſſum ea quam veriſſime explicare.* I. Utri vetuſtiores, Sarmatæ, Slavi, an Illyrii?

Variant hic Scriptorum ſententiæ. Sunt enim, qui Slavos, Vandalos & Germanos eſſe volunt: qui proinde, quum anguſtas in Polonia, Moravia, Bohemia, & Ruſſia haberent ſedes, novas in Pannonia quæſiverint, indeque in Dalmatiam & Illyricum perrexerint. Alii e contrario, Slavos ajunt e Septentrionalibus ultra II. Variæ de Slavorum origine ſententiæ;

Mæotim paludem locis in Illyricum advenientes, inde Pannoniam tranſgreſſos, & uſque ad Poloniam atque Sarmatiam fuiſſe progreſſos. Nec deſunt, qui Illyriis & Dalmatis nativam eſſe linguam Slavonicam volunt, adeoque eos populos indigenas eſſe Slavos. Ita & ſentiunt nonnulli de Venedis, quos Slavos fuiſſe conſtat.

III. Blondus affirmat, Slavos e Mæotide palude in Germaniam profectos: quorum pars, quæ ibi manſit, appellationem poſtmodum Polonorum ac Bohemorum acceperit: pars in Dalmatiam & Iſtriam invaſerit.

Blondus Forolivienſis libro primo primæ decadis hiſtoriarum de Vandalis & Burgundionibus mentionem faciens, ita memoriæ prodidit. *Facta eſt poſtmodum alia in dictis gentibus mutatio. Siquidem Vandali a fluvio regionis ſic dicti, paulo poſt quam illi, quos Stilico concitavit, patria erant profecti, ſed Slavos dixere, a nomine gentis, quæ a Boſphoro Cimmerio in Tanaim fluvium habitare ſolita, ſe contulit in ſedes Vandalorum Burgundionumque patria profectorum. Nec tamen diu tenuere hi populi eam Slavorum nominationem: ſed quum eorum pars Mauricii Imperatoris temporibus in Dalmatiam Illyricumque emigraſſet; qui manſerunt domi, paulo poſt mutarunt nomina, & partim ſe Polonos, partim Bohemos nominavere.* Et lib. 8. de illa Slavorum in Dalmatiam & Iſtriam invaſione ſcribens, ita prodidit. *Nec tamen omnis illa gens reliquit primas ad Danubium ſedes: quin iidem mutato nomine magnam obtinent partem illius regionis. Siquidem loquutionis ſimilitudo ac pene proprietas oſtendit, eos qui nunc Poloni & Bohemi dicuntur, ex Slavorum reliquiis fuiſſe. Incoluerant autem prius, ut ſupra docuimus, ea loca Vandali: quos credendum eſt, quando ad invadendas Romanorum provincias ſunt profecti, partem gentis in patria reliquiſſe. Quare Slavi paulo poſt ſupervenientes, ita loquutiones commiſcuere, ut ex utraque tertiam effecerint, quæ pro regionis & Ducum diverſitate partim Bohemica, partim Polonica poſtmodum ſit dicta. Sunt etiam certiores proximis in regionibus Slavorum reliquiæ apud Saxones, quorum coloni majori ex parte puram habent, qua Dalmatæ utuntur, Slavonicam loquutionem.* Hactenus Blondus, qui non obſcure oſtendit, Slavos Vandalos non eſſe; Vandalorum tamen nomine fuiſſe appellatos, eo quod eorum ſedes occupaverint: tempus etiam & locum deſignat, quo primum, & unde in Vandaliam, Saxoniam, & Germaniam, Dalmatiamque & Illyricum advenerint, nempe a Cimmerio Boſphoro ac Tanai quæ loca Geographi omnes Rhoxolanis & Sarmatis attribuunt.

Nec omnino diſſentit ab his Jornandes. Is enim quum c. 5. Sla-

Digitized by Google

Slavinos & Antas,& univerſam Venedarum nationem ad ſiniſtrum latus Sarmaticorum montium ab exortu Viſtulæ in Aquilonem per immenſa ſpatia conſediſſe memoraſſet, quod & nos ſupra oſtendimus, addit: Slavinos quidem ab exortu Viſtulæ uſque ad Dnnaſtrum commorari, & paludes ſylvaſque pro civitatibus habere: Antas vero, fortiſſimos eorum, qui ad Ponticum mare curvantur, a Danubio uſque ad Danaſtrum extendi. Sive autem Danaſter (ut recte Cromerus obſervat Polonicar. rer. lib. I. cap. XI.) is eſt, quem etiam nunc accolæ Ruſſi & Valachi *Neſtrum*, ſive *Dneſtrum* vocant, & multi *Tyram* antiquis dictum eſſe volunt: ſive *Boryſthenes*, medii ævi Scriptoribus *Danapris* dictus, ut ipſe Jornandes velle videtur: dubium non eſt, eam oram fere Ruſſia, Sarmatia quidem certe, contineri: adeoque Slavos e Sarmatia illa in Vandaliam primum, Saxoniam & Germaniam adveniſſe, indeque in Poloniam, Bohemiam, Hungariam, ac demum in Dalmatiam & Illyricum fuiſſe progreſſos. Hæc eſt Blondi ſententia.

IV. Blondo conſonat Jornandes.

V. Crantius opinatur, Slavos e Sarmatia in Poloniam Moraviam, Bohemiam, Ruſſiam, primum migraſſe; poſtea ſub Conſtantino magno in Pannoniam: demum ſub Mauricio in Dalmatiam.

Crantius etiam ſcribit, Slavos regionem ſuam ab omni memoria ad Sarmaticos campos tenuiſſe: & quum anguſtæ eis eſsent ſedes in Polonia, Moravia, Bohemia, Ruſſia, novas a Conſtantino magno in Pannonia impetraſse, indeque imperante Mauricio in Dalmatiam & Illyricum profectos eſse.

VI. Slavi indigenæ in Scythia & Sarmatia: advenæ in Germania, Polonia, Bohemia, Dalmatia, Illyrico.

Verum, præterquamquod iſta quæ Crantius de Slavis ſcribit a Conſtantino magno ſedes in Pannonia impetrantibus, non Slavis, ſed Vandalis conveniunt, teſte Jornande cap. 22.; ſi originem, mores, linguam Slavorum ſpectemus, dubitandi nullus relinquitur locus, quin ii in Scythia & Sarmatia, de quibus ſupra, indigenæ ſint; advenæ vero, in Germania, Polonia, Bohemia, Pannonia, Illyrico, Dalmatia. Et primum ad Germaniam & Poloniam quod ſpectat, Martinus Cromerius lib. I. cap. 14. & ſeq. quum Æneæ Sylvii, aliorumque opiniones retuliſset, aſserentium, e Croatia ſive Pannonia Slavos in Poloniam migraſse; oſtendit primo, fabuloſum eſse quidquid de Polonis & Bohemis, e Zecho & Lecho, filiis aut nepotibus Javani, aut certe ex propinqua poſteritate ejus & Noe, progenitis, non multo poſt diluvium e Croatia ſive Pannonia in Bohemiam & Poloniam commigrantibus traditur: neque enim de proſapia eorum a veteribus Græcis & Latinis, ac ne ab ipſis quidem Slavis, quicquam memoriæ proditum eſt: deinde demonſtrat, neque ante Juſtiniani tempora Slavicam

Digitized by Google

gentem, Croatiam, aut Dalmatiam, aut Slavoniam tenuiſse; ac ne Pannoniam quidem; multo minus eam Germaniæ partem, qua nunc Polonia fere, Sileſia, Moravia, Bohemia, Luſatia, & Pomerania continetur: ad Conſtantini enim primi tempora Poloniam a Germanis habitatam fuiſse: nec eſse Germanos populos, qui nunc Bohemiam & Poloniam tenent. Tertio docet, ante Mauricii Imperatoris tempora Poloniam a Slavis fuiſse occupatam, non quidem e Croatia, ſed e Septentrionali inter Viſtulam & Boryſthenem plaga advenientibus. *Certior nobis teſtis*, inquit, *erit Jornandes, qui quum ante Mauricii tempora hiſtoriam ſui temporis ſcripſerit, Slavorum & Slavinorum mentionem faciens, ad ſiniſtrum latus Sarmaticorum montium & ad Viſtulam fluvium, qui nunc Poloniam interluit, habitare eos memorat. Per quæ tempora Dalmatiam, Illyricum & Iſtriam infeſtatas quidem, ſed nondum habitatas fuiſſe a Slavis, ex hoc ipſo Jornande, Divo Gregorio, & Procopio comprobatur. Procopius quoque memorat, Juſtiniano regnante, Erulos a Longobardis devictos, partim in Illyrico conſediſse; partim quum Iſtrum flumen haudquaquam trajicere ſtatuiſſent, Slavinorum gentem prætereundo, quum in loca deſerta evaſiſſent, ad Varnos primum, deinde ad Dacias, hinc ad Oceanum perveniſſe, eoque trajecto, in Thule inſula conſtitiſſe. Unde apparet Illyricum quidem tunc adhuc Sclavinos non tenuiſſe; tenuiſſe autem ea loca, quæ Eruli ab Iſtro, qua is Illyrico proximus eſt, per Daciam (quæ eadem Dania eſt ad Oceanum, ac Thulen verſus Septentrionem proficiſcentes, præterire neceſſe habuerunt: Non igitur probabile eſt, e Croatia tunc Lechum & Zechum cum Slavis in Bohemiam & Poloniam veniſſe. Ac ne ex Pannonia quidem: quippe quam ante Valentis imperium a Vandalis, mox a Gothis, deinde uſque ad Marcianum Imperatorem ab Hunnis habitatam: poſt Attilæ vero mortem a Gothis, ſive Oſtrogothis recuperatam eſſe, ex his ipſis Procopio & Jornande conſtat: deinde vero circa Juſtiniani tempora Longobardis ſubactam, & poſt quadraginta duos annos ab his ipſis, in Italiam populariter commigrantibus, ſub pacto Hunnis relictam eſſe, ex Paulo Diacono notum eſt: quod quidem paulo ante Mauricii tempora factum eſſe, dubium non eſt: quo tempore Slavos jam ad Viſtulam habitaſſe, paulo ante oſtendimus. Manifeſtum eſt igitur, neque e Croatia, neque e Pannonia tunc, aut etiam prius eos populariter veniſſe in hanc horam, multo minus poſterius, Quamquam enim regnavere poſtea Slavi*

in

in Pannonia, ſubjugatis, ut reor, Hunnis, qui pauci poſt Attilam ibi remanſerant, uſque ad Svaten ſive Svatibolugum, ſive Svatoplugum Marothi filium, qui poſt ſeptingenteſimum quadrageſimum annum a Chriſto nato, vel, ut alii volunt, longe poſterius, ab Hunnis vel Hungaris ex Aſia tunc venientibus devictus, fugiens Danubii verticibus hauſtus periit: ſed jam tunc longe ante habitata fuit Slavis Polonia. Quin iſtum ipſum ſive Suaten, ſive Suatoplugum nonnulli Scriptores Polonum, alii Moravum fuiſſe memorant: Slavum quidem vel ipſa etymologia prodit. Quarto negat etiam, e Polonia in Dalmatiam Slavos veniſſe: *Cæterum*, inquiens, *ne Blondo quidem & Crantio aſſentimur in eo, quod e Polonia & Bohemia Slavos in Dalmatiam & Illyricum veniſſe volunt. Poteſt enim probari e Procopio, & Sabellico, Traciam & Macedoniam velut viciniores, ab iis prius, quam Illyricum, & Iſtriam vexatas eſſe; e Polonia vero & Bohemia proficientibus hæ regiones prius ſeſe offerunt, quam illæ.* Poſtremo concludit, certius & probabilius eſſe, quod, quum oſtenſum ſit, e Ruſſia & Sarmatia Slavos in Moeſiam, Daciamque ac Pannoniam ſecundum citeriorem Danubii ripam penetraſſe: inde vero non ante Juſtiniani Imperatoris tempora, in Thraciam, Macedoniam, Dalmatiam & Illyricum inundaſſe: & aliquanto poſt demum, nempe circa Mauricii & Phocæ tempora, in iis oris certum domicilium fixiſſe, ante quod tempus jam eadem gens ad Sarmaticos montes & fontes Viſtulæ, ubi nunc eſt Polonia, habitabat: aliquanto prius autem Vandalos ex iis locis in Pannoniam, atque inde mox in Gallias, Hiſpanias, & Africam commigraſſe: conſentaneum ac prope neceſſarium eſt, tunc, vel certe paulo poſterius circa Attilæ tempora, eos populos, qui nunc Poloni & Bohemi dicuntur, progreſſos e Ruſſia & Sarmatia, itidem atque illos alios Slavos, vacuas aut certe infrequentes Vandalorum ſedes occupaſſe, indeque porro in interiorem Germaniam & Bohemiam arma protuliſſe. Et ſane minore longe negotio, citiuſque hac ſecundum dextrum latus Carpathi montis ad interiorem Germaniam, vacuam, aut certe ſemivacuam tunc, ſicuti modo diximus, ii penetrare potuerunt, a patria ſua profecti, quam in Slavoniam ac Dalmatiam longius a ſe diſtantes, & Romanorum Imperatorum armis defenſatas.

VII. Vandalos non eſſe origine Slavos: neque viceverſa.

Hinc etiam demonſtratur, Slavos non eſſe origine Vandalos, quamquam in eam Germaniæ, vel alterius regionis partem invaſerint, quam olim Vandali tenebant: ut puta non modo utram-

Digitized by Google

que ripam Viſtulæ,& ſecundum Oceanum Germanicum uſque ad Cimbricam Cherſoneſum, ubi nunc Poloni, Sileſii, Caſſubii, Pomerani, Maſovii, Pruſſi, & Vindi degunt; verum etiam alias quaſdam regiones, quæ Vandalis olim attributæ ſunt: nam Procopius, a Mæotide palude Vandalos, quos ipſe Vandilos vocat, prodiiſſe, indeque in Francos Germanos impetum feciſſe ſcribit in libro de bello Vandalico: & Jornandes in libro de rebus Geticis tradit, eos quodam tempore ea loca tenuiſſe, quæ ab Oriente quidem Gothos, quos tunc in Dacia habitaſſe perhibet, ab Occidente Marcomannos, a Septentrione Hermunduros, a Meridie vero Iſtrum ſive Danubium finitimum habuerint. Itaque Slavi & Ruſſi, tametſi & ipſi circa Mæotim incoluere, & ad eam uſque paludem, Moſchorum modo imperium fere protenditur; ad ſeptentrionalem etiam Iſtri partem a Dacis, qui nunc Valachi ſunt & Moldavi & Tranſilvani, ad Bohemiam uſque, etiam nunc Raſciani, Serbi, Boſnenſes ac cæteri Slavi habitant; non tamen hinc neceſſario colligitur, hos populos eoſdem eſſe cum Vandalis, ſicut ne cum Dalmatis quidem & Illyriis, quamquam horum loca Slavi occupaverint. Nihil enim prohibet, diverſis temporibus diverſas gentes iiſdem in locis habitaſſe, ac uno etiam tempore amplam aliquam regionem, qualis eſt Scythia, non ab uno uniuſve nationis populo teneri. Conſtat autem & Mæotidis oram longe lateque patere: & quod ea navibus adita, notior eſſet Græcis & Latinis, interiora vero Sarmatarum incognita propter barbariem, eos loca remotiora etiam a Mæotide, de quibus auditu aliquid acceperant, ad Mæotim ſita eſſe exiſtimaviſſe, eademque cum Vandalis, tum Rhoxolanis, atque Slavis attribuiſſe. Item inter Dacas, Marcomannos, Hermunduros & Iſtrum, permagna locorum intercapedo eſt. Denique tractum eum, qui ſecundum Viſtulam, & mare Germanicum, Vandalis, & Vinidis ſeu Venedis tribuitur, multarum gentium capacem eſſe, dubium non eſt. Quamobrem facile eſſe a Procopio & Jornande aliiſque Scriptoribus deprehendere, quid de diverſis hiſce Vandalorum ſedibus ſentire debeamus: nempe eos a Mæotide profectos verſus Occidentem ſolem; ad Viſtulam in extrema ora Germaniæ conſediſſe, & cum alios Germanos, ut quique proximi erant, tum Francos bello vexaſſe: deinde vero ad meliores ſedes in Pannoniam, indeque in Galliam, Hiſpaniam & Africam denique commigraſſe. Cæterum, undecumque Vandali primo prodierint, ſive a Mæotide, uti ſcribit

Pro-

Procopius, ſive a Vandalo, hoc eſt Viſtula fluvio, uti alii volunt; certum eſt, eos a Slavis eſſe diverſos. Primum enim mores his gentibus diverſi ſunt. Ac Vandalos quidem (uti Cromerus lib. 1. cap. 5. obſervat:) ſub regibus ſemper fuiſſe, & molliſſimos atque delicatiſſimos eſſe, teſtis eſt Procopius. Idem vero Slavos Antaſque vitam duriorem & incultam neglectamque ducere, & ſordibus ſeſe ingurgitare, & incondita quædam tuguria longo ab invicem intervallo habitare, & ſingulos domicilii locum ſæpe mutare, indeque *Sporos* a Græcis cognominatos eſſe; nec ab uno aliquo eos regi, ſed plebeja communique libertate vivere, memorat. Deinde lingua penitus diverſa utuntur Slavi omnes, ab ea qua Vandali uſi ſunt. Conſtat ſane inter omnes, Vandalos Gothorum & Germanorum gentem fuiſſe, eademque lingua cum eis uſos fuiſſe. Teſtes ſunt ejus rei Eutropius, Paulus Diaconus, Jornandes, Procopius, & his omnibus antiquior Cornelius Tacitus. Crantius etiam citat ex Methodio Martyre Epiſtolam Vandalorum ad Conſtantinum Imperatorem, Germanos ſe eſſe profitentium. His adſtipulantur Ducum ac Regum ejus gentis nomina, quæ Germanicam originem atque etymologiam redolent: qualia ſunt Genſericus, Hunericus, Gildericus, Sigericus, quaſi ex anſerum, gallorum, auri, & victoriæ opulentia derivata: itemque Traſamundus, Gutamundus, Sigiſmundus, & alia ejuſmodi: quorum ſimilia etiam Gothi habuerunt & Burgundiones, qui & ipſi inter Vandalos numerantur. Slavicum vero vocabulum ne unum quidem quiſquam ex omni Vandalorum hiſtoria protulerit; niſi forte illa apud Albertum Crantium, Lubecæ, Roſtochii, Viſmariæ, Starogradi urbium nomina, quæ a Slavis poſt migrationem Vandalorum indita eſſe conſtat.

VIII. Slavi, Venedi, ſeu Vinuli, dicti, quod ſedes Venedorum occuparint.

Quod vero Slavi a Germanis etiamnunc *Vendi* ſeu *Vindæ* vocantur, ejuſdem linguæ & generis homines; non ſequitur, Slavos eoſdem eſſe ac *Vandalos*, aut antiquos *Venedos* ſeu *Vinidas*. Et quidem primo certum eſt, a Vandalis diverſos eſſe *Venedos*, quos Helmoldus lib. 1. cap. 2. antiquitus *Vandales*, ſuo autem tempore *Winithos* ſeu *Winulos* appellari teſtatur, eorumque ſedem fuiſſe inter fluvios *Odoram*, *Albiam*, *Panaim*, *Travenam*, a Pomeraniæ finibus uſque ad Wagirienſem provinciam, cujus civitas erat *Aldenburg*, Slavice *Starigard*, hoc eſt antiqua Civitas, dicta, in Occiduis partibus Baltici maris & in finibus Slaviæ ſita: certum eſt, inquam, Vandalos, de quibus ſupra ex Procopio, diverſos

eſſe

eſse a Venedis ſive Winulis, quos Jornandes *Venetos* & *Vinidas* vocat. Quum enim idem Jornandes Vandalos a Geberico Rege Gothorum profligatos, & ad paucitatem redactos, migraſse ex ſuis ſedibus, & a Conſtantino magno Imperatore in Pannonia novas ſedes impetraſse narraſset, unde poſtea in Gallias, Hiſpanias & Africam commigrarunt; mox Ermanarici, qui aliquanto poſt Gebericum apud Gothos regnavit, mentionem faciens, in Venetos eum arma moviſse, & quamvis abundante multitudine, victos tamen & ſubactos eos eſse memorat: ſtatimque adjicit, eos ab una ſtirpe exortos, tria tunc nomina rediiſse, ideſt Venetorum, Antarum, Slavorum, qui quamvis, inquit, nunc, ita facientibus peccatis noſtris, ubique deſæviant, tamen tunc omnes Ermanarici imperiis ſerviere. Hæc ibi Jornandes. Aliquanto autem ante his verbis ſcribit: *Introrſus illi* (Gepidarum genti ſcilicet) *Datia eſt, ad coronæ ſpeciem arduis Alpibus emunita, juxta quorum ſiniſtrum latus, quod in Aquilonem vergit, & ab ortu Viſtulæ fluminis per immenſa ſpatia venit, Vinidarum natio populoſa conſedit, quorum nomina licet nunc per varias familias & loca mutentur, principaliter tamen Slavini & Antes nominantur.* Ut manifeſte Vandalos a Venedis ſeu Vinidis diſtinguit; & his quidem in Aquilonem ſecundum Alpes, hoc eſt, Carphatum montem, a fontibus Viſtulæ ſedes attribuit, hoc eſt, in Sarmatia; Vandalos autem ad eam partem Viſtulæ, quæ Germanis citerior eſt, habitaſse conſtat. Præterea longe efficacius argumentum eſt, non eſse eoſdem Vandalos & Vinidas, quod poſt devictos & ad paucitatem redactos pulſoſque ſuis ſedibus Vandalos, Vinidas ſeu Venetos multitudine abundantes, ab iiſdem Gothis infeſtatos & ſubjugatos eſse ſcribit Jornandes. Illud vero longe efficaciſſimum, quod Vinidæ ſeu Veneti & Winuli, ab Helmoldo *Slavi*, ab aliis Germanicis Scriptoribus *Sclavi*, dicuntur, inque plures populos diſtincti, ut puta, *Obotritos*, *Cyrcipanos*, *Kycinos*, *Riaduros*, & alios: Sermone etiam a Germanis diverſi. Hinc eſt, quod de Godeſcalco Obotritorum Principe idem Helmoldus ſcribit lib. 1. cap. 20. *Igitur omnes Slavorum populi, qui ad Aldenburgenſem pertinebant curam, toto tempore, quo Godeſcalcus ſupervixit, Chriſtianam fidem devote tenuerunt. Sane magnæ devotionis vir dicitur tanto religionis divinæ exarſiſſe ſtudio, ut ſermonem exhortationis ad populum frequenter in Eccleſia ipſe fececerit, ea ſcilicet, quæ ab Epiſcopis vel Presbyteris myſtice dicebantur, cupiens Slavicis verbis reddere planiora.* Quod

Quod ſi quis cum Tacito *Venedos* quoque inter Germanos referre contendat, non magnopere repugnabo; dummodo is meminerit, fieri potuiſse, quod ſæpe aliis gentibus uſu venerit, ut Slavi, quos lingua moreſque arguunt Germanos non eſse, *Venedorum Germanorum* nomine jam tum Jornandis tempora etiam appellarentur, quum eorum ſedes occupaſsent: ſicut etiam noſtris temporibus, teſte Baudrandio, Illyricum hodiernum, quamquam a *Slavis*, non a Venedis, inhabitatum, quod proinde Italis *Sclavonia* dicitur, a Germanis tamen *Windenlandt*, hoc eſt, Winidorum regio, nuncupatur: eo nimirum, quia *Slavi* in Vinidorum provinciam invadentes, nomen quoque *Vinidorum* non ibi modo geſserint, ſed etiam in diſſitas a Germania terras, ab ipſis occupatas, diffuderint. Sic etiam Andalutii, hoc eſt *Vandali*, in Hiſpania hodieque dicuntur, qui certe a Vandalis ſunt diverſi: & Longobardi in Italia, qui a Longobardis ſermone differunt. Sane Paulus Diaconus lib. 1. de geſtis Langobardorum cap. 1. Germanos vocat *Gothos*, *Vandalos*, *Rugos*, *Herulos*, *Turcilingos*, & cap. 2. *Vvilinos* Germanis etiam accenſet, inquiens: *Pari etiam modo, & Vvinilorum, hoc eſt, Langobardorum, gens, quæ poſtea Italia feliciter regnavit, a Germanorum populis originem ducens ... ab Inſula, quæ Scandinavia dicitur, adventavit*: ac proinde quos Helmoldus *Vvinitos* ſeu *Vvinulos* appellat, *Slavoſque* eſſe dicit; eoſdem, hoc eſt, ejuſdem regionis quondam incolas, non Slavos, ſed Germanos olim fuiſſe affirmat Paulus Diaconus, & ipſe Langobardus, hoc eſt, *Vvinilus*, cui proinde de gentis ſuæ origine diſſerenti credendum eſt. Procopius autem Vandalicorum primo, *Vandalos* non minus, quam *Oſtrogothos*, quam *Vveſtrogothos*, quam *Gepidas*, populos eſſe dicit *Gothicos*, nominibus diſtinctos, origine ac moribus congruentes; linguam præterea ipſis eſſe Gothicas; neque ſe dubitare, quin olim una gens fuerint: ac ne temere id dixiſſe putetur, Gothicorum quarto rurſum Gothicis populis *Vandalos* accenſet, eoſque pariter cum Gothis e patria ſede, hoc eſt ab Oceani litore, ſeu Scandinavia peninſula, ad Mæotidem paludem veniſſe memorat. Ii autem qui Græcis *Vandili*, aliis *Vanduli*, *Vandalii*, *Vvandali*, Tabulæ veteri *Vandali*: Paulo Diacono ſunt *Vvinili*, Adamo Bremenſi *Vinuli*, aliis *Vvinuli*, mutatis vocalibus, ac D litera aut addita, aut extrita, quod crebrum Germanis. Hæc Grotius in ſuis prolegomenis ad hiſtoriam Gothicam, Vvandalicam, & Langobardicam:

IX. Quos Helmoldus Winitos ſeu Winulos appellat, ii Slavi ſunt, locum Winulorum occupantes, ac proinde etiam Vandali poſſunt appellari, quamquam a Vandalis diverſi.

mox ſubjungit: ,, Cæterum, ut dicam quod ſentio, rebuſque per
,, antiquitatem obſcuris, lucis quantum potero, adferam, non
,, credo aut Vvandalos, aut Suevos gentis eſſe nomen, ſed ſicut
,, Jazyges quidam dicti ſunt Metanaſtæ, & Latinis Sarmatæ Va-
,, gi ſic & Germanorum quoſdam arbitror non a ſeipſis, ſed ab iis
,, qui primi eorum vim ſenſere, dictos modo Suevos, modo Vvan-
,, dalos. Cur autem alii hoc, alii illo nomine, id cenſeo fortui-
,, tum, prout viſum eſt populis, quos attigerunt: nam voce &
,, hac & illa eos ſignificari, qui non certis ſe tenent ſedibus, ſed
,, nunc huc, nunc illuc ambulant, novere omnes, qui Germa-
,, nicum ſermonem ,,. Ut igitur ad id, unde digreſſus ſum, re-
,, deam; ſicut Vandali ſeu Vinidi, e patria egreſſi, ad Mæotidem
paludem venerunt, indeque Iſtro trajecto, in *Italia*, in Galiis, & in Hiſpaniis regnum diu tenuerunt; ita *Slavi Boryſthenem* & Viſtulam prætergreſſi, eam quam olim *Vinuli* tenuerunt juxta Balticum mare, regionem occuparunt, de qua ſic Helmoldus lib. I. cap. XI. ,, Ubi ergo Polonia finem facit, pervenietur ad ampliſſi-
,, mam Slavorum provinciam, eorum qui antiquitus Vandali,
,, nunc autem Viniti, ſive Vinuli appellantur. Horum primi ſunt
,, Pomerani, quorum ſedes protenduntur uſque ad Odoram, &
,, & mox alter fluvius, ideſt Odora vergens in boream, tranſit
,, per medios Vinulorum populos, dividens Pomeranos a Vilicis.
,, *Et mox*. Poſt Odoræ igitur levem meatum, & varios Pemera-
,, norum populos ad Occidentalem plagam occurrit Vinulorum
,, provincia eorum, qui Tholenzi, ſive Redarii dicuntur.

X. Legati Sclavorum ad Oceanum occidentalem habitantium ſub Mauricio Imperatore.

Qui olim Vandali, poſtea Vinili, ſive Vinuli ſunt dicti, eorum in locum ſucceſſerunt *Slavi*, eodem quoque ipſi nomine Vinulorum appellati, idcirco quod Vinulorum terras incolerent. Slavos tamen ſe ipſi, non Vinulos vocabant, quemadmodum conſtat ex Theophylacto Simocatta, qui libro 6. hiſtoriarum cap. 2. narrat, tres Sclavos cum citharis a Mauricio Imperatore captos & examinatos, qua gente oriundi eſſent, & quibus de cauſis Romana loca obirent, reſpondiſſe. ,, Se Sclavos eſſe, ad Oceanum Oc-
,, cidentalem habere ſedes, *οἱ δὲ, τὸ μὲν ἔθνος ἔφασαν πεφυ-*
,, *κέναι Σκλαβηνοὶ, πρὸς τῷ πέρατί τε τῶ δυτικῶ ᾠκηκέναι ὠκεανῶ*:
,, Chaganum eo Legatos ad colligenda auxilia cum muneribus
,, multis ad Principes gentis miſiſſe: Principes muneribus ſuſce-
,, ptis auxilia recuſaſſe, affirmantes itinerum longitudinem ſibi
,, onerosam ac moleſtam eſſe: & ſe, qui modo capti ſint, ad Cha-

,, gha-

„ ghanum miſſos, uti re ipſa illi reſpondeant: menſes quindecim
„ in itinere peragendo conſumſiſſe: Chaganum legis Legatorum
„ immemorem eorum reditum conſulto impedire: audiſſe Ro-
„ manos potentia & humanitate ſumma, quod dicere liceat, ade-
„ ptos claritudinem; opportunitatem proinde arripuiſſe, & in
„ Traciam revertiſſe. Citharam porro curare, quod arma tra-
„ ctare neſciant, quandoquidem ipſorum regio ferro careat; un-
„ de extra ſeditiones ac tumultus in pace ac tranquillitate ævum
„ degat „. Ita illi de Sclavis ad Oceanum ſitis, hoc eſt, Vinulis ſeu Venedis: qui tamen aliquot poſt ſæculis, quantum arma tractare didicerint, Helmoldus literis tradit.

CAPUT VI.

Slavi advenæ in Illyrico & Dalmatia.

I. Slavos non eſſe Dalmatas, neque Illyrios.

REſtat de Dalmatis & Illyriis dicendum. Cromerus lib. I. cap. 4. his fere argumentis oſtendit, Slavos non eſſe Dalmatas neque Illyrios. Ptolomæus in Geographia Appianus Alexandrinus in peculiari de Dalmatis & Illyriis libro, & alii Scriptores ante, & poſt eum, urbes earum gentium commemorant, ut *Segeſtam*, *Delminium*, *Salonam*, *Promonam*, *Terponum*, *Metulium*, *Scardonam*, *Jaderam*: fluvios, ut *Naronem*, *& Saum*, ſive Savum: populos, ut *Scordiſcos Triballos*, *Liburnos*, *Dardanos*, *Arentanos*: quorum nominum etymologia nihil commune habet cum lingua Slavorum, ſicut habet eorum, quæ poſterius ab ipſis Slavis indita, hodieque in uſu ſunt: nempe *Jaiza*, *Zagrabia*: *Chuz*: *Camennygrad*, *Belogradum*, *Novogradum*, *Cremen*, *Otocum*, *Jablanez*, *Gurca*, *Lipa* urbes & arces: *Reca*, & *Dobra* fluvii: *Craina*, regio ſive territorium. Unde apparet novam gentem poſt Ptolemæi & Appiani tempora in illis oris conſediſſe, veteribus habitatoribus vel pulſis vel ſubactis & pedetentim extirpatis, quæ nova nomina locis dederit, longe diverſa a veteribus.

II. Quo primum tempore Slavi in Dalmatiam & Illyricum invaſerint.

Quo autem primum tempore Slavi in Dalmatiam & Illyricum velut alienas ſedes, armis invaſerint, idem Cromerus ex Procopio demonſtrat. *Procopius*, inquit, *de bello Gothorum lib. I. cap. 29. ſic ſcribit. Diebus vero poſt viginti, quam Portum urbemque cognominem Gothi obtinuerant, advenere Martinus, & Valerianus, cum 1600. equitibus, quorum plerique Hunni erant, Scla-*

Sclaveni & Antæ, qui trans fluvium Iſtrum, non paocul a ripa, ſedes patrias habent. Libro autem tertio cap. 14. ſic. *Chilbudium Imperator Juſtinianus anno Imperii ſui quarto, militari Thraciæ magiſtro ornatum Iſtri fluminis cuſtodiæ præfecit, atque operam dare juſſit, ut amnis tranſitu Barbari in poſterum prohiberentur. Jam enim ſæpe Hunni, Antæ, & Sclaveni, trajecto fluvio, Romanos peſſime fœdiſſimeque vexaverunt. Chilbudium Barbari adeo reformidarunt, ut toto triennio, quo ibi cum poteſtate fuit, fluvio adverſus Romanos evadere nemo quiverit: imo vero Romani in adverſam continentem cum Chilbudio ſæpe tranſgreſſi, illius oræ barbaros affecerint ſtrage, & captivos inde abduxerint*. Nec multo poſt de iiſdem Sclavenis & conſanguineis eorum Antis memorans, *ulterioris ripæ Iſtri partem maximam tunc habere* ſcribit. Conſtat autem Dalmatiam & Illyricum cis Iſtrum eſſe Romanis & Conſtantinopolitanis. Aliquanto vero poſt, eodem lib. 3. cap. 29. idem Procopius ita ſcribit. *Sub idem tempus, Sclavenorum copiæ, trajecto Iſtro flumine, totum Illyricum, Epidamnum uſque, fœde vaſtarunt: obvios quoſque ſine ullo ætatis diſcrimine, partim mactantes morte, partim abducentes in ſervitutem, ac pecuniis ſpoliantes. Caſtella quoque regionis illius plurima, quæ firma prius videbantur, ceperunt nemine reſiſtente, ita ut circumcurſando, impune quovis penetrarent: quum illorum Duces collecto ad* XV. *millium exercitu ſic ſequerentur, ut proprius ad illos accedere non auderetur*. Hinc manifeſte apparet, diverſos tunc fuiſſe a Slavis Illyrios. Certe ipſi ſeſe tam immaniter non infeſtarunt, nec ea præſidia occuparunt, quæ prius ditione tenebant. Proſequitur ibidem idem auctor multa bella, & nonnulla prælia a copiis ac Ducibus Juſtiniani cum Slavis, cum alibi, tum in dalmatia minus proſpere geſta: memoratque eos non incurſantium & prædas agentium in morem ea loca infeſtaſſe, verum perinde ac domi hyberna habere jam tum cœpiſſe, nihil hoſtile reformidantes. Atque hæc ferme Procopius de Slavis. Georgius vero cognomento magnus, ejus nominis primus, Pontifex Maximus, qui aliquanto poſt Juſtiniani tempora, Mauricio imperante, circa ſexcenteſimum annum a Chriſto nato Eccleſiæ præfuit, ita ſcribit ad Epiſcopos Iſtriæ: *Equidem de Slavorum gente, quæ vobis imminet, & affligor vehementer, & turbor. Affligor in his, quæ in vobis jam parior. Conturbor, quia per Iſtriæ aditum jam in Italiam intrare cœperunt*. Blondus verbis S. Gregorii, que modo retu-

retulit deſcriptis, hæc addit lib.8. primæ decadis. „ Quamquam „ vero Gregorius plura de hac Slavorum in Iſtriam irruptione „ non ſcribat, tamen nos compertum habemus, eam gentem, „ quam ultra Danubium ſedes habere, & Socerum filiumque „ Mauricii illis oppoſitos fuiſſe diximus, tunc primum oram „ Adriatici ſinus dextri litoris occupaſſe, & ita habitationem in „ ea continuaſſe, ut quicquid prius Iſtria & Dalmatia dicebatur, „ ad tempora uſque noſtra dicatur Slavonia „. Sequenti autem libro, Phocæ qui Mauricio ſucceſſit in Imperio, tempora perſequens, ita ſcribit. „ Per id etiam tempus Imperio Conſtantino„ politano tumultibus illis in Africa & Aſia agitato, Slavi, quos „ oſtendimus in Dalmatiæ & Iſtriæ ora conſediſſe, quæcumque „ propinquis in regionibus Imperio parentia invaſerunt, & mili„ tibus, quos Phocas præſidio impoſuerat, ſubita irruptione oc„ ciſis, omnem Dalmatiæ & Illyrici Adriatico adjacentis provin„ ciam ſubegerunt „. Hinc igitur ſatis jam conſtat, ſero Slavos in Dalmatia & Illyrico conſediſſe; nec eſſe eos Dalmatas, aut Illyrios: atque ita ne accomodari quidem Dalmatis & Illyriis poſſe ea, quæ de Slavorum origine, literis & memoriæ prodita ſunt. Hactenus vir eximius Cromerus.

III. Illyrici & Dalmatiæ fines.

Florente Romano Imperio, Illyricum, quod ſub Conſtantino Magno erat indiviſum & ab uno eodemque Duce vel Præfecto adminiſtratum; quum juxta Sextum Rufum *Provincias haberet ſeptem & decem; Noricorum ſcilicet duas, Pannoniarum duas, Valeriam, Saviam, Dalmatiam, Moeſiam, Daciarum duas: & in Diœceſi Macedoniæ provincias ſeptem; Macedoniam videlicet, Theſſaliam, Achajam, Epiros duas, Prævalim, & Cretam*; ſub Imperatoribus Arcadio, & Honorio in Illyricum Orientale, & Occidentale diviſum, cœpit per duos Magiſtratus adminiſtrari, ut conſtat ex Notitia Imperii Romani, in qua Orientale provincias ſeptem complectens, ſubjicitur Præfecto Prætorio Illyrici, & Occidentale in alias provincias decem diſtinctum, Præfecto Prætorio Italiæ. Sed quum de Slavis loquimur, alia eſt Illyrici diviſio: ea nimirum, quam antiqui Geographi Ptolemæus & Plinius tradunt, qui Liburniam Dalmatiamque Illyrico comprehendi volunt. *Illyrici longitudo*, inquit Plinius lib.3. cap.26., *a flumine Arſia ad flumen Drinium*: unde juxta Braudandium, *Illyricum proprium, regio eſt mari Adriatico ad meridiem expoſita, a Septentrione Pannoniæ contermina, Savo fluvio ſeparante, inter Iſtriam*

Iſtriam ad Occaſum, & Macedoniam & Moeſiam ad Ortum Andreas Dandulus in Chronico manuſcripto ad annum Chriſti 854. ubi de Svetopolco Rege Dalmatiæ agit, Dalmatiæ fines ſic deſcribit. *Eſt autem Dalmatia prima provinciarum Græciæ, quæ habet ab Oriente Macedoniam, ab Occaſu Iſtriam, a Meridie mare Adriaticum, & inſulas Liburnicas: & a Septentrione Pannoniam, quæ eſt pars Myſiæ. A plano itaque Dalmatiæ uſque ad Iſtriam, Croatiam Albam vocatis; & a dicto plano uſque Dyrrachium, Croatiam Rubeam: & verſus montana a flumine Drino uſque Macedoniam, Raſciam: & a dicto flumine citra, Boſnam nominavit.* Et mox. *Moderni autem maritimam totam vocant Dalmatiam: montana autem Croatiam.* Thomas Archidiaconus Spalatenſis in hiſtoria Salonitanorum Pontificum cap. 13. Dalmatiam & Croatiam ſic deſcribit. *Itaque fuerunt Regni eorum confinia: ab Oriente Delmina, ubi fuit civitas Delmis.. ab Occidente Carinthia verſus mare uſque ad oppidum Stridonis, quod nunc eſt confinium Dalmatiæ & Iſtriæ: ab Aquilone vero a ripa Danubii uſque ad mare Dalmaticum cum tota Maronia & Culmiæ Ducatu.* Paulo aliter Conſtantinus Porphyrogenitus de adminiſtrando Imperio cap. 30. & ſeqq. *Dalmatia*, inquit, *complectitur oram maritimam, quæ a Dyrrachii confinis, & ab Antibari, ad montes uſque Iſtriæ protenditur: in latitudinem vero, regiones illas omnes, quæ ab eadem ora maritima ad Danubium fluvium porriguntur.* Dalmatia hic a Porphyrogenito pro univerſo Occidentali Illyrico, præter Noricos, ſumitur, ut optime animadvertit Joannes Lucius de Regno Dalmatiæ & Croatiæ lib. 1. cap. 6. qui ſane Scriptor pluribus hoc ipſo libro loquitur de Illyrico, Liburnia, ac Dalmatia, & de variis terminis ac nominibus, quæ diverſis temporibus obtinebant. Dalmatia autem maritima, inquit idem Lucius, ſicut tempore Monarchiæ Romanæ in Japidiam, Liburniam, & Dalmatiam diſtinguebatur; Japidia ab Iſtria, Arſia; a Liburnia, Tedavio; Liburnia a Dalmatia, Titio; Dalmatia a Macedonia, Drino fluminibus diſterminatis; ita quando a Slavis occupata fuit, ſublatis his diſtinctionibus, ab Oriente Dyrrachio, ſive Drino flumine; ab Occidente Iſtria, ſive Arſia flumine; a Septentrione Albio, Bebio, & Ardio montibus; a Meridie mari Adriatico ſive Dalmatico terminabatur. Poſtmodum vero quum ferme tota Dalmatia occupata eſſet a Slavis, in Sclavoniam, ſive Croatiam, Serviam, & ipſam Dalmatiam diſtincta fuit; poſterioribus autem temporibus Ser-

Digitized by Google

Servia in Ramam, Raſciam, Boſnam, ipſamque Serviam diviſa fuit, quæ ſingulæ, diverſis tamen temporibus, Regio nomine decoratæ fuere. A recentioribus vero Scriptoribus ſicuti Savia, (regio ſcilicet inter Savam, & Dravam flumina) Sclavonia nuncupatur; ita apud Italos Dalmatiæ maritimæ nomen cum Sclavonia confunditur.

IV. Dalmatiæ populi & provinciæ, ex Conſtantino Porphyrogenito.

Cæterum Dalmatia, uti a Porphyrogenito deſcribitur; a variis populis culta & habitata fuit, iiſque varia nomina ſortitis, pleriſque Slavis, qui inclinante imperio has pervaſerunt Provincias, in hiſce aliquot conſtitutis ſubinde Toparchiis, quas Zupanias vocant. Harum prima *Diocleenſis*, ab urbe Dioclea nominata, complectitur omnem tractum, qui a Dyrrachii confinis ad Terbuniæ ſeu Trebinæ Principatum extenditur: ex continenti vero uſque ad Serviæ montes ſeſe porrigit. *Terbuniæ* Principatus a Cataro Oppido quod & Decateras appellabant, ubi Diocleenſis Toparchiæ fines erant, ad Raguſium uſque protenditur, a continenti Serviæ montanis adjacens. Hujus incolas *Canalitas* appellat Porphyrogenitus. *Zachlumorum* deinde ſequitur Principatus, qui a Raguſio ducens initium, ad Orontium uſque flumen tendit; qua parte Paganis conterminus eſt, ad continentem vero Serviæ; nomen a monte *Chlum* ſortitus, quaſi Chlumo monti ſubjacens. Porro ab Orontio fluvio incipit *Pagania* provincia, porrigiturque ad Zentinam fluvium; ſic appellata, quod a populis culta fuerit infidelibus, quos Slavi *Paganos* nuncupant. Dicta præterea a Romanis *Arenta*, & præter complura Oppida, inſulas aliquot complectitur, ut *Meletam*, *Curcuram*, *Bartzum*, *&* *Pharum*. Exin ſubſequitur *Croatia*, dicta *Chrobatia*, a Zentina fluvio initium ducens, quæ ſecundum oram maritimam ad Iſtriæ confinia & ad Album Oppidum excurrit; verſus montana aliquatenus etiam ſuper Iſtriæ Thema extenditur, ac verſus Zentinam & Chlebanam Serviæ regionem attingit. Dictus vero is tractus *Croatia baptizata*, ad majoris Croatiæ diſcrimen, quam *Albam* vocabant, & quæ longe poſt hanc, Chiſto nomen dedit. *Servia* deinde cæteros omnes tractus, qui hoſce Principatus inter & Bulgariam interjacent, complectitur, & ad Septentrionem quidem, Chrobatiæ propinqua eſt, ad Meridiem vero Bulgariæ. Subjungit Porphyrogenitus. *Ex quo dicti jam Sclavi inhabitarunt, finitima Dalmatiæ omnia occuparunt, urbeſque Romanorum inſulas colebant, ex iiſque vivebant: at quum quotidie a Paganis captivi abducerent.*

rentur, inſulas iſtas deſeruerunt, continentem colere volentes; verum a Chrobatis prohibebantur, quum nondum illis tributa penderent: nam ea quæ hodie pendunt, tunc Prætori, τῷ ϛρατηγῷ exhibebant; ſed quum vitam tolerare non poſſent, ad Baſilium illum præclarum Imperatorem acceſſerunt, eumque res a nobis commemoratas edocuerunt. Is itaque Imperator auctor fuit, ut ea omnia quæ Prætori ſolvebant, Sclavis darent pacis cauſa, & Pretori exiguum aliquid penderent, ad oſtendendam dumtaxat Romanis Imperatoribus, & ipſorum Prætori debitam ſubjectionem, ac ſervitutem. Atque ex illo tempore omnes iſtæ urbes (a) *Sclavorum tributariæ, pacta ipſis ſolvunt.* Τὸ μὲν κάϛρον ὁ Ἀσπάλαθος, νομίσματα σʹ. *Aſpalatus quidem caſtrum, nomiſmata* 200. Τὸ κάϛρον τὸ Τετραγγούριν, *Tetragurium caſtrum, nomiſmata* 100. Τὸ κάϛρον τὰ Διάδωρα, *Diadora caſtrum, nomiſmata* 110. Τὸ κάϛρον τὰ Ὄψαρα, *Opſara caſtrum*, 100. Τὸ κάϛρον ἡ Ἄρβη *Arbe caſtrum*, 100. Τὸ κάϛρον ἡ Βέκλα, *Becla caſtrum*, 100. *ita ut univerſim eſſent nomiſmata* 710. *excepto vino, & cæteris ſpeciebus diverſis, quas præter prædictam nomiſmatum ſummam exhibebant* Τὸ δὲ κάϛρον τὸ Ῥαούσιον, *cæterum Raguſium caſtrum, medium jacet inter has duas regiones, nimirum inter Zachlumorum regionem Terbuniamque: & habent Raguſini cives in utraque hac regione etiam vineas ſuas, penduntque Zachlumorum quidem Principi nomiſmata* 36., *Terbuniæ vero Principi, totidem.*

V. Quo tempore Slavi, Abares & Chrobati in Dalmatiam advenerint?

Idem Porphyrogenitus eodem libro paulo ante deſignaverat tempus & occaſionem adventus Sclavorum in Dalmatiam, appellans illos *Abares Sclavos, & Chrobatos Sclavos*. Sic autem ſcribit pag. 30. „ Antiquitus Dalmatia incipiebat a confiniis Dyrra-
„ chii, ſive ab Antibari, & ad Iſtriæ montes uſque pertingebat; in
„ latitudine vero ad Danubium flumen ſe extendebat: eratque
„ omnis ille finitimus tractus ſub Romanorum poteſtate, & præ-
„ ſtantiſſimum Thema omnium Occidentalium habebatur. Cæ-
„ terum a Sclavis occupata fuit hoc modo. Prope Aſpalatum urbs Sa-

a *Iſtæ urbes*. *Aſpalatum*, al. *Spalatum*, *Spaletum*, a Palatio Diocletiani, urbe dicta; de qua Anſelmus Bandurius in Animadverſ. ad Porphyrog. de Adm. Imper. edit. Pariſ. pag. 83. *Tetragurium*, Tragurium. Trau. Diadora, urbs Romanorum lingua, *Jam erat* nimirum *Jadera*, ſive Jadra, Civitas, hodie *Zara*, Slavis, *Zadar*. *Opſara*, hodie *Abſorus*, Italis *Oſero*. *Arbe* hodie Arba, Slavis *Rab*. *Becla*, Ptol. Οὐεγία, Plinio, *Vegium*, *Viglia* hodie, Slavis *Kirk*. *Rauſium*, Raguſina Civitas, *Lauſium* Græcæ dicta a λᾶας, *Lapide*, quod in loco prærupto ſita fuerit.

Digitized by Google

„ Salona eſt, a Diocletiano Imperatore (*a*) condita, quemad-
„ modum & Aſpalatus, ubi Palatium item ejus erat. Salonam
„ vero magnates incolebant, & magna populi multitudo. Atque
„ hæc urbs Dalmatiæ totius caput erat. Congregabantur itaque
„ quotannis ex reliquis Dalmatiæ urbibus equites, & mitteban-
„ tur Salona uſque ad mille ad flumen Danubium, ut ibi excubias
„ contra Abares agerent. Ad illam enim Danubii partem Abares
„ tum commorabantur, ubi hodie Turcæ degunt, nomadum in-
„ ſtar viventes. Venientes autem quotannis Dalmatæ, quum ſæ-
„ pe illic jumenta hominesque viderent, trajicere illis aliquando
„ viſum fuit, & inveſtigare, quinam ibi degerent. Quum itaque
„ trajeciſſent, Abarum feminas & pueros ſolos invenerunt, viris
„ & juvenibus ad expeditionem bellicam profectis. Unde ſubito
„ ingruentes, omnes ceperunt, nulloque accepto damno reverſi
„ ſunt, præda hac Salonam abducta. Abares autem ex bellica ex-
„ peditione reverſi, recognita conſternati quidem erant; at un-
„ de vulnus hoc ipſis inflictum eſſet, ignorabant. Quamobrem
„ obſervandum ſibi tempus ſtatuunt, & ab eo omnia diſcenda.
„ Poſtquam igitur pro more rurſum miſſi ſunt Salona præſidiarii,
„ & alii eſſent a primis, idem conſilium & ipſi ceperunt, traje-
„ ceruntque contra Abares. Incidentes vero in illos non ſparſos,
„ ut antea, ſed collectos, non ſolum nihil effecerunt, ſed omnium
„ graviſſima paſſi ſunt: quippe partim cæſi, partim capti fuere;
„ neque quiſquam fuit qui e manibus illorum evaderet. Percon-
„ tati vero quinam & unde eſſent, intellectoque ab ipſis, ſe mala
„ ſupra commemorata perpeſſos eſſe; inſuper de loci qualitate
„ inquirentes, quaſi ex auditu amore accenſi, in vinculis eos te-
„ nuerunt; & veſtibus eorum ſumptis, equiſque conſcenſis, flam-
„ mula & reliqua ſigna, quæ ſecum attulerant, tollentes more
„ exercitus, Salonam petierunt. Cognito igitur tempore, quo
„ a Danubio redire ſoliti erant præſidiarii, quod erat magnum

a *Salona. Aſpalatum: a Diocletiano Imp. conditum*. De Aſpalato quidem verum eſt; nam nihil aliud fuit quam *Palatium* a Diocletiano conditum. Sed de *Salona*, & *Dioclea* falſum eſt. Utraque enim urbs longe ante Diocletiani tempora ſtabat. Cæſar 3. civ. cap. 8. *A Salonis ad Orici Portum*. Et cap. 9. *Marcus Octavius cum iis quas habebat navibus, Salonas pervenit*. Mela lib. 2. cap. 3. *Salona, Jadera, Narona: Tragurium*. Strabo lib. 7. cap. 218. *Navale eorum* (Dalmatarum) *Salon*. Dio Caſſius lib. 55. pag. 568. *Bato Dalmata Salonem oppugnans*. Plinius: *Doclea, unde Docleatæ*. Aurelius Victor in Epitome: *Diocletianus Delmata, Anuli Senatoris Libertinus, matre pariter atque oppido Dioclea, quorum vocabulis, donec Imperium ſumeret, Diocles appellatus*. Ornavit itaque, ampliavit; non condidit.

„ Sabbatum, etiam eodem die venerunt. Multitudo autem omnis „ quum urbi appropinquaret, ſeſe occultavit; mille vero, qui „ equos & veſtes Dalmatorum ſumpſerant, ut fallerent, ulterius „ perrexerunt. Oppidani cognitis ſignis ſuis, & veſtitu, præte- „ rea die, quo redire ipſis ſolenne, portis apertis, gratulabundi „ eos exceperunt. Illi vero ſtatim ac intraſſent, portas occupant, „ & ſigno reliquis, qui in inſidiis erant, dato, accurrere ac in- „ gredi jubent. Interfecerunt itaque omnes cives; & ex eo tem- „ pore Dalmatiam univerſam occuparunt, ſedemque illic ſuam „ collocarunt, exceptis oppidulis mari adjacentibus, quæ ſeſe ipſis „ non tradiderunt, ſed in Romanorum poteſtate permanebant, „ eo quod ex mari victitarent „. Quænam hæc oppida mari adja- centia fuerint, idem Auctor exponit capite proxime anteceden- ti, his verbis: „ cæteri vero Romani in oræ maritimæ oppidis ſer- „ vati ſunt, eaque etiamnum tenent & ſunt iſta: Rauſium, Aſpa- „ latum, Tetragurium, Diadora, Arbe, Becla, & Opſara: eo- „ rumque habitatores in hodiernum uſque diem Romani nuncu- „ pantur „. Ibidem ſubjungit, iſtud factum temporibus Heraclii Imperatoris accidiſſe, inquiens: „ Ab Imperio autem Heraclii Ro- „ manorum Imperatoris, uti quum de Chrobatis & Serblis age- „ mus, dicturi ſumus, univerſa Dalmatia, necnon finitimæ illi „ gentes, Chrobati, Serbli, Zachlumitæ, Terbuniotæ, Canali- „ tæ, Diocletiani, ac Arentani, qui & Pagani nuncupati ſunt, „ ditioni Romanæ ſe ſubtraxerunt; quippe quum Romanum Im- „ perium per imperantium tunc temporis ignaviam atque ſocor- „ diam (maxime Michaëlis Amorienſis Balbi) tantum non expi- „ raſſet, qui Dalmatiæ oppida incolebant, ſui juris facti, neque „ Romano Imperatori, neque cuiquam alteri ſubjecti: itidem „ conterminæ illis gentes Chrobati, Serbuli, Zachlumitæ, Ter- „ buniotæ, Canalitæ, Diocletiani, & Pagani, excuſsis Romani „ Imperii habenis liberi, ſuiſque, non alienis legibus uſi ſunt. „ Principes vero, ut ajunt, hæ gentes non habent, præter Zupa- „ nos ſenes, quemadmodum etiam reliqui Sclavorum populi. „ Plurimi etiam ex his Sclavis non baptizabantur, imo diu baptiſ- „ mi expertes manſerunt. Imperante autem piiſſimo Imperatore „ Baſilio, legatos miſerunt, petitum, ut qui ex ipſis baptizati „ nondum eſſent, baptizarentur, eſſentque veluti ab origine Im- „ perio Romano ſubjecti. Horum precibus auditis beatus ille „ præclaruſque Imperator, Cæſarianum unacum Sacerdotibus

„ mi-

Digitized by Google

„ miſit, omneſque illos, qui in prædictis gentibus nondum bapti-
„ zati erant, baptizavit: baptizatis autem ipſis, tunc Principes
„ eis deſignavit, quos vellent eligerentque, ſtirpe quam maxime
„ diligerent, ac amarent. Atque ex eo tempore in hodiernum
„ uſque diem Principes ipſis ex eadem ſtirpe, & non aliunde eli-
„ guntur. Pagani autem, qui & Arentani Romanorum lingua
„ nuncupati ſunt, in locis inacceſſis atque præruptis baptiſmi ex-
„ pertes relinquebantur. Pagani quippe Sclavorum lingua, non
„ baptizati dicuntur. Deinceps vero etiam hi, miſſis ad eundem
„ præclarum Imperatorem legatis, petierunt baptizari; miſit ita-
„ que, & baptizavit. Deinde vero, ut antea dixi, per imperan-
„ tium ignaviam atque ſocordiam retro lapſæ ſunt res Romano-
„ rum, ac incolæ oppidorum Dalmatiæ ſui juris facti, neque Ro-
„ mano Imperatori, neque cuiquam alteri paruerunt.

Hæc quæ hactenus de Sclavis in Dalmatia dixit, clarius exponit idem Scriptor capite ſequenti, ubi poſtquam Abares Salonam occupaſſe narraſſet, ſubjungit. *Videntes itaque Abares pulcherrimam eſſe hanc terram, ſedes illic poſuerunt. Chrobati vero tunc habitabant ultra* (a) *Bagibariam, ubi nunc ſunt* (b) *Belochrobati. Una autem generatio, nempe quinque fratres, Clucas, Lobelus, Coſentzes, Muchlo, & Chrobatus, duæque ſorores, Tuga, & Buga, unacum ſuis populis deſcendens ab ipſis in Dalmatiam venit, ubi Abares incolas invenerunt; belloque per annos aliquot inter eos geſto, vicerunt Chrobati; Abarumque alios quidem interfecerunt, alios vero parere ſibi coëgerunt: atque ex illo tempore a Chrobatis poſſeſſa hæc regio fuit, ſuntque etiamnum in Chrobatia Abarum reliquiæ, & Abares eſſe cognoſcuntur. Cæteri vero Chrobati verſus Franciam* (c) *commorabantur, & appellantur hodie Belo Chrobati, ſive Chrobati Albi, qui proprio Principi ſubjecti ſunt. Parent autem Ottoni magno Regi Franciæ, quæ & Saxonia; baptiſmique expertes, affinitatem cum Turcis & amicitiam contrahunt. At a Chrobatis qui in Dalmatiam venerunt, pars quædam ſe-*

a *Bagibariam*: Slavum vocabulum Græce detortum, ideſt, *βάβια ὄρη* ſeu *Babil montes*, Slavi, *Babie Gore*, videlicet *Vetulæ*, vel Vetularum montes, quo nomine Carpathii montes Poloniam ab Hungaria diſterminantes, ab aliquibus nuncupantur. *Bandurius*.

b *Belochrobati*. Græce *χρωβάτοι*. Slave *Hruati*. Qui vero Græce hic dicuntur *Βελοχρωβάτοι, ἤγουν ἄσπροι χρωβάτοι* ideſt, *Albi Chrobati*, Slavi eidem *Bel. Hruati*.

c Hic *Franciam* Porphyrogenitus pro hodierna Germania ſumit, & *Turciam* pro Hungaria. Unde videtur innuere, Chrobatos a Sarmatia nunc Polonia dicta, veniſſe.

ſeceſſit, & Illyricum atque Pannoniam occupavit: habebantque etiam ipſi Principem ſupremum, qui ad Chrobatiæ tantum Principem amicitiæ ergo legationem mittebat. Per aliquot vero annos etiam in Dalmatiam incolentes Chrobati, Francis ſubjiciebantur, quemadmodum & antea, dum in ipſorum terra degeret. Tanta autem in eos crudelitate utebantur Franci, ut lactentes adhuc eorum pueros occidentes, canibus objicerent. Quæ res quum intolerabilis Chrobatis eſſet, facto diſſidio, Principes quos ex ipſis habebant, interemerunt; unde magnus contra eos exercitus movit e Francia, & poſt ſeptem annorum bellum, ægre tandem ſuperiores facti Chrobati, omnes Francos eorumque Principem Cotzelin e medio ſuſtulerunt. Et exinde liberi, ac ſui juris facti, ſacrum baptiſma a Romano Pontifice petierunt, miſſique Epiſcopi, ipſos baptizarunt, Principatum tenente Porino, ἐπὶ πορίνυ τῦ ἄρχοντος ἀυτῶν. *Diviſa autem eſt eorum regio* (a) *in Zupanias* XI. quarum nomina refert ibidem: mox ſubdit: *Et quidem prædicta Chrobatia cum reliquis Sclaviniis ita ſita eſt: Dioclea porro propinqua eſt Dyrrachii oppidis Eliſſo, & Helcynio, & Antibari, extenditurque Decatera uſque.* Et reliqua, ut ſupra deſcripta ſunt. Unde apparet, Dalmatiam a Conſtantino appellari *Chrobatiam cum reliquis Sclaviniis*, Χρωβατίαν, ϗ τὰς λοιπὰς Σκλαβινίας.

VI. De Chrobatis & Serviis, ex eodem Porphyrogenito.

De Chrobatis autem idem Porphyrogenitus cap. 31. hæc tradit. „ Chrobati, qui Dalmatiæ partes nunc inhabitant, a Chrobatis baptiſmi expertibus, qui & Albi appellantur, originem ducunt, qui ſane ultra Turciam prope Franciam incolunt, & Sclavis contermini ſunt non baptizatis Serviis, ϗ συνορῦσι Σκλάβοις ἀβαπτίςοις Σέρβλοις Chrobati autem dicuntur lingua Sclavorum, ideſt, terram multam poſſidentes. Atque hi ipſi Chrobati ad Romanorum Imperatorem Heraclium confugerant, antequam Servii confugiſſent ad eundem Imperatorem Heraclium, quo tempore Abares armis inde Romanos ejecerant, quos Roma adductos, Diocletianus Imperator illic habitare fecerat, unde & Romani nuncupati ſunt, quod Roma venientes, ſedes poſuiſſent in illis regionibus, nempe Chrobatia & Servia, uti nunc vocantur: ἤγυν τῆς νῦν καλυμένης Χρωβατίας ϗ Σερβλίας. „ Pul-

---

a *Zuppanias.* Bandurius. *Zupania* a *Zupa* deducitur, quod populum vel regionem aliquam populatam ſignificat. Sic in hac regionum & civitatum diſtributione Porphyrogenitus comprehendit Occidentalem Dalmatiam a Croatis tunc poſſeſſam, præter oppida maritima, quæ Romani vel Dalmatæ tenebant,

Digitized by Google

„ Pulſis vero Romanis illis ab Abaribus tempore ejuſdem Romanorum Imperatoris Heraclii, deſolata eorum regio jacuit: quapropter juſſu hujus Imperatoris iidem Chrobati armis arreptis Abares ex illis locis expulerunt, & in ipſorum terra, quam etiam hodie tenent, ſedes collocarunt. Erat autem Chrobatis illis tunc temporis Princeps Porgæ pater, εἶχον δὲ οἱ αὐτοὶ Χρωβάτοι τῷ τότε καιρῷ ἄρχοντα τὸν πατέρα τοῦ Πορνά Heracliuſque Imperator Roma per legatum Sacerdotibus accerſitis, conſtitutoque ex ipſis Archiepiſcopo, Epiſcopo, Præsbyteris, & Diaconis, Chrobatos baptizavit. Et tunc quidem temporis Chrobatorum Princeps erat Porga. Regio autem hæc, quam incoluerunt Chrobati, ab initio ſub poteſtate erat Romanorum Imperatoris; unde etiam in hodiernum uſque diem Palatia ac Hippodromus Diocletiani Imperatoris ſuperſunt in regione Chrobatorum, in urbe Salona, quæ eſt proxima urbi Aſpalatho. Hi autem Chrobati baptizati, extra limites propriæ terræ non libenter aliis bellum inferunt, idque quia oraculum quoddam ſive ſtatutum acceperunt a Romano Pontifice, qui ſub Heraclio Romanorum Imperatore Sacerdotes miſit, eoſque baptizavit.

Poſtremo de Serviis cap. 32. ſic ait. „ Sciendum eſt Servios oriundos eſſe a Serviis non baptizatis, qui etiam Albi cognominantur, & ulteriora Turciæ incolunt, in loco ab illis Boici nuncupato, cui finitima Francia eſt, uti & magna Chrobatia baptiſmi expers, quæ etiam Alba cognominatur. Illic igitur initio Servii hi habitabant. Principatu autem Serviæ a patre ad duos fratres devoluto, alter ſumpta populi parte dimidia, ad Romanorum Imperatorem Heraclium confugit, qui & excepto locum ad inhabitandum dedit in Theſſalonicæ Themate, qui ex eo tempore τὰ Σέρβλια, Servia nuncupantur. Serbli autem Romanorum lingua, δοῦλοι, Servi (*a*) dicuntur: unde Serbula vulgo ſervorum calceamenta appellantur: & Serbulianos illos vocamus, qui ita viliter ac pauperum in modum ſunt calceati. Servii autem inde ſic cognominati ſunt, quod Romanorum Imperatori ſervirent. Aliquanto vero poſt, viſum eſt Serviis in terram ſuam redire, & dimiſit quoque illos Imperator; ſed quum trajeciſſent Danubium flumen, pœnitentia ducti, per Prætorem qui

„ tunc

(*a*) *Servi*. Ita & ſentit Vvillelmus Tyrius lib. 20. cap. 4. Verum alia eſt prorſus hujus nominis etymologia: nimirum a Slavio *Srbsko*, quo regio illa, quam incolebant Slavi, indigitatur, unde Σερβλία & Σέρβλοι Græcis, *Servia* Latinis.

„ tunc temporis Belgradum adminiſtrabat, ab Heraclio Imperatore petierunt, aliam ſibi terram ad inhabitandum aſſignare vellet. Quumque ea, quæ nunc Servia Σερβλία, dicitur, & Pagania, quæque Zachlumorum terra vocatur, item Teburnia, & Canalitarum regio, quæ Imperatoris Romanorum ditionis erant, propter Abarum excurſiones, deſertæ eſſent, expulſis inde Romanis, qui nunc Dalmatiam atque Dyrrachium incolunt, regiones illas Serviis habitandas Imperaror dedit, cui etiam ſubjecti erant, a quo etiam baptizati fuere per Presbyteros Roma accerſitos, & pietatis opera edocti, antiqua fide accepta.

VII. Dalmatæ & Illyrii olim Romani fuerant, antequam Slavi in eas provincias inraderent

Hactenus Porphyrogenitus de Sclavis Illyricum & Dalmatiam occupantibus: ex quo hæc colligo. Primo, Dalmatas & Illyrios olim Romanos fuiſſe, ideſt, coloniam Romanorum illuc deductam non ſolum a Diocletiano Imperatore, uti Porphyrogenitus ſcribit, ſed etiam ante Diocletianum, Reipublicæ Romanæ tempore, ut patet cum ex ſcriptoribus, tum ex iſcriptionibus antiquis ac aliis monumentis, quæ in Dalmatia adhuc exſtare teſtatur Joannes Lucius de Regno Dalmatiæ ac Croatiæ lib. 1. & Anſelmus Bandurius Animadverſionibus in hunc ipſius Porphyrogeniti librum. Hinc Dalmatas, ſicut & cæteros Imperii Romani Provinciales, ab ipſis Barbaris, qui Imperium occuparunt, *Romanos* dictos conſtat, præſertim ubi ſedibus fixis Romanos conterminos habebant; & Diocleates Presbyter, Hiſtoriæ Dalmaticæ Scriptor, Dalmatas vocari teſtatur ſequiori ævo *Maurovulaſios*, ideſt, nigros Latinos, quos Joannes Lucius lib. 6. cap. 5. *Morlachios* nuncupat, qui ſcilicet Dalmatiæ oras maritimas incolunt.

VIII. E Slavorum genere eſſe Abares, Chrobatos, & Servios.

Secundo, tam Abares, qui pulſis Romanis Dalmatiam occuparunt, quam Chrobatos & Servios, qui iiſdem Abaribus ejectis aut deletis ibidem conſederunt, e Sclavorum gente fuiſſe. Porphyrogeniti de Abaribus verba hæc ſunt cap. 29. *Diocletianus Imperator ſummopere Dalmatiam amavit: quare etiam populi Romani colonias eo deduxit; populique illi Romani quoque nuncupati ſunt quippe qui Roma illuc commigraſſent; manetque iis cognomen iſtud ad hodiernum uſque diem*; ideſt, uſque ad ſeculum decimum, quo is auctor ſcribebat. Et mox. *Iſtorum autem Romanorum protendebantur termini ad flumen Danubium uſque: quod quum aliquando tranſmiſiſſent, diſcendi gratia, quinam trans Danubium habitent, invenerunt Sclavinos, qui & Abari nuncupati, gentem iner-*

Digitized by Google

inermem. Et poſt pauca. *Hac igitur permutatione multis annis facta, Sclavi qui trans flumen habitabant, qui & Abari dicti, re conſiderata, dixerunt inter ſeſe: Romani hi, ex quo primum trajecerunt, nunquam trajicere deſinent. Itaque aliquid contra machinemur. Hoc igitur conſilio, Sclavi ſive Abari, quum Romani aliquando flumen tranſmiſiſſent, poſitis inſidiis illos adorti, oppugnarunt, viceruntque: ac ſumptis eorum armis, vexillis, & reliquis ſignis bellicis, trajecto prædicti Sclavi flumine, ad clauſuram venere*. Ubique οἱ σκλαβοι οἱ Ἄβαροι, *Sclavi Abari*. De Chrobatis vero idem Porphyrogenitus cap. 30. poſtquam Abaribus e Dalmatia pulſis, Chrobatos regionem illam poſſediſſe narraſſet, de Chrobatia hæc ſubdit. *Et quidem prædicta Chrobatia* (ideſt Dalmati a Chrobatis culta) *cum reliquis Sclaviniis, ita ſita eſt*. Et mox. *Ex quo vero dicti jam Sclavi inhabitarunt, finitima Dalmatiæ omnia occuparunt*: ἐργάζοντο δ᾽ τὰ Κάςρα τῶν Ῥωμαίων τὰς νήσους, καὶ ἔζων ἐξ αὐτῶν *Romanorum autem caſtra, inſulas colebant, ex iiſque vivebunt: at quum quotidie a Paganis* (Chrobatis non baptizatis) *captivi abducerentur, & exterminarentur, inſulas deſeruerunt, continentem colere volentes: verum a Chrobatis prohibebantur, quum nondum illis tributa penderent: nam ea, quæ hodie Slavis* (ideſt Chrobatis ipſis Slavis) *pendunt, tunc Prętori exhibebant*. Et cætera, ut ſupra. Demum de Serviis cap. 31. *Chrobati, qui Dalmatiæ partes nunc inhabitant, a Chrobatis baptiſmi expertibus, qui & Albi appellantur, originem ducunt; qui ſane ultra Turciam prope Franciam incolunt, & Sclavis contermini ſunt non baptizatis Serviis*: καὶ συνορϐσι Σκλάβοις τοῖς ἀβαπτίςοις Σέρβλοις.

Tertio Gothos, ante Abaros, fuiſſe Dalmatia potitos ſub Juſtiniano Imperatore, ſcribit Procopius in libris de Bello Vandalico, & Gothico: quorum ſumma hæc eſt. Dalmatiam prius occuparat Marcellianus, Aëtio olim familiaris, Dalmatis ad defectionem pertractis: in eam deinde penetrantes hanc ceperunt Gothi Salonis etiam expugnatis. Contra hos miſſus a Juſtiniano Mundus anno Imperii IX. cum Gothis quos obvios habuit, præliatus, iis acie victis, Salonas recepit. Poſt acceptam autem a Gothis in Dalmatia cladem; Aſinarius, Grippa, aliique Duces in Dalmatiam venerunt: iiſque ad Salonas progreſſis, occurrit cum exigua manu Mauricius Mundi filius; & commiſſo acri inter eos certamine, hinc Gothorum primarii fortiſſimique, illinc Romani fere omnes.

IX. Gothi ante Abares Dalmatia potiti, iidemque a Photio Sclavi dicti, & a Simocatta.

Digitized by Google

omnes cum Mauricio ceciderunt: Mundus deinde, dum ad filii necem ulciſcendam progreditur, prælio inito vitam pariter amittit. Exinde Grippa Salonas recipit: contra quem miſſus a Juſtiniano Conſtantianus ſacri ſtabuli Comes, has rurſum capit, ut & reliquam Dalmatiam & Liburniam; Grippa cum Gothis ſeptimo poſt captas a Romanis Salonas die inde movente, & Ravennam redeunte. Verum haud multo poſt Aſinarius, & Uligislaus coacto circa Saviam & conſcripto exercitu, in Liburniam & Dalmatiam rurſum exſcenſu facto, Salonas, ſed fruſtra obſident, Conſtantiano has fortiter defenſante; quas longe poſtea, eodem imperante Juſtiniano, in Romanorum poteſtate fuiſſe, docet Procopius lib. 2. de Bello Gothico cap. 10. lib. 40. & lib. 4. cap. 21. 23. 26. Sed oppida alia interea obtinuiſſe in Dalmatia Gothos, ex eo colligitur quod Juſtiniano Dalmatia & Sicilia cedere ii obtulerint, lib. 4. cap. 24. his verbis: „ Sæpe enim ad eum (*Juſtinianum*) deſtinati „ a Totila (*Gothorum Rege*) Oratores, quum ad ipſius conſpe„ ctum admiſſi fuiſſent, demonſtraverant, maximam partem Ita„ liæ a Francis teneri, reliquam fere totam deſolatam eſſe; Sici„ lia, ac Dalmatia, quæ ſolæ reſtarent integræ, Romanis Gothos „ cedere: pro relicta ſibi ſolitudine tributum annuum ac vecti„ gal obtulerant, & in quoſcumque vellet Imperator, ſe belli ſo„ cios planeque ſubditos promiſerant „. At Imperator dicta reſpuens, Legatos omnes remiſerat, Gothorum nomen peroſus, & in animo habens illos ex Romano Imperio prorſus exterminare. Certe ex Italia exterminati ſunt ſub Juſtiniano Gothi; non tamen ex Illyrico & Dalmatia: nam idem Procopius in Hiſtoria Arcana cap. 18. hæc habet de Juſtiniani temporibus. „ Ante bellum Ita„ licum, Gothorum imperium ex Gallorum agro ad uſque Daciæ „ fines, ubi civitas Sirmium eſt, protendebatur. Cæterum quum „ Romanorum copiæ erant in Italia, Gallicani & Venetici agri „ magnam partem Germani occupabant: Sirmium vero vicinam„ que regionem Gepædes habebant. Totus hic terrarum tractus „ prorſus eſt mortalibus deſtitutus, partim bello deletis, partim „ lue morbiſve, quæ conſequi bella ſolent. Illyricum, Thraciam„ que totam, Græciam, Cherſoneſum, & omnes, quæ a fauci„ bus Jonii maris ad Byzantiorum uſque ſuburbana interjectæ re„ giones populiſque ſunt, ex quo tempore rerum potitus eſt Ju„ ſtinianus, Hunni, Slaveni, Antæ pene quotannis incurſioni„ bus crudeliſſime depopulati ſunt. Crederem Romanorum ſu-

„ præ

Digitized by Google

„ pra ducenta millia ſingulis irruptionibus, qua fuſa, qua in ſer-
„ vitutem abacta, ut in his provinciis, pene Scythicas ſolitudi-
„ nes videre ſit „. Hactenus Procopius. Dicloeates vero Presbyter in hiſtoria Dalmatica ſcribit, *Svevladum* ſeu *Svevdilavum*, ſub Juſtiniano, mediterranea Dalmatiæ tenuiſſe a Valdevino oppido, quod Vinodum hodie dicunt, uſque ad Peloviam vel Peloviatam, adeoque Boſinam, Dalmatiam, Croatiam, Valachiam, & Poloniæ partem: Selimirium autem illius filium, Scutarium oppidum, quod Scodram antea appellabant, occupaſſe, in eoque ſedem ſuam conſtituiſſe, ſcribit Petrus Luccarius in Raguſina hiſtoria lib. 1. addens, *Lechum*, *Cechum*, & *Ruſſum*, Selimiri uterinos fuiſſe fratres, quorum alter Poloniæ, alter Bohemiæ, tertius denique Ruſſiæ Regum initia dederint. Zonaras vero pag 55. & 56. edit. Reg. Pariſ. tradit, Bulgaros primo in Dalmatiam ſub Anaſtaſio Dicoro tranſiſſe, ſub quo in Illyricum facta irruptione Romanos fuderunt, quod ad annum 499. & 502. refert Marcellinus Comes. Alia deinde per Duces ſuos cum Bulgaris iſtis Dalmaticis bella geſſit Juſtinianus anno Imperii XII. & XIII. in quibus quum varia fortuna primo pugnatum eſſet, tandem fuſi ſunt Romani, quibus ſeſe adjunxerat Acumus, gente Hunnus, quem Illyrici Regem Cedrenus, Theophanes vero per Illyricum Magiſtrum militiæ fuiſſe, & a Juſtiniano e ſacro fonte ſuſceptum ait, quem in prælio captum ii abduxerunt. Ex quibus ſane eruitur, haſce Dalmatiæ conterminas regiones, a Regibus ex Hunnorum vel Gothorum gente, proindeque longe ante Heraclium Imperatorem, fuiſſe poſſeſſas. Gothos autem ipſos, & Hunnos, qui Dalmatiam & Illyricum occuparant, Sclavorum genti accenſet Photius in Synopſi Theophylacti Simocattæ lib. 3. his verbis: οἱ δὲ Γέται, ἤτοι Σκλαβοι, τὰ περὶ τὴν Θράκην ἐλυμαίνοντο, *Getæ ſive Sclavi, Thraciæ finitima incurſant*. Et lib. 7. οἱ δὲ ἕβδομος λόγος διαλαμβάνει περὶ τῆς γενομένης ἀταξίας ταῖς Ῥωμαίων δυνάμεσιν, ἀριστείας τε Ῥωμαίων κατὰ Σκλαβυνῶν, ἤτοι Γετῶν. Γέται γὰρ τὸ παλαιὸν ἐκαλοῦντο: *Libro ſeptimo agitur de turbatis Romanorum ordinibus, eorumdemque rebus fortiter geſtis contra Sclavos, ſive Getas: Getæ enim antiquitus appellati ſunt*. Hoc ipſum Simocatta de Getis ſcribit lib. 1. cap. 2. nam primo eos Slavos vocat, ſic:
„ Quarto die Petrus Dux Imperatorem Mauricium de ſeditione
„ certiorem facit, excedenſque Odeſſo, in lævam regionis viam
„ flectit, & Marcianopolim veniens, mille de ſuis exercitum

„ præcurrere jubet; qui in ſexcentos Sclavos, *ἑξακοσίοις Σκλαβηνοῖς*, præda Romana onuſtos, incidunt „. Deinde illos appellari Getas ſcribit. „ Barbari ut Romanos imminentes videntur, & ab iis viſi ſunt, ad captivos jugulandos prorumpunt, pubemque totam e medio tollunt. Quoniam vero occurſum Romanorum vitare ſe vix poſſe cernebant, vehiculis junctis pro vallo ſe circumſepiunt, pueros & mulieres in medium recipiunt. Romani Getis (hoc enim Barbaris nomen vetus erat) *οἱ δὲ Ῥωμαῖοι πεπλησιακότες τοῖς Γέταις (τοῦτο γὰρ τοῖς Βαρβάροις τὸ πρεσβύτερον ὄνομα)* propiores facti, manum conſerere cominus non audebant „. Quin etiam Abares illos, qui in Europa & Pannonia conſederunt, idem Simocatta lib. 7. cap. 7. & ſeqq. affirmat ab antiquis Abaribus eſſe diverſos. Quum enim Chaganum dixiſſet Abarum nationem in ſuam poteſtatem redegiſſe, ſubjungit: *Nolim autem quemquam opi nari, me hujus temporis res mala fide commemorare, dum ſentit, Abaros eſſe barbaros illos, qui in Europa & Pannonia ſedes habent, eoque ante Mauricii tempora advenerant*. Et mox. *Juſtiniano Auguſto imperium obtinente, ex hiſce gentibus Var, & Chunni (quæ in Oriente ad fluvium Tel*, ideſt Etel, ſeu Volgam, *accolebant) exigua pars a primævo genere illo profugiens, in Europam ſe intulit, qui ſe Abares, & Principem ſuum Chaganum honoris cauſa nominarunt. Qua vero occaſione nomina commutarint, nihil a veritate abeuntes, explicabimus. Sarſelt, & Unnuguni, & Sabiri, & inſuper aliæ gentes Hunnicæ, poſtquam partem Var, & Chumi ad loca ſua confugientem viderunt, ingenti metu perculſæ ſunt, quod advenas illos Abaros eſſe ſuſpicarentur. Quocirca ſecuritati conſultum cupientes, donis ampliſſimis eos coluerunt. Var itaque & Chunni, ut perfugium ſibi feliciter eveniſſe animadverterunt, errorem ſeſe honorantium non aſpernati, Abares dici voluerunt. Etenim inter gentes Scythicas ingenio omnibus antecellere Abares exiſtimantur*: Verum, utcumque confuſa fuerint nomina, non ſunt tamen confundendi populi. Alii enim ſunt, qui e Germania prodierunt, Gothi, Vandali, Heruli, Turcilingi, Rugi, Langobardi: alii qui e Scythia Orientali ultra Volgam, Hunni, Turci, Tartari: & alii, qui e Slavia proprie dicta & Ruſſia, Sclavi, Chrobati, Servii, Bulgari. Et hos quidem populos, meo judicio, non tam patria, & nomen, quam lingua diſtinguit. Triplex autem eſt: *Theotiſca* nimirum, eorum qui e Germania egreſ-

Digitized by Google

egreſſi ſunt: *Turcica*, eorum qui a Scytia Orientali: & *Slavonica*, cæterorum.

CAPUT VII.

Animadverſiones in Rerum Dalmaticarum Scriptores.

I. Quid Cangius, Lucius, & Bandurius de rerum Dalmaticarum Scriptoribus ſenſerint.

Cangius vir ille eximius, rerumque Byzantinarum illuſtrator diligentiſſimus, Familiis Auguſtis Byzantinis, *Dalmaticas*, *Sclavonicas*, *Turcicas* ſubjungens, primum quidem *Dalmatiam* in varias provincias ſub Imperatoribus Conſtantinopolitanis dividit: deinde *Reges Dalmatiæ* & *Serviæ* recenſet, ſecundum Conſtantinum Porphyrogenitum: quibus ſubnexit aliam *Dalmatiæ* & *Serviæ Regum* ſeriem, ſecundum Diocleatis Presbyteri hiſtoriam Dalmaticam. Sequitur ſeries *Regum Dalmatiæ & Croatiæ*: item *Bulgariæ*; nec non *Regum Boſniæ*; & *Deſpotarum Serviæ & Ruſſiæ*: demum aliorum Ducum, Comitum, & Toparcharum, *Spalatenſium*, *Sancti Sabæ*, *Chelmenſium*, *Zentæ*, *Draganzenſium*, *Joanninorum*, *Montis nigri*, *Uſcenſium*, *Caſtriotorum*, *Spanorum & Boccaliorum*: Quum vero in originibus, initiis, & geſtis eorum Regum & Principum non omnino conſentiant Scriptores Byzantini cum Dalmaticis ipſis ac indigenis Scriptoribus, & in Principum ipſorum nomenclatura rebuſque geſtis perſæpe inter ſe diſſideant, vir doctus utroſque conciliaturus, in hanc abit ſententiam, ut affirmet „ accidere interdum, ut duplici nomine do-
„ narentur Principes, patrio altero & cum terminatione genti
„ familiari, altero vero ſecundum Chriſtianorum uſum. Atque
„ id cauſæ fuiſſe fere exiſtimat, cur Hiſtoriæ Dalmaticæ ſcriptor
„ Presbyter Diocleates, quæ in annum 1161. deſinit, cum Por-
„ phyrogenito non prorſus conveniat: quum fieri poſſit, ut uter-
„ que de iiſdem Principibus ſub diverſis appellationibus ſermo-
„ nem inſtituerit „. Addit & alteram cauſam, cur Principum Dalmatiæ ac Serviæ ſeries alia ſit apud Diocleatem, nomina etiam, & ab his acta prorſus diverſa, inquiens: „ Quod inde accidiſſe
„ putaverim, quod Dalmatiæ continentis, & Dalmatiæ mariti-
„ mæ, interdum etiam Croatiæ Principes confuderit: nam qui
„ a Porphyrogenito hic recenſentur, continentis; qui vero a
„ Diocleate, & a Maruliano Scriptore, maritimæ Toparchæ vi-
„ dentur fuiſſe „. Mihi non eſt tantum otii, ut utroſque ad in-

vicem conferam. Contulit Joannes Lucius de Regno Dalmatiæ, & Croatiæ lib.2. cap.1. Contulit & Cangius in Familiis Dalmaticis & Sclavonicis; Contulit demum Anſelmus Bandurius in Animadverſionibus ad Porphyrogeniti librum de Adminiſtrando Imperio: & ex recenſitis ab ipſis Ducibus Croatorum & Regibus Dalmatiæ & Croatiæ, pronum eſt intelligere, confuſam prorſus eſſe atque perturbatam veterum Dalmatiæ, Croatiæ & Serviæ Principum ſeriem, a Dalmaticis Scriptoribus traditam: in iis autem, in quibus Porphyrogenitum inter & ipſos cernitur aliquod diſcrimen, Porphyrogenito potius quam illis fidem eſſe adhibendam, inde colligitur, quod Porphyrogenitus res temporibus fere ſuis geſtas ſcripſit; illi vero recentiores ſunt Scriptores, utpote qui poſt ſæculum duodecimum, & tertium decimum vixerunt.

II. Joannis Lucii Monitum præfixum Codici MS. Vaticano ſignato num. 7019 circa rerum Dalmaticarũ Scriptores.

Ut igitur ſpeciminis ergo, de rebus Dalmaticis hic aliquid adnotemus, juvat pauca quædam ex Codice manuſcripto Vaticano 7019. excerpere. Joannes Lucius operi ſuo *de Regno Dalmatiæ & Croatiæ*, quod in libros VI. diſtributum, in lucem edidit *Francofurti apud Joannem Bleau anno Domini 1666.*, ſubnectit antiquos quoſdam *Rerum Dalmaticarum Scriptores*: nimirum, I. pag.287. *Presbyteri Diocleatis Regnum Slavorum*. II. pag. 303. *Marci Maruli Patritii Spalatenſis*, *Regum Dalmatiæ & Croatiæ geſta*. III. pag.312. *Thomæ Archidiaconi Spalatenſis, Hiſtoria Salonitanorum Pontificum atque Spalatenſium*. IV. pag.371. *Michæ Madii Spalatenſis Hiſtoria*. V. pag.381. *Tabula Hiſtoriarum a Chuteis*. VI. pag. 385. *Memoria Archiepiſcoporum Salonitanæ Eccleſiæ*. VII. pag.387. *Obſidio Jadrenſis libri duo*. VIII. pag.427. *Memoriale Pauli de Paulo Patricii Jadrenſis* ab anno Chr. 1371. ad 1400. IX. pag. 451. *Palladii Fuſci Patavini de ſitu oræ Illyrici*, *Libri duo*, ad Gaſparem Tit. S. Apollinaris Presbyterum Cardinalem Contarenum Venetum X. pag. 462. *Appiani Alexandrini*, *de bellis Illyricis*. His addit notas quaſdam in *Diocleatem*, *Thomam Archidiaconum*, *& Marulum*. Porro Autographum, ex quo idem Joannes Lucius nonnulla ex antedictis Dalmaticorum Scriptorum operibus, videlicet num.2. 3. 4. 5. & 6. ſignata, publici juris fecit, extare voluit in Bibliotheca Vaticana Cod. manuſcr. 7019., hoc præfixo ad Lectorem monito.

„ Joannes Lucius Lectori. Hoc eſt antiquiſſimum exem-
„ plum Hiſtoriæ Thomæ Archidiaconi Spalatenſis: quam, poſt
„ opus

„ opus meum de Regno Dalmatiæ & Croatiæ, cum cæteris Re-
„ rum Dalmaticarum Scriptoribus nondum impreſſis edidi.
„ Quum autem ipſe Thomas mortuus ſit anno Domini 1260., ut
„ in notis ad eundem animadverti, paulo poſt ejus mortem ſcri-
„ ptum eſſe debuit, ut ex charactere & charta colligitur. In ipſius
„ autem editione ſequutus ſum exemplum manu Petri Cindri
„ Patritii Spalatenſis, viri doctiſſimi & accuratiſſimi, exaratum,
„ qui hoc Codice in eo exſcribendo uſus eſt, erroreſque ortho-
„ graphiæ correxit. Hoc autem antiquum originale in Bibliothe-
„ ca Vaticana depoſui, ut conferre volentibus pateret: id autem,
„ tum alias ob cauſas factum a me eſt, tum quod hujus operis plu-
„ ra exempla circumferuntur, nec ſatis caſtigata, nec admodum
„ integræ fidei, & præſertim illud, ex quo doctiſſimus Ferdinan-
„ dus Ughellus Abbas Ciſtercienſis nonnullos Epiſcopos Jadren-
„ ſes deſcripſit, & in Tomo Quinto ſuæ Italiæ Sacræ poſuit, qui
„ in germano Archidiaconi textu minime reperiuntur. Id ego
„ exemplum vidi, & manu recenti ſcriptum reperi, contulique
„ cum hoc Codice, & quæcumque in illo de Actis Conciliorum
„ Dalmatiæ, Epiſtolis Papalibus, & Epitaphio Zuonimiri Regis
„ ſcripta ſunt; ea omnia ficta & ſuppoſitia cenſui; a meque moni-
„ tus ſupradictus Abbas Ughellus, viſa mei Codicis antiquitate,
„ & cum ſuo exemplo, quod habebat, collato, Vir ingenuus,
„ & in antiquis characteribus verſatiſſimus, ſe deceptum faſſus
„ eſt; novamque ſeriem Epiſcoporum Jadrenſium (expunctis
„ duobus a ſupradicto Codice ſuo ſumptis, primoque & tertio
„ loco poſitis) manu propria in margine paginæ 1458. ſui Tomi
„ Quinti cœptam reliquit; integram de novo editurus, ſi mor-
„ te præventus non fuiſſet; quod te monitum volui, Lector. Ad-
„ didi huic antiquo Codici Hiſtorias Michæ Madii, & Tabulæ
„ (*Tabulas*) a Chuteis, cum Memoria Archiepiſcoporum Salo-
„ nitanæ Eccleſiæ, ex exemplari prædicti Petri Cindri, mea ma-
„ nu exſcriptas; & Hiſtoriam Marci Maruli, ejuſdem Cindri ma-
„ nu, majori ex parte, ſcriptam, una cum ſuo originali Slavo, ut
„ ſicut ſimul editæ fuerunt, ita & hic proſtarent. Quibus adjeci
„ Schedas aliquot antiquas Salonitanarum Inſcriptionum, quas
„ cum aliis Dalmaticis edidi.

Hæc Joannes Lucius, qui manu ſua Catalogum rerum in Cod. Vat. 7019. a ſe dono dato contentarum præmittit, hunc in modum. I. *Thomæ Archidiaconi Spalatenſis*, *Hiſtoria Salonitanorum* III. Elenchus Scriptorum Dalmaticorũ. Et primo Thomas Archidiaconus Spalatenſis,

norum Pontificum atque Spalatenſium; pag. 1. continet capita 51. quorum primum „ de Dalmatia: *incipit*: Dalmatia ſecundum „ Iſidorum eſt prima pars Græciæ, & dicitur a Dalmi civitate an„ tiqua quæ ibi fuit. *Poſtremum*: de adventu Reginæ, *nimi„ rum Hungariæ*: *incipit pag.* 60. *a tergo*: Aliquantis autem tran„ ſcurſis annorum curriculis, Domina Maria Regina, Græcorum „ Imperatorum ſtirpe progenita, deſcendit ad Hungariam per „ Pannoniæ & Croatiæ partes. *definit his verbis de obitu Rogerii „ Archiepiſcopi Spalatenſis*: obiit autem octavo decimo Kalen„ das Madii, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo „ ſexto, fecitque ſe conſepeliri Domino Creſcentio ante fores „ Eccleſiæ „. In Memoria Archiepiſcoporum Salonitanæ Eccleſiæ, de qua mox ſermo erit, de eodem Archiepiſcopo Rogerio num. 89. hæc notantur; *Rogerius natione Appulus ſedit annis* XVI. *obiit menſe Aprili* XIV. *die intrante Anno Domini* MCCLXVI. Quamobrem Joannis Lucii lapſus notatur, qui in monito ſupra recitato aſſerit, Thomam Archidiaconum, hiſtoriæ hujuſce Scriptorem, anno Domini 1260. obiiſſe: Quomodo enim is anno 1260. deceſſerit, qui hiſtoriam ſuam ad annum 1266. perduxit? Verum hic error calami dicendus eſt, non ipſius Lucii: nam Lucius in opere impreſſo Francofurti, hæc habet de Archidiaconi ætate: „ natus eſt Thomas anno 1200. ut ex cap. 32. „ elicitur. Mortuus anno 1268. ut ex ejuſdem ſepulcrali in„ ſcriptione, quæ in Eccleſia S. Franciſci in ſuburbio Spalati „ legitur; apparet.... Anno Domini 1268. menſe Madii VIII. „ die intrante „. Subjungitur caput ultimum, quod Lucius in Indice omiſit, exſtat autem poſt allata de Rogerii Archiepiſcopi obitu verba, ſic. „ Memoriale bonæ memoriæ Domini Tho„ mæ quondam Archidiaconi Eccleſiæ Spalatenſis. *Incipit*: Co„ lomanus filius Uladislai Regis Hungariæ, ſtans in Regno loco „ patris ſui, & quia multa ſtrenuitate vigebat, propoſuit totam „ Chorovatiam uſque ad mare Dalmaticum ſub ſuo dominio „ ſubjugare „. Poſt pacis autem conditiones cum Croatis initas, definit his verbis: *Et ſic extitit ordinatum de anno noſtræ redemptionis milleſimo centeſimo ſecundo*. Nimirum hoc caput loco non ſuo hic deſcriptum: cujus tamen diſertam mentionem facit Lucius, his verbis poſt caput ultimum, hoc eſt LI. „ definit hic „ Archidiaconi hiſtoria: cui antiquo charactere annexa eſt nota „ de Colomani Regis Ungariæ cum Croatis conventione, de

„ qua

„ qua lib. 3. cap. 3. Regni Dalmatiæ & Croatiæ dictum fuit.

II. *Michæ Madii Spalatenſis Hiſtoria*, pag. 63. complectitur capita XXIX. Titulus operis: „ Incipit Hiſtoria edita per Micham Madii de Barbazanis de Spalato, de geſtis Romanorum Imperatorum, & Summorum Pontificum, Pars ſecundæ Partis de anno Domini 1290. „ Caput primum: *De Papa Nicolao Quarto*, incipit: *Nicolaus Quartus Papa, dictus Frater Hieronymus*. Caput ultimum: *De obitu Ducis Caroli Apuliæ filii Regis Roberti*: „ Karolus Regis Roberti filius Apuliæ ad Chriſtum migravit, ſub anno Domini 1328. *deſinit*. Anno Domini 1330. Sol obſcuratus eſt illo tempore medio die, & factus opacus & obſcurus ut Luna VIII. patiens eclipſim omnibus de orbe patentibus manifeſte. IV. Michæ Madii Spalatenſis Hiſtoria.

III. Tabula a Chuteis, *pag. 71. Titulus*: „ Incipit ſumma Hiſtoriarum Tabula a Chuteis, de geſtis civium Spalatinorum ſub brevitate compilata ex diverſis Chirographis de temporibus retroactis, ut non præcedentes, ſed poſteri ſuis gradantibus narrabunt, capita tria: primum de peſte & clade maximæ epidimiæ primitivæ quæ incepit vigere Spalati currente anno Nativ. D. N. J. C. 1348. luce 25. menſis Decembris „. Secundum, *de adventu Hugelini Archiepiſcopi Spalatenſis*, qui Dominico ſucceſſit, & anno 1349. die 14. Jan. Spalatum ingreſſus eſt. Tertium, *de rebellatione Spalatenſium & Traguerienſium a Dominio Venetorum*, quæ accidit anno 1357. Deſinit in ann. 1366. quo Turci Morbaſano Duce in Serviam ſeu Raſſiam invadentes, commiſſo cum Raſſianis ad flumen Maritæ bello, victoriam de iis reportarunt, cæſis 5. millibus circiter Raſcianorum, ubi inter alios periit Rex Valchaſinus & frater ejus Ugleſa, & miles Crela, & multi alii egregii viri. Subjungitur ejuſdem Morbaſani Turcorum Imperatoris epiſtola ad Gregorium XI. Pontificem. V. Summa Hiſtoriarum Tabula a Chutheis.

IV. Memoria Archiepiſcoporum Salonitanæ Eccleſiæ, p. 75. a S. Domnio primo Epiſcopo, ad Aloyſium Michaëlem, Archiepiſcoporum CIX. e quibus LXXXIX. *Rogerius* dicitur obiiſſe anno 1266. *Dominicus* XCIII. anno 1348. *Petrus* XCVIII. anno 1427. *Jacobinus* CI. anno 1451. *Laurentius Zane* CII. a Nicolao V. Romano Pontifice anno 1452. electus. VI. Catalogus Archiepiſcoporum Salonitanorum.

V. *Regum Dalmatiæ & Croatiæ geſta, a Marco Marulo Spalatenſi Patricio, e lingua Slavica in Latinam converſa*. Latina Verſio pag. 77. hunc præfert titulum: *Regum Dalmatiæ & Croa-* VII. Slavicum Chronicon Regum Dalmatiæ, & Croatiæ.

Digitized by Google

a Marco Marulo Latinitate donatum.

Croatiæ geſta a Marco Marulo Spalatenſi Patritio Latinitate donata, a Joanne Lucio ex alio exemplari ſumpta ad Petri Cindri exemplar, prout character ejus indicat, anno Domini 1639. *die* 27. *Januarii*. Incipit. pag. 78. *Marcus Marulus Dominico Papali ſalutem. Commentariolum a te in Craina repertum inter vetuſtiſſimas gentis illius Scripturas Dalmatico idiomate compoſitum, tuo rogatu Latinum feci, Croatiæ Dalmatiæque Regum geſta continentem* &c. *Vale. Anno Chriſtianæ ſalutis* 1510. Incipit pag. 79. *Juſtiniano partibus Orientalibus imperante anno Chriſtianæ ſalutis* 538. *quo tempore Germanus & Sabinus Epiſcopi erant vitæ ſanctitate nobiles, & Benedictus Abbas montis Caſini: Sfiolodo Gottorum Rege vita defuncto, Brilius inter liberos ejus natu major, ſucceſſit in Regno. Reliqui duo Totila, & Stroilus, & ipſi dominandi cupidi, ad alias provincias ſibi ſujugandas animum intendunt*. deſinit in annum 1079. pag. 90. his verbis: *Præterea quum poſt hæc Regina in partes ſucceſſiſſet anno a nativitate Chriſti* 1079. *Boſnenſes Dominum ſuum ſortiti ſunt; Naroenſes ſuum; Crovati alienum, nequis eos fruſtra olim, vel immerito, a Zuenimiro devotos credat*. Subjungit Marulus: *Hucuſque iſtoriam vernaculo gentis noſtræ ſermone compoſitam vidi, & quam potui diligenter fideliterque in Latinum tranſpoſui, nihil de ſententia dimittens; licet aliqua de verbis, quæ ſuperflua videbantur, mutilans, ne lectori oneri eſſem*. Sequitur ejuſdem Hiſtoriæ Textus Slavicus a pag. 97. ad 116. interjectis *Salonitanis* quibuſdam *Latinis Inſcriptionibus* a pag. 91. ad 96.

Hunc Syllabum rerum Dalmaticarum in Cod. Vat. 7019. contentarum idcirco deſcripſi, tum ut edita cum manuſcriptis conferre volenti pateret; tum etiam ut legentibus conſtaret de ætate & fide Auctorum, qui in eo Codice hiſtoriam Dalmatiæ & Croatiæ tradunt: nam primum quidem recentiſſimi ſunt, quum Thomas Archidiaconus poſt annum 1266. ſcripſerit, Madius poſt annum 1330. Auctor *Tabulæ a Chuteis* poſt annum 1369. *Memoriæ Pontificum Salonitanorum*, poſt annum 1480. demum Slavus auctor rerum geſtarum a Regibus Dalmatiæ & Croatiæ, quem Marulus anno 1510. in Latinum convertit, poſt annum 1079. Deinde multa ab iſtis narrantur, quæ ab hiſtorica veritate longe abſunt. Nolo omnia hic ad trutinam revocare; ſed pauca tantum lectoribus proponam, ex quibus cætera metiri liceat.

Ac primum de Thoma Archidiacono eſt dicendum. Hic

Digitized by Google

pag. 7. de Croatia loquens: *Chroatia eſt regio montuoſa, a Septentrione adhæret Dalmatiæ. Hæc regio antiquitus vocabatur Curetia, & propterea qui nunc dicuntur Croatæ, dicebantur Curetes vel Corybantes: unde Lucanus*

VIII. Animadverſiones in Thomæ Archidiaconi Spalatenſis hiſtoriam. Ac primum de Croatorum origine. An iidem ſint Croatæ, ac Curetes & Corybantes.

. . . . Confiſus gente Curetum,
Quos alit Adriatico tellus circumflua ponto.

Dicebantur vero Curetes, quaſi Cureles & inſtabiles, quia per montes & ſilvas oberrantes, agreſtem vitam ducebant. Pergit de eorum moribus: *Etenim quando Luna Eclipſim patitur, putantes eam a ſpiritu corrodi & conſumi, omnia æramenta domorum pulſant, quaſi per ſtrepitum fugatis dæmonibus credunt Lunæ ſuccurrere laboranti; unde Virgilius:*

. . . . Pulſantes æra Curetes.

Hanc ùnam Archidiaconi allucinationem notat Joannes Lucius ad cap. 3. inquiens: *Hic obſervandum, Archidiaconum exiſtimaſſe, ante Slavorum adventum, Chroatiæ nomen uſurpatum fuiſſe, Croatoſque eoſdem fuiſſe cum Curetis.* Verum peccat Thomas tum in Geographiam, tum in Hiſtoriam. Alii ſunt enim *Curetes* ſive *Corybantes*, de quibus Lucanus; & alii, de quibus Virgilius. Hic Corybantes ſeu Curetes, deſignat, populos *Cretæ* inſulæ, *Idam* montem incolentes: Lucanus vero populos *Acarnaniæ* ſinu Ambrachio interceptos & Acheloo fluvio, qui eos ab Ætolia diſterminant, ut ille ſinus ab Epirotis. Utrique Curetes longe diſtant a Croatis, populis montana Dalmatiæ incolentibus. Quid? quod *Croatæ* populi in Illyricum longe poſt Virgilii & Lucani tempora invaſerunt, nimirum ſub Heraclio Imp. uti ſupra dictum eſt.

IX. Dalmatiæ urbes non a Totila Gothorum Rege fuiſſe everſas.

Ait ſecundo pag. 7. de Totila Gothorum Rege: „ Gotho-
„ rum, qui Totila Duce de partibus Teotoniæ & Poloniæ exie-
„ runt, dicitur Salona fuiſſe deſtructa: & quum Dux ipſe ante-
„ quam arma inferret Italiæ, per partes Dalmatiæ vaſtando per-
„ tranſivit, Salonamque urbem ex parte vaſtabat, ipſe intravit
„ præſcriptum ædificium Diocletiani Cæſaris, & Imperiales ti-
„ tulos ibidem ſculptos depoſuit atque delevit; aliquam etiam
„ partem ejuſdem ædificii deſtrui fecit. Venerant de partibus
„ Poloniæ qui Lingones appellantur, cum Totila ſeptem vel octo
„ tribus nobilium: Hi videntes terram Croatiæ aptam ſibi fore
„ ad habitandum, quia rari in ea Coloni manebant, petierunt
„ & obtinuerunt eam a Duce ſuo: Remanentes ergo ibidem, cœ-
„ perunt opprimere indigenas & ad ſuum ſervitium ſubigere

Digitized by Google

„ violenter. *Et poſt pauca*. Cœperunt autem habere proprios „ Duces: & quamvis pravi eſſent & feroces, tamen Chriſtiani „ erant, ſed rudes valde. Ariana etiam erant tabe reſperſi. Go„ thi a pluribus dicebantur, & nihilominus Sclavi, ſecundum „ proprietatem nominis eorum, qui de Polonia ſeu Boëmia ve„ nerant. Iſti, ut prædictum eſt, impugnabant Latinos, qui re„ giones maritimas habitabant, maxime autem Salonam, quæ „ caput erat totius provinciæ. *Et mox*. Igitur Dux Gothus, qui „ toti præerat Sclavoniæ, coadunato magno exercitu equitum „ peditumque, deſcendit de montibus, & caſtra poſuit ex Orien„ tali parte civitatis: ſed & aliam turmam ſui exercitus fecit ca„ ſtrametari ex Occidentali parte ſupra mare „. Tandem Salonam ſcribit ab iis occupatam, & in cinerem redactam, Salonitanis ad Inſulas fugientibus. Hæc Thomas Archidiaconus, immani anachroniſmo. Nam primo, Totilæ temporibus ait Salonam a Gothis deſtructam, quum id factum ſit non Juſtiniano, ſed Mauricio vel Heraclio imperante; neque a Gothis, ſed ab Abaribus, quibus ejectis, Chrobati eam Dalmatiæ oram occupuverunt. Deinde Totilam ipſum cum Gothis de Polonia ſeu Boëmia in Dalmatiam adveniſſe dicit, quum conſtet & Gothos, qui primum in Illyricum irruperant, e Mæotide palude adveniſſe; & Totilam in Tranſpadana Italia Præfectum Gothorum jam fuiſſe, antequam Erarico cæſo Rex crearetur. Procopius lib. 3. de Bello Gothico cap. 2. „ Totilas quidem erat Ildibadi ex fratre nepos, quem „ eximia prudentia, & navitas ſingularis, Gothis commenda„ bant plurimum. Hic tunc temporis Gothis, qui erant Tarviſii, „ Præfectus, audita de qua diximus Ildibadi cæde, Ravennam „ ad Conſtantianum miſit, qui incolumitatis fidem ſibi peterent, „ pollicenti ſe, & Gothos, quibus præeſſet, in Romanorum jus „ ac poteſtatem cum urbe Tarviſio conceſſuros „. Toto autem, quo Totilas Gothorum Rex fuit, tempore, in Italiam diſcurrens, numquam Dalmatiam intravit: quinimo Salonam, Totila regnante, in Romanorum poteſtate exſtitiſſe, ex eodem Procopio colligitur lib. 4. cap. 26. ubi ait: „ Narſes vero Salonis profectus, „ adverſus Totilam & Gothos univerſum ducebat exercitum, „ ſane maximum „. Sed neque erant Gothi, qui ſub Totila, Illyricum Dalmatiamque infeſtabant, verum Sclaveni a Gothis omnino diverſi, de quibus hæc ſcribit Procopius lib. 3. cap. 29. „ Sub idem tempus, Sclavenorum copiæ, trajecto Iſtro flumine,

„ to-

Digitized by Google

„ totum Illyricum, Epidamnum uſque, fœde vaſtarunt, obvios
„ quoſque ſine ullo ætatis diſcrimine, partim mactantes morte,
„ partim abducentes in ſervitutem, ac pecuniis ſpoliantes. Ca-
„ ſtella quoque regionis illius plurima, quæ firma prius videban-
„ tur, ceperunt, nemine reſiſtente; ita ut circumcurſando im-
„ pune quovis penetrarent. *Et mox cap.* 38. Sub idem tempus
„ Sclavenorum exercitus ex tribus ſolum conflatus virorum mil-
„ libus, nemine prohibente, Iſtrum flovium trajecit; ac nullo
„ negotio ſubinde, tranſmiſſo Hebro flumine, bifariam diſceſſit.
„ Conſtabat pars altera mille octingentis, altera reliquis. Utro-
„ ſque, quamvis invicem, ut dictum eſt, ſeparatos, aggreſſi in
„ Illyrico Thraciaque exercitus Romani Duces præter opinio-
„ nem victi ſunt, ac partim ibi ceciderunt, partim evaſerunt
„ incompoſite fugientes. Poſtquam ab utroque Barbarico exer-
„ citu quamvis numero longe inferiore, Romani Duces omnes
„ ita fuſi fugatique ſunt, cum Asbade pars hoſtium altera ma-
„ num conſeruit ..... His quoque Sclaveni disjectis, quamplu-
„ rimos turpiſſime fugientes interfecerunt, captumque Asbadem
„ tum quidem vivum ſervarunt, ſed poſtea conjectum in flam-
„ mas combuſſerunt, deſectis prius loris ex dorſi illius pelle. His
„ peractis Thraciam omnem, atque Illyricum impune vaſtarunt,
„ ac multa utrique caſtella obſidione ceperunt, qui antea nec
„ muros oppugnare, neque in campum deſcendere audebant:
„ enimvero ne tentaverant quidem unquam hi Barbari incurſio-
„ nem facere in Romanum Imperium; imo vero ante illud tem-
„ pus, quod ſupra dixi, nunquam cum exercitu fluvium Iſtrum
„ videntur trajeciſſe. *Demum lib. 4. cap.* 25: Quum Sclaveno-
„ rum ingens multitudo, facta in Illyricum irruptione, infanda
„ perpetraret, in eos Juſtinianus Auguſtus miſit exercitum, cui
„ præter alios, Germani filii præerant. Hi numero longe hoſti-
„ bus inferiores, obviam illis obſiſtere non poterant; ſic autem
„ ſubibant a tergo, ut poſtremo carperent multis cæſis, nonnul-
„ los cepere vivos, & ad Imperatorem miſerunt. Nihilo tamen
„ minus graſſabantur hi Barbari. Fuit hæc populatio impendio
„ diuturnior;ita ut cadaveribus vias omnes conſtraverint, & cum
„ infinita captivorum multitudine prædaque omni, quam cuncta
„ vaſtando collegerant, domum redierint, nemine prohibente.
„ Neque enim ad Iſtri fluminis trajectum illis inſidias Romani
„ ſtruere, nec vim ullam afferre poterant: propterea, quod a

Digitized by Google

„ Gepedibus excepti tranſvehebantur, pacto tranſmiſſionis pre„ tio non exiguo: quippe aureum ſtaterem unum pendebant in „ capita „. Quæ omnia a Sclavis in Illyrico & Thracia patrabantur, dum adhuc Romani Dalmatiam tenerent; dumque adhuc Totilas eſſet Gothorum Rex in Italia: ac proinde ſtante adhuc Salona urbe: nam ſequitur cap. 26. ejuſdem libri 4. „ Narſes Sa„ lonis profectus, adverſus Totilam & Gothos univerſum duce„ bat exercitum ſane maximum „. Hunc igitur Archidiaconi circa Gothos errorem notavit Jo. Lucius in cap. VII. inquiens: „ Hic Auctor Slavos Gothos fuiſſe putat: id autem a Diocleate „ ſumpſiſſe videtur, eoſdemque Gothos præſumens Chriſtianos, „ ſed Arianos fuiſſe; verum tolerabilis eſſet error, Gothos Sla„ vos fuiſſe, exiſtimare „: nam id etiam ante Thomam dixerat Theophylactus Simocatta, & Photius, non quod una eademque gens eſſent Gothi ac Slavi; ſed quia Gothi e Slavonia in Romanum Imperium irruperant. At in Thoma quod argui debet, eſt hoc: nimirum, quod affirmat a Gothis Dalmatiæ urbes fuiſſe everſas.

X. Ad Juſtiniani tempora a Thoma perperam referuntur, quæ ſub Baſilio Macedone Romanis in Dalmatia contigerunt.

Tertio idem Archidiaconus oſcitanter ad tempora Juſtiniani refert quæ ſunt ſupra ex Porphyrogenito de iis Romanis ſive Latinis narrata, qui inſulas incolebant ſub Baſilio Imperatore, & ad continentem colendam, propter Sclavorum Paganorum irruptiones, compulſi, ab eodem Imperatore conſilium acceperunt, ut Chrobatis id nomiſma penderent, quod Imperiali Stratego tribuere ſolebant. Archidiaconus rem aliter narrat, inquiens cap. 10. de Salonitanis ex inſulis redeuntibus, & Spalatum intrantibus. „ Et quia ſpatioſum erat Palatium, Spalatum (*a*) appellare cæ„ perunt. Ibi ergo ſe collocantes, poſuerunt habitacula vilia, ſi„ cut temporis neceſſitas cogebat. Et ſic illa populoſa civitas Sa„ lona, nobilis & antiqua, pro multis peccatis, quæ in Deum „ commiſerat, ad tantam extitit miſeriam devoluta, ut de illa „ magna ſui populi frequentia, non tot remanſerant, qui poſ„ ſent illius parvi oppidi ambitum civibus replere: ſed in ea par„ te, quæ ſupra mare reſpicit, ſe componentes, reliquam par„ tem urbis vacuam dimiſerunt. Tunc cœperunt paulatim exi„ re,

a *Spalatum* appellatum, non quia *ſpatioſum Palatium*, ſed e Græca corrupta voce εἰς πάλατον, ſeu εἰς παλάτιον, factum σπάλατον, ἀσπάλατον, & ſimilia. Sicut Græci dicunt σταγκὼ, pro εἰς τὴν Κῶ; στίμπολ pro εἰς τὴν πόλιν: σαθῆνας, pro εἰς Ἀθήνας.

„ re, & terras prope poſitas colere. Ubi autem Gothorum Du-
„ ces audirent, Salonitanos cives de inſulis fuiſſe reverſos, pro-
„ tinus cœperunt exercitum ducere contra ipſos, vaſtántes omnia
„ culta eorum, nec permittentes eos extra muros exire. Tunc
„ cives inter ſe conſilio habito, legationem miſerunt ad Impera-
„ torem Conſtantinopolitanum, ſupplicantes & petentes, ut li-
„ ceret eis in Palatio, ideſt, in Spalato habitare, & territorium
„ ſuæ civitatis Salonæ jure priſtino poſſidere. Quod & factum eſt;
„ nam impetratis omnibus quæ volebant, ad concives ſuos lega-
„ ti redierunt, portantes Sacrum Reſcriptum dominorum Prin-
„ cipum. Juſſio etiam ad Duces Gothorum & Sclavorum miſſa
„ eſt, diſtricte præcipiens, ut nullam Salonitanis civibus in Spa-
„ lato degentibus moleſtiam irrogarent. Accepta ergo juſſione
„ Principum, non fuerunt auſi ulterius contra Spalatenſes arma
„ movere. Tunc inter eos pace compoſita, cœperunt Spalaten-
„ ſes cum Sclavis paulatim converſari, commerciorum negotia
„ exercere, connubia jungere, ac pacatos eos ſibi & familiares
„ reddere „. Nimirum Archidiaconus aut cauſam ignoravit, aut referre noluit, cur Spalatenſes permiſſi ſunt a Sclavis Chrobatis continentem colere. Non certe Sacrum Reſcriptum fuit, aut juſſio Sclavis data ab Imperatore, ſed tributum a Spalatenſibus ex Imperatoris conſilio pactum Chrobatis: idque longe poſt Juſtiniani tempora, nimirum ſub Baſilio Macedone Imperatore. Audiamus Porphyrogenitum de Adminiſtrando Imperio cap.30. *Ex quo vero dicti jam Sclavi inhabitarunt, finitima Dalmatiæ omnia occuparunt, urbeſque Romanorum* (ideſt, Romani qui in urbibus aliquot ſuperfuerant) *inſulas colebant, ex iiſque vivebant. At quum quotidie e Paganis* (Chrobatis) *captivi abducerentur, & exterminarentur, inſulas deſeruerunt, continentem colere volentes. Verum a Chrobatis probibebantur, quum nondum illis tributa penderent; nam ea quæ hodie Sclavis pendunt, tunc Prætori exhibebant. Sed quum vitam tolerare non poſſent, ad Baſilium illum præclarum Imperatorem acceſſerunt, eumque res a nobis commemoratas edocuerunt: is itaque Imperator auctor fuit, ut ea omnia quæ Prætori ſolvebant, Sclavis darent pacis cauſa, & Prætori exiguum aliquid penderent, ad oſtendendam dumtaxat Romanis Imperatoribus & ipſorum Prætori debitam ſubjectionem ac ſervitutem: Atque ex illo tempore omnes iſtæ urbes Sclavorum tributariæ, pacta ipſis ſolvunt*, Mox eas urbes enumerans: *Aſpalatus*,

tus, inquit, *ſolvit nomiſmata* 200. *Tetragurium nomiſmata* 100. *Diadora* 110. *Opſare* 100. *Arbe* 100. *Becla* 100. *Raguſium*, *Zachlumorum principi nomiſmata* 36. *Terbuniæ vero principi*, *totidem*.

XI. Series Archiepiſcoporum Salonitanorum a Thoma Archidiacono perturbata.

Quarto, ſeries Archiepiſcoporum Salonitanorum, quam Thomas Archidiaconus tradit, non convenit cum altera quæ in laudato Codice Vaticano 7019. a Joanne Lucio laudatur, & ab eodem typis impreſſa prodiit. Nam Archidiaconus capite XI. poſt inſtauratam urbem Spalatenſem, primum Archiepiſcopum nominat *Joannem* patria Ravennatem, illuc a Romano Pontifice miſſum, ut partes Dalmatiæ & Croatiæ peragrando, clerum populumque inſtitueret: ab hoc Joanne, ait Thomas, corpora Sanctorum Domnii & Anaſtaſii e ruinis Salonitani templi ad novam Deiparæ Eccleſiam Spalati extructam ſunt tranſlata; Duces autem Gothorum & Chroatorum ab Ariana hæreſi ad fidem Catholicam converſi: demum præter Dalmatiæ Epiſcopos ab ipſo ordinatos, inſtitutæ etiam in Sclavonia aliæ Epiſcopales Sedes. Mox capite 13. hos enumerat Archiepiſcopos Joannis ſucceſſores. *Poſt Salonæ interitum in Spalato hos invenimus antiquiores fuiſſe Antiſtites. Juſtinus Archiepiſcopus extitit anno Incarnationis octingenteſimo quadrageſimo. Marinus Archiepiſcopus fuit tempore Karoli Regis & Branimiri Ducis Sclavoniæ. Joannes Archiepiſcopus fuit anno Domini nongenteſimo quartodecimo tempore Tamiſlavi Ducis. Martinus Archiepiſcopus fuit anno Domini nongenteſimo ſeptuageſimo tempore Theodoſii Imperatoris & Dirciſlavi Regis. Iſte Martinus fuit Spalatinus natione. Hic fecit Eccleſiæ unum Calicem magnum cum ſua Patena de auro puriſſimo. Ab iſto Dirciſlavo cæteri ſucceſſores ejus Reges Dalmatiæ & Croatiæ appellati ſunt: recipiebant enim Regiæ dignitatis inſignia ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis, & dicebantur eorum Eparchi, ſive Patricii: habebant namque ex ſucceſſione ſuæ originis patrum & proavorum Dominium Regni Dalmatiæ & Croatiæ*. Hæc Archidiaconi verba citat Anſelmus Bandurius Animadverſionibus in Librum Conſtantini Porphyrogeniti de Admin. Imp. edit. Pariſ. pag. 98. mox ſubjungit: *Sed fallitur hic Archidiaconus, dum Theodoſium anno Chr.* 970. *imperaſſe ſcribit; quippe ille annus fuit primus imperii Joannis Zimiſcæ*. Pergit Archidiaconus cap. 14. *Petrus Archiepiſcopus fuit anno Domini nongenteſimo nonageſimo tempore Tirpimiri, & Micimiri filii ejus, Regum. Paulus Archiepiſcopus*

pus fuit anno Domini milleſimo quintodecimo tempore Baſilii & Conſtantini Imperatorum Conſtantinopolitanorum, & Creſimiri eorum Patricii & Regis Croatorum... mortuo denique Paulo Archiepiſcopo ſubſtitutus eſt Dabraldus Archiepiſcopus anno Domini milleſimo trigeſimo temporibus Principum prædictorum. Hic etiam fallitur Archidiaconus: nam Principes prædicti, ideſt Baſilius & Conſtantinus, annum Chr. 1030. non attigerunt: quum Baſilius quidem menſe Decembri anno 1025. obierit, Conſtantinus autem die 9. Novemb. anno 1028. Ad Dabraldum redeo. Is quum enormem indignamque Antiſtite vitam ageret, miſſus a Summo Pontifice Legatus, Joannes nomine, congregata Synodo (ut ſcribit Archidiaconus cap. 16.) *auctoritate Apoſtolica ſententialiter removit eum in perpetuum ab adminiſtratione Eccleſiæ Spalatenſis... denique poſt Dabralem fuit quidam Joannes Archiepiſcopus Spalatenſis. Ipſe ædificavit Eccleſiam S. Felicis ſuper rivum: & quum præ ſenectute jam factus eſſet inutilis, ceſſit ab onere paſtorali; & in eadem Eccleſia non longo tempore degens, ibidem mortis debitum ſolvit.* Et cap. 16. *Ea tempeſtate quidam Apoſtolicæ Sedis Legatus ad Eccleſiam Spalatenſem accedens, Provincialem Synodum congregavit: ubi quum omnes Spalatenſis Metropoleos Epiſcopi conveniſſent, antequam dimitteretur concilium, tractatum eſt de electione Metropolitani; quia Spalatenſis Eccleſia tunc vacabat. Et factum eſt, divina gratia inſpirante, ut omnium mentes & vota in perſonam venerabilis viri Laurentii Apſarenſis Epiſcopi, qui cum cæteris Suffraganeis ad Synodum venerat, concordarent; ipſum in Patrem & Archiepiſcopum unanimiter proclamantes. Miſſa ergo relatione ad Romanam Curiam, poſtulationem de ipſo factum Domino Papæ præſentaverunt. Et quia teſtimonium habebat bonum ab omnibus facile admiſſa eſt petitio eorum: deditque ei Summus Pontifex licentiam tranſeundi, mittens ei Pallium dignitatis cum confirmatione privilegiorum Metropoliticæ auctoritatis... ordinatus eſt in Sede Salonitanæ Eccleſiæ anno Incarnationis milleſimo ſexageſimo, temporibus Michaelis Imperatoris, Regum vero Stephani, Creſimiri, & Suonimiri, qui fuit ultimus Rex Croatorum. Præfuit autem Laurentius Salonitanæ Metropoli annis circiter quadraginta. Quo quieſcente in Domino, de ſubrogandi electione non potuerunt eſſe concordes. Quamobrem voluntas omnium extitit, ad Dominum Papam legationem mittere, ſuppliciter poſtulando, ut Spalatenſi Eccleſiæ de Paſtore idoneo provide-*

» ret.

„ *ret. Tandem eorum petitionibus Summus Pontifex acquievit, dans eis Præſulem Creſcentium, natione Romanum, virum valde egregium & omni præditum bonitate.* Sequuntur Archiepiſcopi, *Manaſſes*, qui voluit prodere civitatem Spalatenſem Hungaris, atque idcirco ex urbe profugit, vacantem relinquens Eccleſiam quamplurimis annis: *Gregorius Jaderenſis*, qui antequam munus conſecrationis ſuſciperet, morte præventus eſt: *Gaudius* Spalatenſis, ordinatus anno Domini 1136. vixit in Pontificatu fere XL. annis: ſuſpenſus tamen fuit, quod ad Epiſcopi cujuſdam conſecrationem, unum dumtaxat Epiſcopum Croatenſem ſecum adhibuiſſet: eo autem vivente ſubrogatus eſt alius Archiepiſcopus *Abſalon* nomine, quo defuncto alius quoque ſubſtitutus eſt Epiſcopus *Petrus* dictus, natione Lombardus: hoc vero defuncto, ab Alexandro III. Papa electus & conſecratus eſt *Girardus* Veronenſis, tum *Raynerius*, a Sclavis lapidatus anno 1180. quum præfuiſſet Eccleſiæ annis quinque: *Petrus* Hungarus annis duobus: *Petrus* alter annis quinque: *Bernardus* Peruſinus conſecratus anno 1200. *Guncellus* Hungarus ſedit annis XXII. *Hugrinus* ann. 1. menſ. 2. dieb. 10. *Rogerius*, qui obiit anno 1266. Hactenus Thomas Archidiaconus.

At vero in Memoria Archiepiſcoporum Salonitanorum Cod. Vat. 7019. pag. 75. a Joanne ad Rogerium, hic Antiſtitum eſt Ordo. LXII. *Joannes primus Archiepiſcopus in Spalato. Iſte fecit Templum argenteum, & ædificavit Eccleſiam S. Michaelis de mare: tumulatus eſt in Eccleſia Sancti Matthæi.* LXIII. *Petrus*. LXIV. *Marianus*. LXV. *Martinus*. LXVI. *Leo*. LXVII. *Petrus*. LXVIII. *Juſtinus*. LXIX. *Januarius*. LXX. *Truntinianus*. LXXI. *Paulus*. LXXII. *Martinus. Iſte fecit Calicem aureum magnum: iſte fuit Spalatenſis: & pater ejus fuit Comes iſtius loci.* LXXIII. *Dabralis, etiam iſte fuit Spalaten. & fuit depoſitus, quia habebat uxorem & filios in domo Archiepiſcopali.* LXXIV. *Joannes, & iſte fuit Spalaten. & ædificavit Eccleſiam S. Felicis de Rivo:* LXXV. *Laurentius ſedit annis* XL. *Iſte tempore ſuo fecit Monaſterium S. Benedicti, & fecit candelabra mugna argentea, & multa alia bona. Obiit* VIII. *die menſe Julii, tumulatus in Capella S. Matthæi in tumulo ſuperiori.* LXXVI. *Creſcentius*. LXXVII. *Manaſſes: iſte fuit Hungarus, & voluit tradere iſtam civitatem.* LXXVIII. *Gregorius: iſte fuit Jaderenſis: & ædificavit Eccleſiam S. Joannis, quæ eſt Capella Curiæ.* LXXIX. *Gaudius: iſte fuit Spa-*

Spalaten. & fuit depoſitus, eo quod conſecravit Epiſcopum ſe ſecundo. LXXX. *Abſalon Hungarus*. LXXXI. *Petrus* LXXXII. *Giraldus: iſte dimiſit Eccleſiam iſtam, & præfuit Eccleſiæ Sipontinæ*. LXXXIII. *Raynerius ſedit ann.5. iſte fuit lapidatus a Sclavis de Maſaro, eo quod cuircuibat terras Eccleſiæ Ann. Dom.* 1180. *prid. non Aug. ſepultus eſt apud Monaſter. S. Benedicti intus in Eccleſia*. LXXXIV. *Petrus Archiepiſcopus natione Hungarus: iſte fuit poſtea Archiepiſcopus Colocenſis*. LXXXV. *Petrus etiam natione Hungarus*. LXXXVI. *Bernardus de civitate Peruſia, ſedit ann.* 18. *iſte impetravit a D. Henrico Rege Hungariæ & a fratre ſuo Andrea &c.* LXXXVII. *Gungellus natione Hungarus, ſedit ann.* 23. *obiit ultimo die Menſis Maji: ſepultus eſt apud Monaſterium S. Stephani intus in Eccleſia ſub pavimento quum intratur per regiam, An. Dom.* 1242. *tempore Tartarorum*. LXXXVIII. *Hugrinus natione Hungarus, præfuit anno uno, menſ. 2. dieb. 7. iſte non eſt uſus pallio, niſi quum delatus eſt ad ſepulcrum, obiit 3. die ante feſtum S. Andreæ Apoſtoli; ſepultus vero in Eccleſia Fratrum Prædicatorum An. Dom.* 1248. LXXXIX. *Rogerius natione Appulus, ſedit ann. 16. obiit menſe Aprili, 14. die intrante, An. Dom.* 1266. A ſexageſimo ſecundo, hoc eſt, *Joanne*, uſque ad ſeptuageſimum tertium, ideſt *Dabralium*; inter Thomam Archidiaconum & antedictam Memoriam, manifeſtum intercedit diſcrimen. Nam ab Archidiacono hi octo recenſentur: *Joannes*, *Juſtinus*, *Marinus*, *Joannes*, *Martinus*, *Petrus*, *Paulus*, *Dabralius*. At in Memoria Præſulum Spalatenſium & Salonitanorum, duodecim, ſic: *Joannes*, *Petrus*, *Marianus*, *Martinus*, *Leo*, *Petrus*, *Juſtinus*, *Januarius*, *Truntinianus*, *Paulus*, *Martinus*, *Dabralius*. Ab hoc Dabralio ad Rogerium concordant.

Plura de Hiſtoria Thomæ Archidiaconi, ejuſque nævis non addam; quum hæc, ut puto, ſufficiant ad oſtendendum, quam vere de ea Hiſtoria ſcripſerit Joannes Lucius lib.2. cap. 1. ubi recenſitos ab ipſo Croatorum Duces cum iis, quorum Porphyrogenitus mentionem facit, comparans: *Primum*, inquit, *Ducem Croatorum Porphyrogenitus cap.* 31. *Anonymum Porgæ patrem ponit, quem cap.*30. *Porinum nominaverat, & Abares expuliſſe tempore Heraclii aſſerit, ut dictum eſt ſupra lib.* 1. *cap.* XI. *Secundum, Porgam ejus filium, cujus tempore Croatos baptizatos, & poſt baptiſmum pacificos redditos ſcribit. Bornam, & poſt eum Ladaſclavum, Francorum Annales nominant, qui deinde ponendi ſunt, ut*

multi anni Porphyrogeniti ante Tirpimirum vacui non reliquantur. Ex Privilegio ejuſdem Tirpimiri infra ponendo conſtat, Miſlaum Ducem ipſum anteceſſiſſe, quem Veneti Mium vocant, & tempore Gradonici eorum Ducis ponunt: hic debet eſſe is, quem Archidiaconus Tamislavum vocat, quamvis Branimiro poſtponat, & ex Archiepiſcoporum collatione anno 914. *ponat: ſed quum Tirpimirum quoque, Dircislavo poſtponendo, Regem fuiſſe aſſerat, ſimiliter & Micimirum, quos Duces fuiſſe, & ante Reges, ex eorumdem Privilegiis conſtat, neque ullius Tirpimiri, vel Micimiri Regum memoria reperiatur; ideo ordo & anni Archidiaconi non ſunt attendendi, quum in rebus ſe antiquioribus (communi illorum temporum vitio) non fuerit diligens ſupputator, prout in contemporaneis accuratus & veridicus Scriptor.*

XII. Animadverſiones in Chronicon Diocleatis Presbyteri, & in Slavicam hiſtoriam a Marulo Latine converſam.

Quod autem de Archidiacono ſentit Joannes Lucius, hoc Ipſum de *Presbytero Diocleate* deque *Marulana hiſtoria*, eſt dicendum, nimirum *in rebus ſe antiquioribus non fuiſſe eos diligentes Scriptores, prout in contemporaneis accurati ſunt & veridici Scriptores*. Diocleatis autographum non habemus in Codicibus Vaticanis: & ſane mirum eſt, quod Lucius ipſum unacum aliis Dalmaticis Scriptoribus, quos in Cod. Vat. 7019. manu exaratos reliquit, non conjunxerit, eo magis, quod cæteris antiquior ſit. Nam paulo poſt annum Chr. 1161. vixit: ſuam vero *Regum Slavorum hiſtoriam*, non ſecus atque *Slavus* ille *auctor*, quem Marulus Latinitate donavit, a temporibus Anaſtaſii Imperatoris inchoavit. Sic autem præfatur: *Rogatus a vobis dilectis in Chriſto filiis, ac venerabilibus Sacerdotibus Sanctæ Sedis Archiepiſcopatus Diocletanæ Eccleſiæ*. Incipit vero: *Regnante in urbe Conſtantinopolitana Imperatore Anaſtaſio, qui ſe & alios Euthychiana hæreſi maculaverat; Romæ vero præſidente Gelaſio Papa ſecundo, exiit quoque gens a Septentrionali plaga, quæ Gothi nominabatur*.

XIII. Error Diocleatis aſſerentis, Gothos ſub Anaſtaſio Imp. & Gelaſio Papa in Dalmatiam & Illyricum irrupiſſe.

Verum quam exiguæ ſit fidei Diocleates in antiquis Dalmatiæ rebus enarrandis, vel ex hoc ipſo hiſtoriæ exordio patet: nam prima ejus allucinatio eſt, quod *Gelaſium ſecundum Pontificem* ſub Anaſtaſio Imperatore dicit Romæ præſediſſe, quum is Gelaſius primus fuerit, & ab anno 492. ad 496. Romanam Cathedram ſanctitate & doctrina exornaverit. Altera allucinatio, quod Gothos ait ſub Anaſtaſio Imperat. & Gelaſio Pontifice a Septentrionali plaga in Illyricum & Dalmatiam irrupiſſe, hoc eſt, intra id ſpatium temporis, quod ab anno 492. ad 496. effluxit.

Digitized by Google

xit. Atqui ſub Anaſtaſio Imperatore nulla legitur Gothorum in Illyricum & Dalmatiam facta excurſio, ſed Bulgarorum; ſic tamen, ut ſuas ibi ſedes non fixerint, ſed ad ſua redire compulſi fuerint. Rem narrat ex Theophane Anaſtaſius Bibliothecarius in hiſtor. Eccleſ. pag. 50. edit. Pariſ. *Hoc etiam anno*, *ideſt*, *Symmachi* (*a*) *Papæ primo*, *& Imperii Anaſtaſii undecimo*, *Wulgares* (*b*) *per Illyricum & Thracem diſcurrunt*, *priuſquam agnoſcerentur*. Et pag. 54. *Vigeſimo tertio Imperii Anaſtaſii anno*, *Hormiſda Papa Romanus Pontificium gerit*. *Vitalianus autem*, *quem populus Imperatorem expetiverat*, *accepta tota Thracia*, *Scythia*, *& Myſia*, *Wulgares habens ſecum*, *& multitudinem Hunnorum*, *cepit Anchialum & Odyſſopolim*. *Comprehendit autem & Cyrillum Magiſtrum militum Thraciæ*, *& pervenit prædas agendo uſque Byzantium*; *parcens vero civitati*, *apud Soſthenium caſtrametatus eſt*. *Anaſtaſius autem deſperatione conſternatus*, *mittit ex Senatu quoſdam*, *rogans eum paciſci*, *& jurare unacum Senatu*, *quod ab exilio Epiſcopos revocaret apud Heracleam Tracæ*. *Porro Vitalianus addidit*, *ut & Principes uniuſcujuſque Scholæ jurarent iſtud*. *Sed & Macedonius*, *& Flavianus*, *qui nequiter pulſi fuerant*, *ſuos reciperent thronos*: *ſimiliter & reliqui omnes Epiſcopi*; *& ita celebraretur Synodus*, *Romano*, *& cunctis Epiſcopis convenientibus*, *& communi judicio probarentur quæ adverſus orthodoxos ſunt præſumpta*. *Itaque quum hæc Imperator*, *Senatus & reliqui Principes*, *populique juraſſent*, *& confirmaſſent ita fiendum*, *facta eſt pax*, *& ad propria rediit*. Subjungit, Anaſtaſium nihil eorum quæ promiſerat, effeciſſe: quare *Vitalianus indignatus adverſus Anaſtaſium ob perjurium*, *multa mala exercitibus Anaſtaſii*, *& univerſæ Reipublicæ demonſtravit*, *occidens*, *rapiens*, *armis exuens*: *& poſtremo ad injuriam ejus*, *unumquemque militem uno æreo nummo vendens*. Id vero egiſſe Vitalianum ait ex eodem Theopha-

a Mendum manifeſtum in anno. Nam Symmachus Papa inauguratus eſt anno Chriſti 498. x. Kal. Decemb. At annus Anaſtaſii undecimus inchoatus eſt menſe Aprili anno Chr. 501. Theophanes in Chronographia ad ann. xi. Anaſtaſii. „ Hoc etiam anno qui „ vocantur Bulgari, excurſionem in Illyricum & Thraciam fecerunt, quum nondum „ eorum natio audiretur de nomine. *Idem ad ann.* xxiii. *Anaſt.* Hoc anno Vitalianus „ occupata univerſa Thracia, Scythia, & Myſia, ducens ſecum ingentem Unnorum, „ & Bulgarorum numerum. *Et cætera*.

b *Wulgares*. Ita Bulgari dicti, a Vvolga flumine: ubi olim conſederant. Ibi nunc Horda *Zavolhanorum*, ideſt, *Zavolganorum*, a Vvolga nomen accipientium, ſicut *Zachlumi*, a monte Chulmo. Mutarunt poſtea ſedes, ut infra ſermo erit.

phane Anaſtaſius Bibliothecarius, quia quum orthodoxus eſſet, Imperatorem Anaſtaſium ab hæreſi, hæreticorumque favore volebat revocare: ſic enim ſcribit *ad annum Mundi* 6011. *divinæ Incarn.* 511. anno Imperii Juſtini primo, *Vitalianus poſt mortem Anaſtaſii, eidem Imperatori valde familiaris effectus eſt, ita ut Conſul appellaretur, fiduciamque tantam apud Imperatorem haberet, ut etiam Severum præciperet ejici, & interimi: nimis enim erat orthodoxus Vitalianus*. Sic Bibliothecarius. At Theophanes in Chronographia: *Memoratus autem Vitalianus poſt Anaſtaſii mortem, Juſtino magno devinctiſſimus evaſit, adeo ut magiſtri militiæ dignitatem ab eo conſequeretur, & Byzantium profectus, Conſulatum gereret, & Conſul declararetur, & præſenti Comes, tantaque apud Imperatorem auctoritate polleret, ut Severum expelli juberet, & occidi. Fuit enim Vitalianus rectæ fidei bene affectus*. Hoc ipſum de Vitaliano narrat Cedrenus ad annum Anaſtaſii 23. & 24. & ad ann. 1. Juſtini: ubi Hunnos & Bulgaros eundem ſecum duxiſſe refert adverſus Anaſtaſium Imperatorem, non quidem ut ipſe tyrannidem arriperet, ſed ut illum compelleret ab orthodoxorum vexationibus deſiſtere:
„ Anno XXIII., *inquit*, Vitalianus occupata univerſa Thracia,
„ Scythia, & Myſia, ducens ſecum Hunnorum & Bulgarorum
„ agmen, multas urbes, & Cyrillum quoque Thraciæ præfe-
„ ctum cepit, ac prædando Conſtantinopolim uſque proceſſit.
„ Tum Anaſtaſius rebus ſuis deploratis, pacem per Legatos pe-
„ tit, jurans unacum Senatu, ſe relegatos revocaturum, Ma-
„ cedonio ac Flaviano ſuos Epiſcopatus redditurum, Conci-
„ lium Heracleæ acturum, evocato etiam Papa Romano. Quum
„ in has conditiones eſſet ab omnibus conſenſum, Vitalianus
„ pace facta domum rediit. Sed quum circiter CC. Epiſcopi ex
„ diverſis partibus Heracleam conveniſſent, Imperator impius
„ violatis pactis, adjutore Timotheo Conſtantinopolitano Epi-
„ ſcopo, iis illuſit: atque ii re nulla confecta diſceſſerunt. An-
„ no XXIV. Vitalianus Anaſtaſio ob perjurium iratus, exerci-
„ tus ejus & Remp. multis damnis affecit: nam & prædabatur,
„ & milites captos exarmabat, tandemque contumeliæ cauſa
„ ſingulis obolis eos divendebat. *Et ad ann. 1. Juſtini*. Uſus
„ eſt Juſtinus admodum familiariter Vitaliano, qui, ut erat or-
„ thodoxus, apud Imperatorem inſtabat, ut Severus dejicere-
„ tur „. Evagrius Hunnos nominat, non Bulgaros; Vitalianum

præ-

præterea ſcribit, non orthodoxæ fidei amore in Anaſtaſium Imperatorem moviſſe, ſed ut tyrannidem arriperet. Sic enim ſcribit lib. 3. hiſtor. Eccl. cap. 43. *περὶ τῆς τυραννίδος Βιταλιανοῦ. Τυραννεῖ τὸν Ἀναστάσιον Βιταλιανὸς Θρᾷξ γένος, ὃς τήν τε Θρᾴκην καὶ Μυσίαν (a) μέχρις Ὀδυσσοῦ καὶ Ἀγχιάλου δῃώσας ἐπὶ τὴν Βασίλειον ἠπείγετο, πλῆθος ἀστάθμητον ἔχων οὐννικῶν (b) ἐθνῶν. De Vitaliani tyrannide. Contra Anaſtaſium porro Vitalianus genere Thrax, tyrannidem occupare ſtuduit. Hic Thracia & Myſia ad Odyſſum & Anchialum uſque vaſtata, urbem Regiam cum innumera multitudine ex gentibus Hunnicis collecta proficiſci maturat.* Et cætera, de prælio Vitalianum inter & Anaſtaſii Duces commiſſo, dumtaxat: nihil autem de conditionibus pacis, quas Theophanes, Cedrenus, aliique exprimunt. Quod argumento eſt, Evagrium in rebus geſtis Anaſtaſii deſcribendis, quam hiſtoricæ veritati, plus Acephalis auctoribus tribuiſſe: quamobrem de eodem Vitaliano lib. 4. cap. 3. pergit idem Evagrius enarrans, ipſum a Juſtino Imperatore fuiſſe dolo interemtum: „ Vitalianum vero, *inquiens*, vitam in Thracia degentem, „ qui Anaſtaſium Imperio exturbare moliebatur, Juſtinus Conſtantinopolim accerſit. Nam & potentiam ejus extimuit, & „ rerum bellicarum uſum, ſed & nominis ejus celebritatem, „ quæ in ore omnium erat, & Imperii, qua flagrabat, cupiditatem. Quumque conjectura proſpiceret, idque ſane veriſſime, ſe non alia ratione eum poſſe vincere, niſi amicitiam erga eum ſimularet; vultu mire ad fraudem compoſito, quæ „ facile deprehendi non poſſet, unum ex Ducum numero qui „ præſentes vocantur, tum deſignat. Et quo magis perſuaderetur Vitaliano, eo facilior aditus ad fraudem pateret, ad Conſulatus quoque honorem effert: Qui Conſul factus, quum in „ Palatio verſaretur, in porta quadam poſt aulam poſita, per „ dolum cæſus occubuit. Haſque pœnas pro ſceleribus, quæ „ tam inconſiderate contra Imperium Romanum conſciverat, „ perſolvit „. Hæc Evagrius de Vitaliani exitu. At Theophanes non

---

a Μυσίαν. In editione Chriſtophorſoni, Μηδίαν, Græce, & Latine *Media*: ſic: „ Hic Thracia & Media ad Odyſſam & Anchialum uſque vaſtata „: manifeſto errore. Nam *Thraciam*, *Myſiam*, & *Scythiam*, habent reliqui Scriptores. Deinde *Media* per η, non per υ, ſcriberetur, ſic Μηδίαν.

b Οὐννικῶν ἐθνῶν. Apud Chriſtophorſonum perperam, Οὐρανικῶν ἐθνῶν. Quod tamen Latine ſic reddit: „ Cum multitudine ex gentibus, quæ incertis ſedibus vagari, „ & habitare ſub dio conſueverant, collecta.

Digitized by Google

non Juſtini, ſed Byzantinorum dolo eum interemtum ſcribit ad annum Juſtin. 2. *Hoc anno Vitalianus a Byzantinis dolo interfectus eſt: quod enim rebellionis ejus in Anaſtaſium tempore plurimæ cædes fuiſſent editæ, graviter ei ſuccenſebant*. Sozomenus utrumque ab antiquis traditum affirmat: *Vitalianus*, inquiens, *a Byzantiis dolo cæſus eſt, iratis ei ob multorum cædem ab eo factam, quum contra Anaſtaſium ſeditionem moviſſet. Alii, Juſtini & Juſtiniani juſſu in Palatio cæſum tradunt, quum ipſi Imperatori vellet imperare*.

XIV. Commentitios eſſe priores XXXIII. Dalmatiæ & Croatiæ Reges, qui a Diocleate, & Slavico Marulano hiſtorico recenſentur.

Quidquid tamen de Vitaliano ſit, ex dictis conſtat, Anaſtaſii Imperatoris tempore neque Gothos, neque Hunnos aut Bulgaros, in Scythia, Myſia, & Thracia, & multo minus in Illyrico & Dalmatia, ſuos Reges habuiſſe: ſed has provincias Conſtantinopolitano Imperatori paruiſſe, a quo Magiſtri militum iis præficiebantur. Ac proinde qui apud Diocleatem, & Marulum recenſentur primi Dalmatiæ & Croatiæ Reges, nimirum, *Sfiſladus*, *Oſtroilus*, *Svevladus*, *Selimirus*, *Uladinus*, *Radimirus*, *quatuor Anonymi*, & *Svetmirus*, uſque ad *Uladimirum* Regem XXXIV. fictitii ſunt: aut ad Dalmatiam & Croatiam non pertinent, ſed ad Pannoniam, ubi ſedes habebant Gothi, & Gepædes, & Rugi aliæque Gothicæ gentes, Procopio, Jornande, & Paulo Diacono teſtibus: quamquam neque nomina, neque res geſtæ, quæ a Diocleate & Marulo exprimuntur, conveniant cum iis, quæ Procopius, Jornandes, & Paulus Diaconus de Gothis illis tradunt.

XV. Cangius partim Diocleatem & Marulanum auctorem excuſat, partim redarguit.

Cangius in Familiis Dalmaticis & Sclavonicis cap. 3. excuſare nititur iſtum Scriptorum Dalmaticorum cum aliis diſſenſum. *Non magnopore*, inquit, *mirandum, ſi rerum Dalmaticarum & Servianarum recitandis primordiis non omnino conſentiunt Scriptores Byzantini cum Dalmaticis ipſis ac indigenis Scriptoribus, &, ſi in Principum nomenclaturis perſæpe inter ſe diſſideant: præter quam enim quod in peregrinis illis nominibus exarandis peccare ſolent Byzantini, accidit interdum, ut duplici nomine donarentur Principes, patrio altero & cum terminatione genti familiari, altero vero ſecundum Chriſtianorum uſum. Atque id cauſæ fuiſſe fere exiſtimaverim, cur hiſtoriæ Dalmaticæ Scriptor Presbyter Dicleates, quæ in annum* 1161. *deſinit, cum Porphyrogenito non prorſus conveniat: quum fieri poſſit, ut uterque de iiſdem Principibus ſub diverſis appellationibus ſermonem inſtituerit;*

rit; tametſi, nequid diſſimulem, nullam Scriptor ille videtur feciſſe mentionem rerum ac bellorum quæ a Porphyrogenito narrantur. Hæc modeſtiſſime Cangius. Verum idem auctor mox in Budimiro, undecimo Dalmatiæ, & Croatiæ Rege, pag. 275. edit. Pariſ. ingenue ſententiam ſuam aperit, multa demonſtrans a Diocleate perperam perturbata. *Ait ſiquidem Diocleates, Budimirum, Svetmiri ſucceſſorem, a Conſtantino Philoſopho Leonis Patricii Theſſalonicenſis filio, qui quum complures in Coſſarenſi provincia & in Bulgaria ad Chriſtianam fidem traduxiſſet, Romam a Stephano Papa fuerat evocatus, ad Chriſtianam fidem adductum, ac baptizatum: Svetopeleki, ideſt, lingua Slavica, pueri Sancti, indito nomine, fuiſſe appellatum: Svetopolim vocat Andreas Dandulus in chronico manuſcr. ad ann.854. ipſum vero Conſtantinum Sacram Sripturam in Slavicam linquam vertiſſe, peculiareſque ab eo repertos charatteres, quorum uſum etiamnum ſervant Slavi: hujus autem filios Cyrillum & Methodium fuiſſe, qui complures in Europa Slavicas gentes pariter ad Chriſti cultum converterint.* Quid ad hæc Cangius? calamum cohibere non potuit Vir ingenuus, quin cenſuram hujuſmodi adjiceret *At viri docti* (*Bollandiani ſcilicet ad 9. Martii in S. Cyrillo*) *Conſtantinum eundem eſſe cum Cyrillo non ita pridem docuere. Subdit deinde Presbyter Diocleates, revocatis qui in montes confugerant Chriſtianis, requiſitoque & Stephani Papæ, & Michaëlis Imperatoris conſilio, Budimirum Regni ſui confinia definiviſſe, inſtituiſſet Archiepiſcopatus & Epiſcopatus, quorum ſeries habetur apud Innocentium III. Papam* (lib.2. epiſt. pag.152. Thom. Archidiac. cap.12.) *& alios: Præterea Banatus, & Jupanias. Sed Diocleatem perperam hæc omnia perturbaſſe conſtat, quum quæ de Svetopeleko & Cyrillo narrat, ad Svetopelekum Moraviæ Ducem, quem Sphendoplocum Porphyrogenitus* de Admin. Imper. cap.41. *Zventibolkum Annales Francorum nominant, referri debere oſtenderunt iidem viri doctiſſimi, & Joannes Lucius, huicque inſcriptam Joannis VIII. Papæ Epiſtolam CCXLVII. ubi Sfentopulcrum vocat, ut Epiſtolam proximam Methodio: quæ quidem circa annum 870. contigiſſe certum eſt, ante quod tempus pridem e vivis exceſſerat Budimirus, quem 17. Mart. mortuum vult Diocleates annum Imperii 40., & in Diocleenſi Eccleſia ſepultum. Ita quæ de prioribus iſtis Servianis Principibus ille commemorat, admodum incerta ſunt.*

Ma-

XVI. Quid Diocleates & Slavicus Marulanus Scriptor tradant ſub Budimiro ſeu Svetopolko ab Apoſtolicæ Sedis Legatis geſtum circa Politica & Eccleſiaſtica Dalmatiæ negotia.

Marulanus auctor eadem fere habet de Budimiro, ac Diocleates: ſed primo pro Conſtantino Philoſopho, *Conſtantinum* legit: ſecundo ſilet de Budimiri nomine in *Svetopolchum* mutato. Tertio, addit, eundem Budimirum ad Stephanum Papam & Conſtantinum Imperatorem Legatos miſiſſe, ut eorum conſilio & auxilio in ſuo Regno Epiſcopatus & Banatus ordinaret. Quarto ſubdit, miſſos a Stephano Papa ad Regem Budimirum duos Cardinales ac duos Epiſcopos, qui quum illuc acceſſiſſent, Apoſtolica auctoritate, quæ facto opus erat, (verba ſunt Marulani Chronici ad annum 777.) peregerunt: per illos quippe Presbyteri conſecrati, erectæ Eccleſiæ, leges rogatæ, & quæcumque novitiis Chriſtianis neceſſaria erant, plene perfecteque fuere conſtituta. Quinto ait, his peractis Legatos Budimirum Regem ſacro chriſmate delibutum ſanctificaſſe: deinde Archiepiſcopos & Epiſcopos creaſſe per loca, Diœceſes eis aſſignando, juxta quod in literis vetuſtæ obſervationis invenerant: unum ex his Archiepiſcopis miſiſſe Salonas, cujus urbis maxima pars tunc diruta erat, & quæque egregia vaſtationibus deformata Gothorum inhumanitate atque ſævitia: alterum vero Archiepiſcopum Diocleam deſtinaſſe: Epiſcopos autem alios aliis locis præficientes, iſtorum Archiepiſcoporum juriſdictioni, ac regimini ſubjeciſſe. Demum, ab iiſdem Legatis fines Regni Dalmatici fuiſſe conſtitutos, ſcribit his verbis: „ Poſtquam autem cuncta ſecundum priſtinam con„ ſuetudinem in ſuum redacta ſunt ſtatum, hoc eſt, maritima, „ mediterraneaque Dalmatiæ loca, & quæ inter flumina Dra„ vum & Savum Danubium influentia jacent, regionemque, quæ a „ Delminii ruinis, ubi tunc Regni Concilium factum fuerat, uſ„ que ad locum, qui Valdemin appellatur, & a Valdemino uſque „ Dyrrachium protenditur, hanc in partes duas diviſerunt, quas „ dirimebat ripa Drini fluminis Occidentem verſus uſque Bei„ ram montem, & tractus perpetuus Boſniam provinciam ſcin„ dens uſque ad montem Lippam. His ita ſeparatis, alibi Bani, „ quos Latini Tribunos vocant, alibi ſublimioris poteſtatis Duces „ præfecti ſunt, prout cujuſque regionis exigere videbatur con„ ditio. *Et mox*. Alias præterea leges ac ſcita ſanxerunt, quæ „ nunc referre longum foret, habentur autem in Libro, qui eſt „ in Croatia, dictus *Methodes*, quem Latine *Rationale* poſſis „ dicere.

Non cohærent iſta cum iis, quæ authentica habemus apud in-

Digitized by Google

indubiæ fidei Scriptores. Nam primo coſtat ex Conſtantino Porphyrogenito, & ex hiſtoricis, qui Theophani ſubjuncti ſunt, aliam tunc fuiſſe tam in Politicis, quam in Eccleſiaſticis negotiis Dalmatiæ faciem, ac Marulanum Chronicon deſcribit. Secundo, ex epiſtolis Hadriani Papæ, & Joannis VIII. & ex rebus geſtis Cyrilli ac Methodii Slavicæ gentis Apoſtolorum demonſtratur, nihil horum ſub Budimiro ſive Svetopelco contigiſſe, quæ hic in Marulano Chronico de Legatis Apoſtolicæ Sedis, deque inſtitutis Archiepiſcopatibus & Epiſcopatibus, & præſcriptis Regni Dalmatici finibus perhibentur. Quin imo neque Diocleates cum Marulano Chronico hac in parte conſentit: nam Diocleates, non duos Cardinales & duos Epiſcopos a Stephano Papa in Dalmatiam miſſos aſſerit, ſed unum dumtaxat, his verbis: „ Poſt hæc Sphetopelek Rex juſſit Chriſtianis, qui Latina utebantur Lingua, ut reverteretur unuſquiſque in locum ſuum, & reædificarent civitates & loca, quæ olim a Paganis deſtructa fuerat. *Et mox*. „ Miſit Stephanus Papa Vicarium ſuum Honorium nomine, „ S.R.E. Presbyterum Cardinalem. Poſthæc juſſit Rex ut conſecrarentur Archiepiſcopi, unus in Salona, & alius in Dioclea: „ ſimiliter & Epiſcopi plurimi conſecrati ſunt „. Tum Dalmatiam dividens in ſuperiorem & inferiorem; „ Inferiori, *inquit*, „ Dalmatiæ præfici juſſit Salonitanum Archiepiſcopum, has illi „ ſubjiciens Eccleſias: videlicet, Spalatum, Tragurium, Scardonam, Stranſonam, quod nunc eſt Caſtellum, Enonam, Arbuam, „ Abſarum, Vigiliam, & Epitaurum, quod nunc dicitur Raguſium. *Superiori vero Dalmatiæ*, Diocletianum Archiepiſcopum, ſub quo Antibarium, Bndua, Ecatarum, Dulcignum, „ Scracium, Scodra, Drivaſtum, Polletum, Sorbium, Boſonium, „ Tribunium, Zaculmium „. Ita Diocleates & Marulanum Chronicon.

Verum ad Dalmatiæ Metropolitanos quod ſpectat, in utroque allucinatio eſt manifeſta, ſive antiquum Eccleſiarum ſtatum ſpectemus, ſive recentiorem. Nam antiquitus Dalmatiæ Metropolitanum fuiſſe unum *Salonæ* Antiſtem, cui ſubeſſent Epiſcopi *Jaderæ*, *Epidauri*, & *Serviæ*, conſtat ex Geographia ſacra Caroli a S. Paulo pag. 76. & ex notis cl. Lucæ Holſtenii: qui *Scodram* inter Metropolitas *Illyrici* ponit ex Epiſtola S. Gregorii Papæ lib. 7. Ind. 2. epiſt. 69. eique ſubjectum Epiſcopum *Diocleæ*, ex ejuſdem Sancti Gregorii lib. 10. epiſt. 34. *Scodram* enim Prævali-

XVII. De Metropolitanis & Epiſcopis Dalmatiæ, tum ex antiqnis Tabulis, tum ex Thoma Archidiacono.

tanæ provinciæ Metropolim fuiſſe, donec Juſtinianus *Achridam* patriam ſuam ad eam dignitatem evexit. Hierocles etiam *Dyrrachium* olim Metropolim fuiſſe docet. Quidquid tamen ſit de antiquo Eccleſiarum Illyrici & Dalmatiæ ſtatu; ad recentiorem quod attinet, Thomas Spalatenſis Archidiaconus, diligens hac in re auctor, affirmat, unum extitiſſe totius Dalmatiæ Archiepiſcopum Salonitanum, ex quo Salona everſa Spalatum in ejus locum ſucceſſit, idque uſque ad ann. Chr. 1030. quo Dabralius Paulo Archiepiſcopo defuncto ſucceſſit. Quum enim ad hujus Dabralii electionem ſuffraganei Dalmatiæ, *Catarienſis*, *Antibarenſis*, *Dulcienſis*, & *Suagenſis* conveniſſent, una omnes cum navi, quam aſcenderant, perierunt. *Tunc cives urbium prædictarum*, inquit Thomas cap. 15., *miſſa relatione ad ſummum Pontificem, nunciaverunt de naufragio Epiſcoporum ſuorum, ſuppliciter poſtulantes eximi a ſubjectione Eccleſiæ Spalatenſis, ſatis probabilem prætendentes occaſionem, quia periculoſum illis erat tam remotam Eccleſiam viſitare. Quamobrem Romanus Pontifex annuit petitioni eorum, omneſque Epiſcopos a Raguſio ſuperius abſolvit a vinculo quo tenebantur antiquæ Metropoli Salonitanæ, ſtatuitque novam Metropolim in civitate Antibarenſi, & omnes Epiſcopatus prædictos ei ſubjecit. Inferior vero Dalmatia habuit Epiſcopatus ſuos more antiquo, ſuæ Metropoli Salonitanæ Eccleſiæ ſubditos, videlicet ab Abſarenſi Epiſcopatu uſque ad Tragurienſem. Viglienſis, & Abſarenſis Epiſcopatus, habuere parochias ſuas in inſulis: ſed Viglienſis obtinebat majorem partem parochiarum, quas nunc habet Signienſis Eccleſia, quia non erat tunc Epiſcopalis ſedes. Omnes enim civitates prædictæ ad Regnum Chroatiæ pertinebant. Jaderenſis Epiſcopatus non magnam habuit Parochiam propter vicinitatem Nonenſis, & Belgradenſis Epiſcopatuum. Quum autem Belgradenſis civitas deſtructa fuiſſet a Venetis, mutavit ſedem ſuam in Scardonam.... Tragurienſis Epiſcopatus, quia ſuæ Metropoli vicinior erat, majorem Diœceſim ſortitus eſt, videlicet caſtrum Sibeniceriſſæ cum tota ſua ripa. Fuit etiam Epiſcopalis ſedes apud Mucharum, eratque ſua Parochia a confinio Traynæ uſque Stagnum. In Stagno nihilominus fuit Epiſcopatus, ſuaque parochia erat in Comitatu Chulmiæ. Voluerunt etiam Chroatorum Reges quaſi ſpecialem habere Pontificem, petieruntque ab Archiepiſcopo Spalatenſi, & fecerunt Epiſcopum, qui Chroatenſis appellabatur, poſueruntque ſedem ejus in campo in Eccleſia S. Mariæ Virginis ju-*

Digitized by Google

juxta caſtrum Tunienſe. Hic multas obtinuit Parochias, habuitque prædia & poſſeſſiones per totum pene Regnum Chroatiæ, quia regalis erat Epiſcopus, & Regis curiam ſequebatur, eratque unus ex Principibus aulæ, & ſua juriſdictio uſque ad Dravum fluvium extendebatur. Pergit cap. 20. de Jaderenſis Eccleſiæ exemptione diſſerens. *Tandem Lampadius iſte Jaderenſis Epiſcopus eſt effectus. Iſte primus ſub Patriarcha Gradenſi Pallium obtinuit ab Anaſtaſio Papa anno 1145.... & quia tunc vacabat Archiepiſcopo Eccleſia Spalatenſis, facile Jaderenſes ſine contradictione potuerunt exemptionem ſuæ Eccleſiæ obtinere*. Poſtremo de Epiſcopatu Farenſi, deque Viglienſi & Arbenſi a Spalatina Eccleſia ſeparatis ibid. *Iſtis vero temporibus ſicut ab antiquo, inſulæ Farorum & Bracia erant Diœceſes Eccleſiæ Spalatenſis. Archipresbyter vero erat in eis quidam Cernatha Sacerdos Cappellanus de Spalato: prædicti autem Clerici, qui ad Epiſcopatum anhelaverant, cœperunt inimicari Comiti* (Petranæ nomine) *ob favorem Lampadii. Qui volentes eos ſibi pacatos efficere, uni conſenſit Epiſcopatum Apſarenſem, quem cum duobus aliis Epiſcopatibus, ſcilicet, Viglienſi & Arbenſi, a ſubjectione Spalatinæ Eccleſiæ ſubtraxerant. Martinum vero fecit eligi ab inſulanis, expulſo Archipresbytero Eccleſiæ Spalatenſis: nam Comes prædictus cum Venetis earundem occupaverat dominium inſularum. Et quamvis Martinus poteſtate Jaderenſis Comitis fuiſſet electus, noluit tamen Jadræ conſecrari; ſed profectus Raguſium, conſecrationem ſuſcepit ab Andrea Archiepiſcopo Raguſino, & ab Epiſcopis Dulcienſi & Suagenſi; & nullam ſubjectionem faciebat Jaderenſi Eccleſiæ, ſed Spalatenſi debitam reverentiam exhibebat*. En ſtatus Eccleſiarum Dalmatiæ, ab eo quem Diocleates & Marulanus auctor comminiſcuntur, plane diverſus.

XVIII. An Archiepiſcopatus e Diocleenſi ad Raguſinum Antiſtitem translatus?

Baudrandius in Lexico Geographico V. *Doclea, ejus*, inquit, *dignitas Archiepiſcopalis anno 990. Raguſium translata fuit, ut didici a pluribus viris doctis illarum partium*. Raguſium Archiepiſcopali dignitate inſignitum eſſe, ultro fatemur: ſed Doclea, ſive Dioclea translatum eum Archiepiſcopatum, fabula eſt ex Diocleate Presbytero hauſta: qui quum poſt annum 1161. Chronicon Regum Dalmatiæ ſcriberet, non eſt tamen veritus in præfatione patriam ſuam Diocleam adhuc Archiepiſcopali dignitate exornatam aſſerere, inquiens: *Rogatus a vobis dilectis in Chriſto fratribus ac venerabilibus Sacerdotibus Sanctæ Sedis Archiepiſcopa-*

palis Diocletianæ Eccleſiæ , & cætera . Cæterum de Raguſio poſt annum 640. e ruinis Epitauri ædificata civitate, hæc habet Thomas Archidiaconus cap. 8. poſtquam Salonæ deſtructionem deſcripſit : *Eodem tempore Joannes Summus Pontifex Apoſtolicæ Sedis, quum eſſet Dalmatinus natione, audiens ſuæ gentis miſerabilem caſum, valde condoluit : miſitque Abbatem quendam Martinum nomine, cum multa pecuniæ quantitate pro redimendis captivis. Qui veniens ad partes Dalmatiæ, multos redemit captivos a Sclavis, eoſque ad parentes ſuos remiſit. Iſte Martinus ex Apoſtolica juſſione multorum Sanctorum Reliquias accepit in partibus Dalmatiæ & Iſtriæ, & detulit eas Romam ad prædictum Papam Joannem: qui venerabilis Pontifex eas reverenter ſuſcipiens, recondidit apud Eccleſiam Beati Joannis Lateranenſis, ubi eſt fons Baptiſterii : & ibidem juxta fecit depingi imaginem Beati Domnii cum Pallio & cæteris Pontificalibus indumentis, totam ex muſivo aureo. Similiter fecit imaginem Beati Anaſtaſii inter alios Sanctos.* Loquitur Thomas de Joanne quarto Papa, de quo hæc Anaſtaſius Bibliothecarius. *Hic temporibus ſuis miſit per omnem Dalmatiam ſeu Iſtriam multas pecunias per ſanctiſſimum & fideliſſimum Martinum Abbatem propter redemptionem captivorum, qui deprædati erant a gentibus. Eodem tempore fecit Eccleſiam Beatis Martyribus Venantio, Anaſtaſio, Mauro, & aliis multis Martyribus, quorum Reliquias de Dalmatia & Iſtria adduci præceperat.* Sedit hic Joannes Papa ab anno Chr. 640. ad 642. quamobrem ex hoc ipſius facto colligitur, circa hæc tempora Salonam fuiſſe a Sclavis deſtructam. Pergit porro Thomas : *Per idem fere tempus quidam advenæ, ut ferunt, Romana urbe depulſi, non longe ab Epitauro ratibus applicuerunt.* Et mox. *Prænotati ergo advenæ ſedem ſibi in illis partibus collocantes, civitatem Epitaurenſem ſæpius impugnantes, nimium attriverunt, eamque ceperunt, & captam in ſolitudinem redegerunt. Homines autem cum eis permiſti ſunt, & facti ſunt populus unus : ædificaverunt Raguſium, & habitaverunt in eo : ex eo tempore conari cœperunt Pallium ſuo Epiſcopo obtinere.* Quandonam obtinuerint, non explicat Thomas; ſed ſupponit, ante annum 1145. jam Archiepiſcopali honore decoratum fuiſſe Raguſinum Antiſtitem, quum dicit conſecratum ab eo Martinum Epiſcopum Farenſem.

XIX. Quid Anſelmus Bandurius de Ra-

Anſelmus Bandurius Animadverſionibus in Conſtantin. Porphyrog. de Admin. Imper. patriam ſuam Raguſium pluribus illuſtrat;

guſio patria ſua ; ejuſque origine , nomine , ac vicibus ?

ſtrat . Et primum quidem de origine ejuſdem ac progreſſibus hæc habet : „ Originem autem ac progreſſum Raguſinæ Reipublicæ , „ & quando maxime floruerit in re navali ſubſequentibus ſeculis , „ facile quiſpiam intelligere poterit ex compendio Annalium Ra- „ guſinorum , edito ab Illuſtriſſimo Jacobo Luccari Patritio Ra- „ guſino , Italico idiomate , Venetiis 1605. & ex Opere Mauri „ Orbini Raguſini, Abbatis Melitenſis, cui titulus , *Il Regno degli* „ *Slavi* , edito Piſauri 1601.

Secundo , profert teſtimonium Porphyrogeniti de Raguſinis, copias auxiliares ad Barim a Saracenis recuperandam, in Apuliam propriis navibus tranſportatas mittentibus . „ Satis illuſtre „ eſt , *inquit* , hoc Porphyrogeniti teſtimonium ad urbis Raguſi- „ næ patriæ meæ antiquitatem comprobandam : quippe nono ſæ- „ culo , Baſilio Macedone imperante , Slavorum Principum au- „ xiliares copias ad Barium urbem recuperandam in Apuliam no- „ ſtrates propriis navibus tranſportarunt, ut Porphyrogenitus ad- „ notat : quas proculdubio non habuiſſet Raguſina urbs nono ſe- „ culo , niſi jam ab aliquot ſeculis fundata eſſet , & tunc magna „ eſſet ac florentiſſima , Metropolis totius Romanæ gentis , quæ „ in Dalmatia erat . *Verba Porphyrogeniti hæc ſunt cap.* 29. Scien- „ dum eſt , quod Chrobatos , reliquoſque Slavorum principes , „ *οἱ τοῦ κάστρου Ῥαουσίου οἰκήτορες* , Raguſini cives ſuis navibus in „ Longobardiam tranſmiſerint . Et urbem quidem Barim , to- „ tamque regionem , ac prædam univerſam ſibi habuit Impera- „ tor Romanorum ; Soldanum vero cum cæteris Saracenis Rex „ Franciæ Ludovicus, & Capuam ac Beneventum ipſos abduxit . „ *Id factum , poſtquam auxilio Baſilii Macedonis , ſoluta eſt Ra-* „ *guſinæ urbis obſidio , de qua idem Porphyrogenitus ibid.* Poſt „ aliquod vero temporis, præclaro illo ac ſemper memorando Ba- „ ſilio fræna Imperii moderante , venientes ab Africa Saraceni „ cum Soldano, & Saba , & Calphone, navibus 36. applicuerunt „ in Dalmatia ,atque urbes Butoba (*Butua*) Roſa, & inferius De- „ catera expugnarunt: inde adverſus Raguſium profecti, eam ur- „ bem obſidione cinctam quindecim tenuere menſes . Tum Ra- „ guſini cives in anguſtias adacti, Baſilio ſemper memorando Ro- „ manorum Imperatori id ſignificarunt , hiſce verbis : miſerere „ noſtri, neque nos permittas ab infidelibus peſſundari ; eaque re „ Imperator motus , Nicetam Patricium mittit Drungarium rei „ navalis , Orypham cognominatum , cum Chelandiis centum .

„ At

„ At Saraceni ubi adfuturum mox cum claſſe Patricium rei na-
„ valis Drungarium reſciverunt, ab obſidione Raguſinæ urbis
„ diſceſſerunt, & in Longobardiam trajicientes, urbem Barium
„ obſidione cinxerunt, expugnaruntque, *de Bario a Saracenis*
„ *expugnato Erchempertus cap.* 20. Per idem tempus Agareni
„ Barim inſidentes ceperunt, devaſtantes ſtirpitus. *Ubi Ban-*
„ *durius hæc addit*: Sed cur dicatur *Barium Rauſiorum urbs*
„ Simeoni Logothetæ, cauſam apud alios Scriptores non repe-
„ rio. Sic ille ad annum XVII. Imperii Baſilii Macedonis: Σολ-
„ δανὸς ὁ τῶν Ἀγαρηνῶν ἀρχηγὸς, τὴν Βάρην κρατήσας, ἥτις
„ ἐστὶν πόλις μεγάλη τῶν Ῥαυσίων, καὶ ἐν αὐτῇ κατοικήσας,
„ πολλὰς ἑτέρας πόλεις, καὶ χώρας κατελυμήνατο „. *Soldanus*
Agarenorum Princeps capto Bario, quæ Rauſiorum urbs magna
eſt, in eoque poſitis ſedibus, multas alias urbes locaque diri-
piebat. Cauſam hanc puto, cur *Barium* a Simeone dicatur *Rau-*
ſiorum urbs: per errorem ſcilicet: confundit enim Simeon Ba-
rium Apuliæ urbem, cum Antibari Dalmatiæ, quæ Rauſiorum
dicebatur.

Tertio, de nomine Raguſinæ urbis hæc notat Porphyrogeni-
tus: „ Urbs Rauſium non appellatur Rauſium τῇ Ῥωμαίων δια-
„ λέκτῳ, Græca lingua, ſed quia in locis præruptis poſita eſt.
„ Λέγεται Ῥωμαϊστὶ ὁ κρημνὸς λαῦ, præcipitium Græce vocatur
„ *Lau*, unde inhabitantes, nuncupati ſunt Lauſæi. Communis
„ vero uſus, qui ſæpe literarum commutatione nomina corrum-
„ pit, commutato nomine Rauſæos appellavit. *Bandurius vero*.
„ Neque ſola urbs Rauſina, quod in loco prærupto ſita fuerit,
„ hoc nomen nacta eſt: quippe urbs etiam Laconicæ aſpero in lo-
„ co ſita, λᾶ dicitur apud Lycophronem: unde nomen ſumpſe-
„ re λαπέρσαι Dioſcuri. Et quemadmodum a principio urbs illa
„ Rauſium ſive Lauſium dicta fuit Græcis, quod in loco prærupto
„ ſita eſſet (qui quidem locus pars eſt hodie urbis occaſum Solis
„ hybernum ſpectans:) ſic poſtmodum initio ſeculi undecimi
„ quum multi ex gente Slava Raguſium venerint inhabitandum,
„ pomoeria urbis Septentrionem verſus protulerunt, domoſque
„ ibi extruxerunt, qui locus quum tunc eſſet ſylvoſus, & ſylva
„ Slavis dicatur *Dubrava*, urbs Rauſium ab illa parte urbis tunc
„ ædificata nomen ſumpſit, Slaviſque nuncupata eſt *Dubrovnik*:
„ quod quidem nomen in hodiernum uſque diem ſervat.

Quarto, idem Porphyrog. de conditu Raguſii e ruinis Epi-
dau-

dauri. *Atque hi ipſi Rauſæi olim tenuerunt urbem πἑτρα, Epidaurum nuncupatam: at poſtea quum reliquæ urbes expugnatæ eſſent a Sclavis, qui in hoc Themate ſunt, hæc etiam urbs ab ipſis capta fuit: & civium alii quidem interfecti fuere; alii vero in vinculis abducti. Qui autem fuga ſalutem invenire potuerunt, loca prærupta inhabitarunt; ubi nunc urbs eſt, primo exiguam illam ædificantes, poſtea iterum majorem, mox rurſum & quartum paulatim aucta multitudine promoeria protulerunt. Ex iis autem qui aliunde demigrarunt Rauſium, hi ſunt: Gregorius, Arſaphius, Victorinus, Vitalius, Valentinus Archidiaconus, Banentinus pater Protoſpatharii Stephani. Ex quo autem cives Salonitani Rauſium demigrarunt, anni ſunt* 500. *in hunc uſque diem, Indictione* VII. *anni* 6457. (*Chriſti* 949.) „ Quo tempore Epidaurus ac reliquæ urbes Dalmatiæ maritimæ ab Abaribus ſeu Slavis everſæ fuerint, pluribus ſcribit Joannes Lucius in Opere edito de Regno Dalmatiæ & Croatiæ cap. 7. 8. & 9. *Sed ita tamen*, inquit Bandurius, *ut non omnem ſcrupulum mihi demat. Quæ omnia quum plus otii nactus fuero, vel fortaſſis quum res patriæ meæ ſcriptis illuſtrabo, ad trutinam revocabo*. An id Bandurius perfecerit, non liquet. Pergit igitur de aliis Dalmaticis Scriptoribus ſententiam ſuam declarans: *Quæ vero de origine urbis Raguſinæ Maurus Orbinus, & Petrus Luccari, conterranei mei, tradiderunt, non omnino ſpernenda ſunt; ſed quo tempore vixerit Michael Salonitanus, cujus tractatum de Dalmatia uterque laudat; & quam fidem ipſius ſcripta mereantur, non ſatis liquet; eundem tamen Porphyrogenito recentiorem fuiſſe facile crediderim. Verum Ludovicus Tubero Abbas Melitenſis, vir alius doctiſſimus lib.* V. *Commentariorum de temporibus ſuis, dum in conſcribenda urbis Raguſinæ origine Diocleatem auctorem ſequitur, nugas nugari videtur.* Joannes Lucius laudata Porphyrogeniti verba de conditu Raguſii, deque Salonitanis illuc demigrantibus ſic interpretatur: *Ex quo autem Salona tranſiit Raguſium, anni ſunt* 500. *in hunc uſque diem, Indictione* VII. *ann* 6457. (Chr. 949.) mox addit: „ At Rauſina civitas, quamvis in Regno Dalmatiæ, de quo tractandum eſt, incluſa „ non fuerit, ſub nomine tamen Dalmatiæ continebatur: ſed ſicuti Dalmatia in Orientalem & Occidentalem diviſa, Orientalis Serviorum cenſebatur, Occidentalis vero Croatorum, „ ita Rauſium in Orientali parte ſitum a cæteris Dalmatis diviſum, jus quoque ſeparatum habuiſſe, innuere videtur Por- „ phy-

XX. Quo tempore Raguſina urbs condita? Expenditur locus Porphyrogeniti.

Digitized by Google

„ phyrogenitus ; nam ait loco ſupra citato ; *Salonam tranſiiſſe*
„ *Rauſium*, ideſt, loco Salonæ, totius antiquæ Dalmatiæ Me-
„ tropolis, Rauſium partis Orientalis Dalmatiæ maritimæ, quæ
„ Græcis parebat, in Metropolim ſucceſſiſſe „. Atqui Porphy-
rogenitus hæc ita non intelligit; licet urbs Rauſium Metroplis
ac Regina Dalmatiæ fuerit, hodieque ſit, ut tradit Cedrenus lo-
quens de Saracenorum in Dalmatiam impreſſione: προχωρέντων
δὲ κατὰ ὖν τῶν πραῆ Ῥαύσιον λέγεται γμάτων τοῖς Ἀκαρηνοῖς,
ἦλθον καὶ ὑπὸ τοῦ ὅλου ἔθνους μητρόπολιν ἣ Ῥαύσιον λέγεται. *Ita
proſpere ſuccedentibus rebus, Agareni Rauſium quoque totius gen-
tis Metropolim aggreſſi ſunt*. Raguſinam urbem Metropolim uni-
verſæ nationis appellat & ipſe Porphyrogenitus in avi Baſilii vita
num. 38. ubi de eadem Saracenorum in Dalmatiam impreſſione.
Senſus ergo Porphyrogeniti hic eſt, *Ex quo Cives Salonitani Rau-
ſium demigrarunt, anni ſunt 500. in hunc uſque diem*, non vero:
Ex quo Salona tranſiit Rauſium. Hinc manifeſto liquet, recenſi-
tos a Porphyrogenito paulo ſuperius viros, qui Raguſium demi-
grarunt, fuiſſe Salonitanos cives: adeoque Rauſium conditum &
inhabitatum partim a Salonitanis, partim ab Epidaurenſibus, poſt
excidium ſcilicet Epidauri, & Salonæ, quod extremis Heraclii
temporibus contigit, quando Abares in Dalmatiam irruperunt,
uti conſtat ex Anaſtaſio Bibliothecario, qui narrat Joannem IV.
Papam circa annum 641. miſiſſe per omnem Dalmatiam & Iſtriam
multas pecunias propter redemptionem captivorum, qui depræ-
dati fuerant a gentibus; ideſt, a Slavis & Abaribus. Ac proinde
numerum hunc quingentorum annorum, quem ponit Porphyro-
genitus ab anno Chriſti 949. quo hæc ſcribebat, ad illud tempus
quo Salonitani Cives Rauſium tranſierunt, corruptum fuiſſe a li-
brario, vel perperam Conſtantinum ſupputaſſe, recte autumat
Joannes Lucius, quum Salonæ everſio nullo modo ad ann. Chri-
ſti 449, ſive ad Attilæ tempora, referenda ſit; utpote quæ ſuper-
ſtes fuit Juſtiniani tempore, maximaque commoda Juſtiniani Du-
cibus bello Gothico præbuit. Baudrandius ex Joanne Lucio Tra-
gurino Viro docto ſcribit, poſt Epidauri excidium, Epidauritas
novam urbem extruxiſſe in ora, 6. millibus paſſuum a priori diſ-
ſitam, in rupe maritima, quam ob id *Lauſium* denominarunt, &
poſtea *Rauſium* & *Raguſium*, teſte Porphyrogenito, ſicque Ra-
guſium, Epidaurum novam dici poſſe, quod creverit ex ejus rui-
nis in viciniis: diſtare autem Epidaurum 6. milliaribus a Raguſio
in

in ortum hybernum, & 45. a Narona in meridiem, Antibarium verſus.

XXI. Errores Seraphini Razzii, & Bandurii notantur circa tempus instituti Raguſini Archiepiſcopatus; & vera Epocha aſſignatur.

Quinto Bandurius ait Eccleſiam Raguſinam a Benedicto V. Pontifice Archiepiſcopalem dignitatem accepiſſe. Sedit autem Benedictus ab anno 964. ad 965. quo a Romanis fame victis in poteſtatem Imperatoris Ottonis traditus, Pontificatu ei abrogato, ab eodem Ottone in Germaniam abductus eſt, & Adaldago Hamburgenſium Archiepiſcopo cuſtodiendus traditus. Verum in hac narratione Scriptores Dalmatici non ſibi conſtant. Audiamus Bandurium de Dioclea urbe ſic diſſerentem. „ Doclea, ſeu Dio„ clea urbs everſa a fundamentis fuit circa finem decimi ſeculi a „ Samuele Bulgarorum Rege; ejuſque veſtigia ac ruinæ, marmo„ reaque munumenta ſub aquis viſuntur in lacu Lygniſtri, ad „ quem ſita fuit, ut ſcribit Ludovicus Tubero lib. 8. comment. „ de temporibus ſuis. Falluntur ergo Scriptores illi, qui Dio„ cleam hodie Antibarim, aut Medon, aut Catarum appellant: „ quum primum deſtructa fuerit Dioclea a Slavis, deinde a Bul„ garis, tandem erumpentibus ſubito aquis abſorpta. Dioclea au„ tem urbe a Bulgaris, uti jam diximus, everſa circa finem de„ cimi ſeculi, Joannes Archiepiſcopus Docleenſis Raguſium ſe „ contulit; atque ab eo tempore Eccleſia Raguſina Archiepiſco„ palem dignitatem accepit a Benedicto V. Pontifice Maximo, ut „ ſcribit Seraphinus Razzius Florentinus Ordinis S. Dominici, in „ hiſtoria Archiepiſcoporum Raguſinorum, quæ Italico idiomate „ conſcripta aſſervatur manuſcritta in Bibliotheca S. Marci Flo„ rentiæ: cujus quidem verba a nobis Latine facta hic proferre „ libet. „ Devaſtato a Gothis atque fere a fundamentis everſo „ circa annum noſtræ ſalutis 404. Epidauro nobiliſſima Dalma„ tiæ urbe, Joannes Epidaurius civis & Archiepiſcopus fuga ſibi „ conſulens, Tribunium petiit, ibique tranſlata Sede atque ti„ tulo ſuæ Eccleſiæ, diu commoratus eſt. At oppugnata Raſcia, „ ſubactaque Boſona cum finitimis ab Infidelium Shiſmaticorum„ que tyrannide, diu Eccleſia illa viduata manſit Paſtore. Anno „ vero 863. temporibus Nicolai Papæ I. quum ad fidem Catho„ licam Bulgarorum Imperator veniſſet, conſenſu Pontificis, Tri„ bunienſis Archiepiſcopatus Docleam transfertur. Denique an„ no circiter 980. propter everſionem quoque Docleæ a Bulga„ ris & Græcis factam, coactus fuit primam ſedem repetere; „ atque ſcapulum Mercanenſe haud plus quatuor milliaribus ab

„ Epidauro diſſitum, nec diu incoluit: illis quippe temporibus
„ a Saracenis Adriatico mari infeſtato, inſulani atque maritimi
„ in magno periculo verſabantur. Ratus itaque neque illic tu-
„ tam ſibi fore ſtationem, Raguſium novum mœnibus arceque
„ munitum proficiſcitur: ubi perurbane exceptus, Benedicti V.
„ Pontificis Maximi auctoritate, titulo ſedeque illuc deportata,
„ a Patribus decimæ, aliique proventus, qui ad Epiſcopum ſpe-
„ ctabant, illi attribuuntur, atque ab eodem Pontifice Suffra-
„ ganei deſignantur, videlicet, Catarenſis, Antibarenſis, Dul-
„ cigenſis, Corcyrenſis, aliique, quamquam hodiernis tempo-
„ ribus Stagnenſem, atque Mercanenſem dumtaxat habeat. Et
„ neſcio quidem quo fato evenit, ut quemadmodum ultimus
„ Epidaurius appellatus fuit Joannes, ita primus Raguſinus nun-
„ cuparetur. Joannes itaque primus Archiepiſcopus Raguſinus,
„ patria Docleenſis, ſanctiſſime ſuam rexit Eccleſiam annis fere
„ triginta, ibique quum extremum diem obiiſſet, in Eccleſia
„ S. Stephani Protomartyris tumulatus fuit. Nec parum a vero
„ aberrant qui eum Vitarum Sanctorum Martyrum Andreæ, Pe-
„ tri, & Laurentii auctorem faciunt, quorum corpora Raguſii
„ aſſervantur, quum Joannem II. Archiepiſcopum tertiumde-
„ cimum, patria Venetum, revera illarum auctorem extitiſſe
„ pro comperto habeatur.

Hactenus Seraphinus Razzius, ſine ulla Bandurii nota aut cenſura: quod valde miramur: tot enim ſunt aſyſtata in hac narratione, ut, nequeant vel indoctorum oculos fugere. In primis ait Razzius, Epidaurum urbem anno Chriſti 404. a Gothis everſam: deinde eam Archiepiſcopalem fuiſſe, utpote cujus Archiepiſcopus Joannes dicitur fuga ſibi conſuluiſſe, ac Tribunium petiiſſe. Utrumque falſum: primum quidem, quia ex Porphyrogenito conſtat non a Gothis, ſed ab Abaribus, neque anno 404. ſed circa finem Imperii Mauricii, Epidaurum fuiſſe everſum: alterum vero quia eam urbem non fuiſſe Archiepiſcopalem, ſed Epiſcopalem ſubjectam Salonitano Archiepiſcopo ſaltem uſque ad annum circiter 600. colligitur ex notitia Caroli a S. Paulo in Dalmatia, & ex S. Gregorio Papa lib. 2. epiſt. 8. & 9. lib. 7. epiſt. 12. ubi meminit Florentii Epiſcopi Epidauritani, tamquam Metropolitano Salonæ ſubjecti. Tertio aſſerit ſedem Archiepiſcopalem poſt annum 404. Epidauro Tribunium eſſe translatam: quum tamen Tribunii, ſeu Terbuniæ ut vocat Porphyrogenitus, tamquam

Ec-

Eccleſiæ Epiſcopalis nulla apud antiquos occurrat mentio, niſi poſt Slavorum in Dalmatiam irruptionem, ideſt, duobus & amplius poſt annum 404. ſæculis. Ejus meminit Baudrandius his verbis: *Tribulium, urbs Dalmatiæ Plinio, populi Romani præliis nobilitata, quæ poſtea Tribunium, & Tribuna, Trebigna vulgo, urbs eſt parva Dalmatiæ, ſub dominio Turcarum, Epiſcopalis tamen ſub Archiepiſcopo Raguſino, cui unitus eſt Epiſcopatus Mercanenſis .... eratque olim ſub dominio Raguſæorum*. Et Bandurius in not. ad Porphyrogen. pag. 100. *At hodie Terbuniæ Principatus Turcis paret. Epiſcopus vero Terbuniæ unus e Suffraganeis Archiepiſcopatus Raguſini, eligitur a Senatu Raguſino; fortaſſis quod Mercanenſis Epiſcopatus cum Terbunienſi junctus eſſet, & Mercana ſit ſub ditione Reipublicæ Raguſinæ.* Res eſt autem certa, tam Mercanenſem, quam Tribunienſem Epiſcopatum inter eos, qui ſequiori ævo inſtituti ſunt, recenſeri. Quarto ait, anno 863. conſenſu Nicolai I. Papæ, Archiepiſcopatum Tribunienſem fuiſse Docleam translatum. Iſtud quoque falſum eſse colligitur ex chronico Thomæ Spalatenſis, qui ad annum Chr. 1030. narrat factam Salonitani Archiepiſcopatus diviſionem: *Romanus*, inquit, *Pontifex* (nimirum Joannes XIX.) *omnes Epiſcopos a Raguſio ſuperius, abſolvit a vinculo quo tenebantur antiquæ Metropoli Salonitanæ, ſtatuitque novam Metropolim in civitate Antibarenſi, & omnes Epiſcopatus prædictos ei ſubjecit. Inferior vero Dalmatia habuit Epiſcopatus ſuos more antiquo, ſuæ Metropoli Salonitanæ Eccleſiæ ſubditos, videlicet, ab Abſarenſi uſque ad Tragurienſem*. De Tribunienſi, aut Docleenſi Archiepiſcopatu nulla mentio. Quinto ait, anno 980. ob Docleæ everſionem a Bulgaris & Græcis factam, translatum Archiepiſcopalem thronum primo ad ſcapulum Mercanenſe, deinde Raguſium, idque auctoritate Benedicti V. Papæ, eique Archiepiſcopatui ſubjectos ab eodem Pontifice Epiſcopatus Catarenſem, Antiſiarenſem, Dulcigenſem, Corcyrenſem, alioſque. Mendum manifeſtum in Epocha: nam anno 980. non Benedictus V. ſed VII. ſedebat. Error etiam in facto: nam uſque ad annum 1030. *Catarenſis, Antibarenſis, Corcyrenſis, & Dulcigenſis* Epiſcopi, ſuberant Metropolitano Salonæ, ſive Spalatenſi.

Baudrandius eadem fere ac Razzius, habet de Archiepiſcopatu Raguſino. „ Epidaurus, *inquit*, urbs Illyrici in Dalmatia, „ Ptolomæo & Melæ, Epidaurum Plinio, in ora litorali maris

 „ Adria-

„ Adriatici, eodem anno quo Dyrrachium condita, ut narrant, „ nempe 430. annis poſt Trojæ excidium, ſatis ampla, & Ar„ chiepiſcopalis effecta anno 990. ob excidium Docleæ urbis: „ poſtea etiam deſtructa fuit, unde nunc vulgo *Raguſi vecchio* di„ citur ab incolis, & in vicum redacta eſt in ora litorali Dalma„ tiæ; ſed poſt ejus excidium Epidauritani novam urbem extru„ xerunt in ora 6. mill. paſs. a priori diſſitam, in rupe mariti„ ma, quam ob id Lauſium denominarunt, & poſtea Rauſium & „ Raguſium „. Duplex Baudrandii allucinatio. Primo quidem, dum ait Epidaurum anno 990. Archiepiſcopalem effectam ob excidium Docleæ urbis: nam oſtenſum eſt, Docleam Archiepiſcopali honore nunquam fuiſſe exornatam. Deinde, quum addit, Epidauro everſo, in locum ejus ſucceſſiſſe Raguſium: nam ſi Epidaurus anno 990. Archiepiſcopalis effecta eſt, eadem everſa fuerit, oportet, poſt eum annum: quod eſt manifeſte falſum, & Raguſinæ urbis antiquitatem ad nihilum redigit. Sed neque ſibi conſtat Baudrandius: hic enim affirmat, *Epidaurum, ob excidium Docleæ, factam Archiepiſcopalem anno* 990. Supra vero dixerat, de Doclea loquens: *nunc deſtructa jacet, & ejus rudera hodie etiam Doclea dicta, viſuntur ad Morazam amnem qui paulo poſt cadit in Scodræ lacum; in tractu Zenta dicto: ex ejus ruinis excitatum fuit oppidum Medon, in monte vicino; ejus vero dignitas Archiepiſcopalis anno* 990. *Raguſium translata fuit, ut didici a pluribus viris doctis illarum partium*: nimirum nugivenduli impoſuerunt Baudrandio.

Quid ergo ſentiendum de Raguſini Archiepiſcopatus inſtitutione? Si conjecturis indulgendum eſt, videtur, quo anno Jaderenſis Antiſtes a Salonitani Metropolitæ juriſdictione exemptus, Pallium a Pontifice Eugenio Tertio obtinuit, ideſt, 1145. uti ſupra ex Thoma Spalatenſi narravi; eodem anno & Raguſina Eccleſia Archiepiſcopali dignitate fuiſſe decorata: *quia enim tunc vacabat Archiepiſcopo Eccleſia Salonitana ſive Spalatenſis, facile Jaderenſes* (adde, & Raguſini) *ſine contradictione potuerunt exemptionem ſuæ Eccleſiæ obtinere*. Id ut affirmem, ſuadet primo, quod uſque ad ann. 1030. Raguſium Epiſcopos habuit Salonitano ſubjectos, eodem Thoma teſte iis verbis: *omnes Epiſcopos, a Raguſio ſuperius abſolvit a vinculo, quo tenebantur antiquæ Metropoli Salonitanæ, ſtatuitque novam Metropolim in civitate Antibarenſi, & omnes Epiſcopatus prædictos ei ſubjecit*. Deinde, quia paulo poſt ann. 1145. me-

memoratur *Andreas Archiepiſcopus Raguſinus*, qui unacum Epiſcopis Dulcienſi & Suagenſi conſecravit Martinum Epiſcopum Farenſem. Quamquam igitur Thomas nihil dicat de Raguſino Archiepiſcopatu ad annum 1145. inſtituto, id tamen innuere videtur, dum ſtatim poſt eum annum appellat Andream Archiepiſcopum Raguſinum. Quæ quidem ſententia ſi Raguſinis diſpliceat, eam me emendaturum profiteor, quando authenticum ab iis documentum proferatur, quo demonſtretur antiquior illius Archiepiſcopatus inſtitutio.

XXII. Duces & Reges Dalmatiæ & Croatiæ, ex Porphyrogenito, Thoma Archidiacono, & antiquis diplomatibus per Lucium editis.

Ab Archiepiſcopis ad Duces & Reges Dalmatiæ tranſeo. Joannes Lucius lib. 2. de Croatorum Ducibus & eorum ſtirpe diſſerens, recenſet tum eos, quos Porphyrogenitus memorat, tum eos, qui apud Thomam Archidiaconum nominantur; comparatione autem utriuſque Catalogi facta, lacunas ſupplet, annoſque emendat ex Auctoribus & Privilegiis. Et primum quidem Ducem Croatorum ex Porphyrogenito cap. 31. Anonymum Porgæ patrem ponit, quem is cap. 30. *Porinum* (*a*) nominaverat, & Abares expuliſſe tempore Heraclii aſſerit. Secundum *Porgam* ejus filium, cujus tempore Croatos baptizatos, & poſt baptiſmum pacificos redditos ſcribit. *Bornam*, & poſt eum *Ladaſclavum*, ſeu *Ladislavum*, Dalmatiæ & Liburniæ Duces, ab anno 818. ad annum 823. Francorum Annales nominant, qui proinde poſt Porgam ponendi ſunt, ut multi anni in Porphyrogenito ante Tirpimirum vacui non relinquantur. Ex Privilegio autem ejuſdem Tirpimiri conſtat, *Mislavum* (*b*) Ducem ipſum anteceſſiſſe, quem Veneti *Mujum* vocant, & tempore Petri Gradonici eorum Ducis ponunt: hic debet eſſe is, quem Archidiaconus *Tamislavum* vocat, quamvis Branimiro poſtponat, & ex Archiepiſcoporum collatione anno 614. collocet. Sed quum *Tirpimirum* quoque, Dircislavo poſtponat, Regemque fuiſſe aſſerat anno 990. ſimiliter & *Mucimirum*, quos Duces fuiſſe, & ante Reges extitiſſe, ex eorumdem Privilegiis conſtat, neque ullius Tirpimiri vel Mucimiri Regum memoria reperiatur; ideo ordinem & annos Archidiaconi non eſſe attendendos aſſerit Lucius, qui *Tirpimirum* poſt Mislavum ad annum 837. ponendum oſtendit ex Privilegio ejuſdem, & quum tempora congruant, *Cro-*

a Cangius in Familiis Dalmaticis, *Porinum* Ladislavo poſtponit pagina 297. edit. Pariſ.

b *Muyſclavus* vocatur ab Andrea Candulo ad ann. 839.

eundem eſse cum Porphyrogeniti *Terpemere*, quamvis in filio non conveniant. Quia vero *Unuſclavum* & *Diadurum* Sclavorum Principes ad annum 840. Annales Danduli memorant, ejuſdem Ducis Gradonici tempore: *Dominicum* etiam vel *Demogoy*, & *Inicum* Principes Sclavorum, tempore Urſi Participatii Ducis Venetorum, eorumdem hiſtorici referunt: ideo hos Duces Croatorum circa eadem tempora fuiſſe, diviſionemque tunc inter Croatos ſequutam, dicendum eſt cum Porphyrogenito. *Sebeſclavum* enim, ejectis filiis, Demogoy ſucceſſiſſe, eoque occiſo, *Branimirum* Ducem Croatorum, Comitemve, memorat Dandulus, quem ex Epiſtolis Joannis Papæ VIII. Ducem Croatum fuiſſe patet, annis ſcilicet 879. & 881. Hunc Branimirum Archidiaconus Ducem Sclavoniæ tempore Caroli Regis ponit, ſcilicet poſt annum 879. quod congruere poteſt: nam Carolum dictum Craſſum regnaſſe anno 879. & coronam Imperi anno 881. ſumpſiſſe conſtat. *Mucimirum* itaque, Tirpimiri filium, deinde ponendum, tum ex dictis apparet, tum ex ejuſdem Privilegio, ſcilicet anno 892. *Michaelem* item Ducem Sclavorum ad annum 920., Veneti Scriptores memorant tempore Urſi Baduarii, quem Ducem Croatorum fuiſſe argui poteſt, & ex temporum collatione forſan Porphyrogeniti *Myroſthlabum*, Creſimiri vel Mucimiri filium, a Græcis nomina mutare ſolitis *Michaëlem* appellatum: qui ſi idem cum Myroſthlabo ponatur, quem occiſum a Pribunio Bano Porphyrogenitus refert, hoc evenit circa ea tempora, quando Porphyrogenitus ſcribebat, quæ ex annis Mundi, & Indictionibus ab ipſo relatis, ad annum Chriſti 949. referri debent. An autem Pribunius occiſor ſucceſſerit in Ducatu, incertum eſt; quamvis Pribinnæ cujuſdam Bani, tempore *Dircislavi* Regis, mentio reperiatur, quem huic poſteriorem fuiſse argui debet. Hunc Archidiaconus ad ann. 970. ponit: eique Lucius ex Auctoribus & Privilegiis ſubjungit ad annum 1015. *Creſimirum Regem*, & ad annum 1060. *Suonimirum* ultimum Regem Croatorum: Mox inquit: „ Hi ſunt Croatorum Duces, quorum memoriæ reperiuntur: ſed an totius „ Croatiæ Duces fuerint, vel ſicuti multoties diviſa Croatia „ reperietur, ita eodem tempore plures Duces ſive Bani fue„ rint, diſtingui non poteſt.

Verum Cangius poſt Tirpimirum aliter ſeriem horum Regum texit. *Creſimirus*, inquit, filius Tirpimiro ſucceſſit: *Majoris*

ris cognomine donatus in Creſimiri Regis abnepotis literis. Tum *Dircislavus* Creſimiri filius, qui *Miroslavus* dicitur Porphyrogenito: quem anno 1000. Indict. XIII. regnaſſe, charta fundationis Eccleſiæ S. Michaëlis ad Amphitheatrum Salonenſe demonſtrat. *Pribinna*, ſive *Pribunnius*, cæſo Dircislavo, regnum arripuit. Et poſt eum *Godemirus*, ut eſt in Creſimiri Regis diplomate, in quo Bani, non Reges nuncupantur: ſub his enim Godemiro & Pribinna, Dircislavi fratres *Swetslavus*, *Creſimirus*, & *Goislavus*, Croatiæ una imperarunt circa annum 1015. ſed quum Baſilius Porphyrogenitus poſt deletos Bulgaros anno 1019. Croatiam quoque in jus ſuum redegiſſet, duo fratres, qui ei imperabant, Creſimirus ſcilicet Swetslavus, aut Goislavus, Conſtantinopolim conceſſerunt, Palatinis dignitatibus donati. *Stephanus* Creſimiri filius, Croatiæ Rex dicitur: & poſt eum *Creſimirus* alter, qui & *Petrus* ipſius filius, ut eſt in Tabulis antiquis ab anno 1059. ad annum 1073. *Slaviſo* deinde Rex Croatiæ in veteribus Spalatenſis Eccleſiæ monumentis occurrit. Qui & is eſſe videtur qui anno 1075. ab Amico Comite nobili Normanno captus dicitur. Demum *Suinimirus*, qui & *Demetrius*, Croatiæ, & Dalmatiæ Rex in æde S. Petri Salonæ coronatus a Gebizone S. Bonifacii Monaſterii Abbate, Apoſtolicæ Sedis Legato, 4. Octob. anno 1076. quo ſine liberis defuncto, in Hungariæ Reges jus Regni Dalmatiæ & Croatiæ translatum. Hæc Cangius ex Dandulo, Thoma Spalatenſi, Lucio, Orbino, & aliis. Verum quod de Dircislavo Creſimiri filio ſcribit, affirmans eum eſſe *Miroslavum* Porphyrogeniti, & anno Chriſti milleſimo regnaſſe; a vero prorſus abhorret: nam Porphyrogenitus, qui anno 949. ſcribebat, & anno 959. in vivis eſſe deſiit, cap. 31. hæc habet de Myroſthlavo: *Atque hæc quidem Chrobatiæ potentia & copiæ fuerunt uſque ad Principatum Craſemeris: quo mortuo, quum Myroſthlabus filius, poſtquam quadriennium genti præfuiſſet, a Pribunia Bano interfectus eſſet, plurimis obortis diſſidiis ac factionibus, equitum peditumque numerus valde imminutus eſt: item ſagenarum ac condurarum.* Igitur fieri nequit, ut Myroſthlabus ad annum uſque milleſimum vitam produxerit, qui jam a Pribuna Bano cæſus fuerat, quum hæc anno 949. Porphyrogenitus ſcribebat. Ac proinde emendanda Cangiana ſeries, ſic, ut Creſimirus, ejuſque filius Myroſtlavus ante annum 949. regnaverint: Pribunia vero & Godemiro Ba-

nis

nis omnia ſus deque miſcentibus, *Dircislavus* regnum capeſſierit, tenueritque ad ann. 1000. & poſt eum fratres Svetslavus, Creſimirus & Goislavus ad ann. circiter 1019. Sic emendata ſerie, cætera recte procedunt.

XXIII. Serviorum origo, & nomen, & quomodo in Dalmatiam advenerint.

Idem Cangius ex Porphyrogenito aliam *Serviæ & Dalmatiæ Regum* ſeriem tradit. Qui rerum, inquit, Byzantinorum hiſtoriam literis mandarunt, obſervant, *Avares* (*a*) has non ſemel compilaſſe provincias, Mauricio & Heraclio imperantibus: atque ita incolis fere viduatas redactaſque in ſolitudinis ſpeciem, a Croatis tandem partim occupatas, a quibus Dalmatiæ & Croatiæ deinceps conſtitutæ Toparchiæ, de quibus ſupra dictum eſt; partim a Serviis, populis ita appellatis, qui ultra Danubium habitabant, illorumque pars erant, quos Slavos vulgo nuncupant. Tradit Conſtantinus Porphyrogenitus de Admin. Imper. cap.32. *Servios Dalmaticos* duxiſſe originem a Serviis, quos Albos dicebant, quique pagani erant, ac eas incolebant regiones, quæ Turciæ, Alemaniæ, (quam Franciam vocat) & magnæ Croatiæ, conterminæ erant, *Boiki* dictas; ſicque appellatos quod Imperatoribus in militaribus eorum expeditionibus ſervierint, & obſequium impenderint. Neque ab hac ſententia, inquit Cangius, omnino diſcedit Willelmus Antiſtes Tyrius lib.20. cap.4. licet aliter ſentiant nonnulli rerum Dalmaticarum Scriptores, nomenque iſtud ortum velint a Slavica voce *Srbska*, qua regionem illam, quam incolebant Slavi, indigitabant, unde *Σερβλίαν* Græci, ſeu *Serviam* poſtmodum formarunt. Hanc veram *Serviorum* vocabuli originem, præter Lucium in notis ad Diocleatem, tradit ac propugnat cl. Anſelmus Bandurius Animadverſion. in Porphyrogenitum, edit. Pariſ. pag.107. cujus verba juvat hic referre. *Serviorum igitur vocabuli originem Græci a Latino ſermone derivant, nimirum a ſervitute, ut ait hic Porphyrogen.; ex quo quidem mutuatus eſt Willelmus Tyrius ea, quæ ſcribit lib.20. c.4. quando cum Imperatore Emmanuele in Servia præliaturo ſe veniſſe ait: detinebatur porro eo temporis articulo Imperator in Servia, quæ regio montuoſa, & nemoribus obſita, difficiles habens aditus, inter Dalmatiam & Ungariam & Illyricum media jacet, rebellantibus Serviis, & confidentibus de introituum ad ſe anguſtiis, & de impervia eorum regio-*

a Cangius *Avares* hic eoſdem facit cum *Hungaris*, inquiens; *Avares* ſeu *Hungaros*. Sed de his poſtea.

gione. Habent vetuſtæ traditiones, hunc omnem populum ex deportatis & deputatis exilio, qui in partibus illis ad ſecanda marmorea, & effodienda metalla damnati fuerant, originem habuiſſe, & inde etiam nomen traxiſſe ſervitutis. Eſt autem populus incultus abſque diſciplina, montium & ſylvarum habitator; agriculturæ ignarus; gregibus & armentis copioſi; lacte, caſeo, butyro, carnibus, melle, & cera uberius abundantes. Hi Magiſtratus habent, quos Zuppanos vocant, & domino Imperatori aliquando ſerviunt; aliquando de montibus & ſylvis egredientes, omnem circa ſe regionem, ut ſunt audaces, & bellicoſi viri, depopulantur. Hactenus Tyrius. Subjungit Bandurius: *Atqui in hac Serblorum nominis a Servitute denominatione, inquit Lucius in notis ad hiſtoriam Diocleatis de Regno Sclavorum, Græcos & ex eis Latinos hallucinatos ſciunt, quicumque Slavum idioma callentes, contermini Serblianis ſunt: nam quos Slavi* Srbglianos *dicunt, hos Græci aſperitatem vitantes* Serblos *ſeu* Serbulianos *vocant: terram autem quam habitant, Slavi* Srbska *vocant; quod quum Græcis difficile eſſet proferre,* Serviam *dixerunt: & ſicut Conſtantinopoli poſt Imperii declinationem Latinus ſermo diu in uſu fuit, ita denominationem Serviorum a Servitute voce Latina promanaſſe commenti ſunt: & quum in Servia inter aſperitates Scardi montis metallorum fodinæ exiſtant, a Servis ad metalla damnatis Servios originem traxiſſe, Willelmus a Græcis edoctus ſcripſit. Sed prout* Srbglianorum *nomen nationis Slavicæ eſt, &* Srbska *regionis eorundem, ita eadem loca poſt Imperii declinationem* Srbglianos *occupaſſe conſtat, prout ipſis contermini* Hruati & Bugri, *itidem Slavicæ nationes, quæ Croati & Bulgari dicuntur, effecere. Et quamvis agreſtis conditionis ſint (quod commune eſt cum cæteris montana incolentibus) tamen eadem loca invitis Græcis occuparunt: quod imbecillitatem eorum indicat, & ab eodem Tyrio ignominia taxantur.* Demum, unde Servii in regionem ab ipſis Serviam dictam advenerint, idem Bandurius pag. 92. exponit. *Tamen probabilior videtur opinio ejuſdem Cromeri, qui Serbos ex Sarmatia Aſiatica cum Bulgaris vicinis in Europam tranſiiſſe narrat, eo magis quod Slavorum, qui Bohemiam, Poloniam, Lithuaniam, Carinthiam, Stiriam, & Carniolam habitant, dialectus diverſa eſt ab iis, qui Slavoniam, Croatiam, Boſniam, & Serviam incolunt, quorum ſermo Bulgaris, cæteriſque Orientalibus Slavis ſimilior eſt & purior, præ-*

ſertim Boſnenſium. Et paulo poſt. *Et ſicuti Serbos in Sarmatia Aſiatica prope Volgam ponit Ptolemæus, ex quibus Serbos, vel Servios Cromerus non improbabili conjectura, cum vicinis Bulgaris, a Volga ita dictis, in Europam tranſiiſſe ſcribit: ita quum Crobizos Herodotus lib.4. Schimnus lib.7. Strabo lib.5. & Ptolemæus cap 9 in Alyſia ponant circa Iſtrum: qui an iidem cum noſtris Chrobatis ſint, & a Bulgaris ſedibus ſuis expulſi, gradatim alios expellentes, ſimul cum Beſſis regiones Croatiæ & Boſnæ, quas hodie tenent, occupaverint, quum nullus hucuſque dixerit, non affirmatur; neque ſi aliquis aſſereret, negaretur; quum non videatur impoſſibile, Slavos aliis nominibus dictos, ab antiquo ſicut ultra Iſtrum, ita etiam citra habitaſſe, neque Iſtrum impermeabilem fuiſſe, vel tanta religione cuſtoditum, ut pro temporum varietate eædem nationes citra & ultra habitare non potuerint*. Hactenus Bandurius: cui tamen quoad Crobizos conſentire nequeo, quum ii Illyrici indigenæ fuerint, Chrobati vero advenæ. Strabo in Illyrico lib.7. cap.318. *Poſt Scordiſcos juxta Iſtrum Triballi ſunt & Myſi, quorum ſupra fecimus mentionem: tum paludes parvæ Scythiæ intra Iſtrum, quas ipſas quoque commemoravimus. Hi, & Crobyzi, & qui Troglodytæ dicuntur, ſupra Calatim, Tomæam, & Iſtrum accolunt*. Et Stephanus de Urbibus: *Crobyzi, gens ad notum Iſtri ſita, auctore Hecatæo in Europa. Hinc Crobyzita regio*. Sed ad Serviæ Principes redeo.

XXIV. Serviæ Reges ex Conſtantino Porphyrogenito.

Quæ Servios in Imperii provincias tranſeundi eaſque pervadendi cauſa impulerit, ſic exequitur Porphyrogenitus cap.32. „ Principatu Serviæ (*a*) a patre ad duos fratres devoluto, alter ſumpta populi parte dimidia, ad Romanorum Imperatorem Heraclium confugit: qui eo excepto, locum ad inhabitandum dedit in Theſſalonicæ Themate, qui ex eo tempore Servia nuncupatur. Aliquanto vero poſt, viſum eſt Serviis in terram ſuam redire; & dimiſit quoque illos Imperator; ſed quum trajeciſſent Danubium flumen, pœnitentia ducti, per Prætorem qui tunc temporis Belgradum adminiſtrabat, ab Heraclio Imperatore petierunt, aliam ſibi terram ad inhabitandum aſſignare vellet. Quumque ea, quæ nunc Servia dicitur, & Pagania, quæ Zachlumorum terra vocatur, item Terbunia, & Canalitarum regio, quæ Imperatoris Romanorum ditionis „ erant,

a Serviæ ubique Σερβλία, *Serblia*, & Servi Σέρβλοι, *Serbli*, Porphyrogeniti appellantur.

,, erant, propter Abarum excurſiones deſertæ eſſent, expulſis in-
,, de Romanis, qui nunc Dalmatiam atque Dyrrachium inco-
,, lunt ,, (Abares quippe anno XVIII. Mauricii ad XL. Oppida
expugnarunt in hiſce regionibus, uti narrant Theophylactus Si-
mocatta lib. 7. cap. 10. & Cedrenus pag. 399. edit. Pariſ.) ,, re-
,, giones illas Serviis habitandas Imperator dedit, cui etiam ſub-
,, jecti erant, a quo etiam baptizati fuere per Presbyteros Roma
,, accerſitos, & pietatis opera edocti, antiqua fide accepta. Quum
,, autem ſub Romanorum poteſtate eſſet Bulgaria, Serviorum
,, Principe, qui ad Imperatorem confugerat, vita functo, filius
,, ipſius ſucceſſit, mox nepos, & ſic omnes, qui ab eo deſcen-
,, derunt. Ex quibus poſt annos aliquot fuit ὁ Βοισέϑλαβος,
,, Boiſeſtlabus, a quo ὁ Ῥοδόϑλαβος, Rodoſthlabus, a quo ὁ Προ-
,, σηγόης, Proſegoës, a quo ὁ Βλαςήμερος, Blaſtemerus, ad cu-
,, jus uſque tempora pacem cum Bulgaris habuerunt Servii, ut-
,, pote vicini ac confines, inter ſeſe amantes, ſervientes Roma-
,, nis Imperatoribus, & ab ipſis beneficiis ornati. Sed Principa-
,, tum tenente laudato Blaſtemero, arma contra Servios movit
,, Bulgariæ Princeps, Πρεσιάμ, Preſiam, ſubjicere ſibi ipſos cu-
,, piens: verum poſt trium annorum bellum, non ſolum nihil
,, effecit, ſed plurimos e ſuis amiſit ,, . Hæc Porphyrogenitus.
Unde colligitur, Blaſtemerum vixiſſe ſub Baſilio Macedone circa
annum Chr. 870. quo imperante regnabat *Preſiamus*. Pergit Por-
phyrogenitus. ,, Poſt mortem Blaſtemeri, regionem inter ſe
,, partiti, Principatum Serviæ exeeperunt tres ejus filii, Μυντι-
,, μῆρος, καὶ Στροήμερος, καὶ ὁ Γοΐνικος, Muntimerus, Stroëmerus,
,, & Goinicus. Hos aggreſſus eſt Michaël Boriſes Bulgariæ Prin-
,, ceps, ſtragem quam pater Preſiam paſſus erat, vindicare cu-
,, piens; ſed eum bellantem adeo afflixerunt Servii, ut filium
,, ejus Blaſtemerum in vinculis abducerent, unacum machinis
,, grandibus duodecim. Tum filii caſu permotus Boriſes, quam-
,, libet invitus, pacem cum Serviis fecit. In Bulgariam vero re-
,, diturus, & Serviorum in itinere inſidias timens, Muntimeri
,, Principis filios Borenam, & Stephanum, viæ duces petiit, qui
,, & indemnem uſque ad Raſe (*Raſiam*) deduxerunt, & ingen-
,, tia ab eo munera, beneficii hujus nomine, acceperunt, vi-
,, ciſſim donantes xeniorum vice duo mancipia, duos falcones,
,, duos canes, & pelles nonaginta, quod Bulgari pactum eſſe di-
,, cunt. Paulo autem poſt, tres fratres Serviæ Principes contra

„ ſe mutuo arma ſumpſerunt; ſuperiorque factus unus ipſorum
„ Muntimerus; qui quum vellet ſolus Principatum tenere, ca-
„ ptos duos in Bulgariam tranſmiſit, ſolum Petrum fratris Goi-
„ nici filium apud ſe retinens, & ſedulam ejus curam gerens:
„ qui fugiens in Chrobatiam venit; ſed de eo paulo poſt dicetur.
„ Stroëmerus vero frater, cujus ſupra mentionem fecimus, in
„ Bulgaria filium habebat Clonimerum, cui uxorem Bulgaram
„ dedit Boriſes, ex qua Tzeeſthlabum in Bulgaria ſuſcepit. At
„ Muntimerus utroque fratre expulſo, principatu potitus, filios
„ tres genuit, Pribeſthlabum, Branum, & Stephanum: eique
„ mortuo ſucceſſit maximus natu Pribeſthlabus. Anno igitur
„ ſequente Chrobatia egreſſus Goinici filius Petrus, cujus ſupra
„ mentionem fecimus, patruelem Pribeſtlabum cum duobus ejus
„ fratribus Principatu dejicit, atque ipſe eum capeſſit: illi vero
„ fuga ſibi conſulentes, in Chrobatiam abeunt. Triennio au-
„ tem poſt Branus motis contra Petrum armis, victus captuſque,
„ oculis ab eo privatus eſt. Biennio vero poſt e Bulgaria fugiens
„ quoque Clonimerus Tzeeſthlabi pater, movet etiam ipſe,
„ urbemque Serviæ Doſtinicam cum exercitu ingreditur, Prin-
„ cipatus occupandi cauſa: quem armis ſuperatum Petrus occi-
„ dit, & Principatum rexit alios viginti annos, imperante Leo-
„ ne, cui ſubjectus erat. Pacem quoque habuit cum Symeone
„ Bulgariæ Principe, cujus etiam filium in Baptiſmo ſuſcepit. Poſt
„ imperium autem Domini Leonis, Dyrrachii tunc præfectus,
„ Protoſpatharius Leo Rhabduchus, poſtea Magiſter & Logothe-
„ ta curſus publici factus, in Paganiam, quæ tunc temporis a
„ Serviæ Principe occupata erat, venit, ſermonem conſiliumque
„ inſtituturus cum laudato Petro Principe de aliquo negotio. In-
„ vidia autem ob hanc rem motus Michaël Zachlumorum prin-
„ ceps, Symeoni Bulgarorum principi ſignificat, Romanorum
„ Imperatorem Petrum Principem muneribus colere, quo Tur-
„ corum copiis adjutus, Bulgariam invadat: erat quippe id tem-
„ poris bellum inter Romanos & Bulgaros ad (*a*) Acheloum.
„ Furens itaque quodammodo hoc nomine Symeon contra Ser-
„ viæ Principem Petrum, mittit cum exercitu Theodorum Si-
„ gritzen, & Marmaën, una cum Paulo Brani Principis filio,
quem

(*a*) *Ad Acheloum*. Bulgariæ caſtellum & flumen ejuſdem nominis: ubi bellum inter Romanos, & Bulgaros commiſſum, die 20. Auguſti, Indict. v. anno Chriſti 917. Vide Cedrenum, & Anonymum Combefiſianum pag. 240.

Digitized by Google

„ quem Petrus Serviæ Princeps excæcaverat: Dolo igitur Bulgari Principem Serviæ aggreſſi, & prole in ſacro lavacro ſuſcepta, & dato juramento, nihil eum mali ab ipſis paſſurum, per fraudem exire perſuaſum, & in vincula e veſtigio conjectum, in Bulgariam abduxerunt, ubi & in carcere vitam cum morte commutavit; in ejus autem locum ſucceſſit Paulus Brani filius, qui Principatum triennio tenuit. Dominus vero Romanus Imperator ſecum habens Pribeſthlabi Serbliæ Principis filium Zachariam, miſit eum, ut Principatum Serviæ occuparet: ſed illum venientem prælio ſuperavit Paulus, captumque Bulgaris tradidit in vinculis aſſervandum. Deinde elapſo trium annorum ſpatio, Paulo Bulgaris hoſte facto, Zachariam miſit, quem Dominus Romanus Imperator antea miſerat: iſque Paulo dejecto, Serviorum Principatum occupat; & illico memor beneficiorum, quæ a Romanorum Imperatore acceperat, Bulgaris ſe oppoſuit, malens potius Romano Imperio ſubeſſe, quam Bulgaris. Quare quum exercitum contra ipſum miſiſſet Symeon ſub præfectis Marmaen, & Theodoro Sigritze, capita eorum atque arma, ἄρματα, Imperatori Romanorum miſit, victoriæ partæ ſigna; adhuc enim bellum inter Bulgaros & Romanos erat: nec unquam ſubjici Romanorum Imperatori & parere deſinebat, quemadmodum & priores Principes mittere ad ipſos ſoliti erant. Symeone vero iterum novas copias mittente contra Zachariam Principem ſub præfectis Cneno, Hemneco, & Hetzboelia, & miſſo ſimul Tzeeſthlabo, metuens tunc ſibi Zacharias, in Chrobatiam profugit. Bulgari autem Zupanis ſignificarunt, ut ſe convenirent, & Tzeeſthlabum exciperent: juramentoque deceptos atque ad primum pagum adductos, protinus in vincula conjicientes, Serviam invaſerunt, populumque omnem a minimo ad maximum in Bulgariam abduxerunt: quidam vero profugi in Chrobatiam ſe receperunt, manſitque regio deſolata. Porro circa illud etiam tempus Chaobatiam cum Alogobotur armata manu ingreſſi Bulgari, omnes a Chrobatis interfecti ſunt. Et poſt ſeptem annos fuga deſerens Bulgaros Tzeeſthlabus cum aliis quatuor e Preſthlabo in Serviam venit. Non invenit autem in ea regione præter viros quinquaginta, ſine uxoribus liberiſque, venatione victitantes: cum his regionem obtinens, per nuncios tutelam & auxilium ab Imperatore Romanorum petiit, promittens obedien-

„ tiam

„ tiam ejus juſſibus ſe præſtiturum, qualia & ante ipſum princi-
„ pes Romano Imperatori exhibebant. Atque ex eo tempore
„ multis illum beneficiis affecit Imperator Romanorum, ita ut
„ Servii, qui a Symeone diſſipati in Chrobatia, Bulgaria, aliiſ-
„ que regionibus commorabantur, re audita, ad ipſum undique
„ gregatim convenirent: quin & in urbem Conſtantinopolitanam
„ plurimi e Bulgaria fugientes venerunt, quos veſtibus cæteriſ-
„ que beneficiis ornatos Imperator Romanorum ad Tzeeſthla-
„ bum miſit: qui magnificis Romani Imperatoris largitionibus
„ regione conſtituta, totum ſe Romano Imperio ſubjecit; quip-
„ pe ipſius Imperatoris auxilio, frequentibuſque ejus beneficiis
„ regione illa conſtituta, Princeps quoque illic confirmatus eſt.
„ Cæterum Serviæ princeps ab initio, ideſt, ab Imperio Hera-
„ clii uſque, Romanorum Imperatori ſuberat, non Bulgarorum
„ principi „. Nimirum uſque ad annum fere 945. nam Roma-
no Lacapeno Imperatore ſublato, ab hac clientelari ſervitute in plenariam ſe libertatem Serviæ Principes aſſeruerunt, uti narrat Scylitzes pag. 379. *Sunt autem* (ut ait Porphyrogenitus) *ἐν τῇ βαπτισμένῃ Σερβλίᾳ, in baptizata Servia oppida, quæ habitantur, Deſtinicum, Tzernabuſcee, Megyretus, Dreſneec, Leſnec, Salenes; in agro vero Boſonæ, Catera, & Deſnec.*

XXV. Cur alia Serviæ Principum ſeries apud Porphyrogenitum, & alia in Diocleatis, & Slavici Marulani Scriptoris Chronico?

Bandurius not. in cap. 32. Porphyrogeniti pag. 100. *Tzeeſthlabus hic Serviæ princeps ea ferme qua Porphyrogenitus ætate vivebat, ſcilicet circa annum 950. Horum autem Principum ſeries longe alia eſt apud Diocleatem; nomina etiam, & ab iis acta prorſus diverſa. Quod inde factum puto, quod Dalmatiæ continentis, & Dalmatiæ maritimæ, interdum etiam Croatiæ Principes, Diocleates confuderit: qui ſane Scriptor circa annum 1152. floruit: ideoque hac in re multo majorem fidem meretur Porphyrogenitus, quam Diocleates, utpote qui longe ante ipſum vivebat.* Si meam licet interponere conjecturam, quum Servii, Porphyrogenito teſte, alii fuerint *Baptizati*, alii *non baptizati*; quumque *Baptizati quidem ii ſint, qui ab Heraclio Imp. eam quæ nunc Servia dicitur, & Paganiam, quæque Zachlumorum terra vocatur, item Terbuniam, & Canalitarum regionem, quæ Imperatoris Romanorum ditionis erant, acceperint*, non baptizati *vero, qui & Albi vocantur, ulteriora Turciæ incolerent in loco ab illis Boici vocato, cui finitima Francia eſt, uti magna Chrobatia baptiſmi expers, quæ etiam Alba cognominantur*, hinc factum puto, ut Porphyrogeni-

tus

tus quidem *Serviorum baptizatorum* ſeriem texeret: Diocleates vero *non Baptizatorum principum* Catalogum recenſere conaretur, quamquam genuinis documentis deſtitutus, omnia ſuſque deque miſcuerit. Etenim idem Porphyrogenitus, poſtquam cap. 32. Catalogum Serviæ Principum recenſuiſſet ab Heraclii temporibus uſque ad Romanum Lacapenum, eorum ſcilicet, quos dixit habitaſſe Serviam, Paganiam, Zachlumorum terram, Terbuniam, & Canalitarum regionem; ſubjungit quatuor alia capita, quorum primo diſſerit de *Zachlumis, & ea quam nunc incolunt regione*: in ſecundo de *Terbuniatis & Canalitis*; in tertio de *Diocletianis & ea quam nunc incolunt regione*; in quarto de *Paganis qui & Arentani appellantur, & de ea, quam nunc habitant, regione*: & hos quidem omnes Servios non obſcure indicat ſubditos fuiſſe Principibus Serviorum Baptizatorum, quorum ſeriem cap. 32. exhibuerat. Siquidem de Zachlumis ait cap. 33. eorum civitates eſſe, in vertice montis, *Bonam*, & *Chlum*; in territorio, *Stagnum*, *Mocriſcic*, *Joſle*, *Galumanic*, & *Dobriſcic*: *veniſſe autem poſteritatem Proconſulis & Patricii Michaelis Buſebutze, Zachlumorum Principis filii, a non baptizatis accolis fluminis Bislas, quod & Ditzice cognominatur, & habitaſſe ad flumen Zachluma nuncupatum*. De Terbuniatis & Canalitis cap. 34. ſcribit eos deſcendere a non baptizatis Serviis, illicque habitaſſe ab eo uſque principe, qui a Servia non baptizata ad Heraclium Imperatorem confugit, uſque ad Blaſtemerum Serviorum principem, qui filiæ ſuæ maritum dedit Crainan, Belæ Terbuniæ Zupani filium, eumque honoris ergo Principem appellavit, & ut ſui juris eſſet effecit: atque ex illo Phalimeres natus eſt, ex quo Tzutzemeres: Terbuniæ vero Principes ſemper Serviæ Principi paruiſſe. De Diocletianis cap. 35. eos ab Heraclii temporibus habitaſſe Diocleam regionem, quemadmodum habitatæ ſunt Chrobatia, Servia, Zachlumorum terra, Terbunia, & Canale de Paganis: denique cap. 36. eos a Serviis non baptizatis deſcendere, habitaſſe autem regionem illam, quæ Pagania dicta eſt, eo quod baptiſmum non accepiſſent eo tempore, quo Servii omnes baptizati erant; olim autem dicebantur (*a*) *Arentani*: quorum civitates *Mocrum*, *Derullia*, *Oſtroc*, & *Labinetza*: inſulæ vero *Curcra*, *Me-*

---

a *Arentani*, Hodie regio illa *Narenta*, & populi illius Narentani dicuntur. *Bandurius*.

Meleta (*a*), *Phara*, & *Bratzes*. Ex his colligitur, Porphyrogenitum de Serviis non baptizatis, ulteriora Turciæ, & finitima Alemaniæ incolentibus, nil aliud ſcripſiſſe, quam quod cap. 31. eos finitimos Chrobatiæ magnæ dixit, & cap. 32. Hungariæ, Alemaniæ & Chrobatiæ magnæ conterminos.

XXVI. Diocleatis, & Marulani Auctoris allucinationes in texenda Serviæ Principum ſerie. Et primo miſcent Gothos cum Serviis.

An vero iſtius Serviæ genuini Reges ſint, quos Diocleates & Marulanus auctor recenſent tanquam ab iis quorum meminit Porphyrogenitus diverſos, judicent alii. Mihi enim videntur omnia confuſa & perturbata, quæ ab illis auctoribus narrantur: nam primo Gothos cum Serviis miſcent in *Svelado Oſtroilo*, & *Svevlado*, tribus primis, ut ajunt, Dalmatiæ & Serviæ regibus: *Sveladum* ſiquidem ſcribunt Gothis Septentrionalibus cum imperio præfuiſſe ea ipſa tempeſtate, qua Romanis & Græcis Anaſtaſius: ei tres extitiſſe filios, *Bruſium*, qui in Principatum ſucceſſit, *Totium*, & *Oſtroilum*: hos duos poſteriores, ſecundum gentis morem, adipiſcendæ gloriæ ac famæ avidos, coactis immenſis copiis excedentes finibus, in Pannoniam ſeu Hungariam progreſſos, hanc facile ſubjugaſſe: tranſgreſſa deinde Templana (regione incognita) in Dalmatiam profectos, provinciæ iſtius Principem prælio fudiſſe, qui duobus acceptis vulneribus Salonam fuga conceſſit, Rege præterea Iſtriæ cum eis pugnante interfecto. Partis hiſce fratres victoriis, copiiſque inter ſe diviſis, Totium in Italiam & in Siciliam tranſmiſiſſe, ubi ea direpta ac vaſtata, fato tandem conceſſit, uti a S. Benedicto prædictum fuerat. Adeoque hunc Totium Totilam alii vocant, Gothorum nempe Regem, ſed a Dalmaticis Scriptoribus ſic deformatum, ut vix cognoſci queat: genus, nomen, facta, prorſus fabuloſa. Oſtroilum vero ſeu Oſtroivoum, Dalmatia, Illyrico, & Myſia inferiore ſeu Boſinenſi provincia occupatis, ſedem imperii in Prævalitana regione, quæ pars eſt Macedoniæ conſtituiſſe: Scardonam, & Salonas evertiſſe: deinde Svevladum filium ad ſubjugandas provincias, quæ ad Septentrionem erant, miſiſſe: at Juſtinianum Imperatorem per nuncios edoctum, Oſtroilum cum paucis copiis domi remanſiſſe, cum ingenti exercitu eum adortum, prælio inito fudiſſe ac interemiſſe.

Sve-

---

a *Meleta*, ſive *Malozeata*. „ Cujus in Actis Apoſtolorum S. Lucas meminit, Melitem eam appellans: ubi & vipera Divi Pauli digitum mordens, ab eo excuſſa igne conflagravit „. Ita Porphyrogenitus. At vero Bandurius: „ Sed num illud Pauli naufragium acciderit prope Meletam inſulam maris Adriatici, an vero prope Melitam maris Africi inſulam, non faclie ex Actibus Apoſtolorum cognoſci poteſt, & meo quidem judicio quæſtio illa inſolubilis videtur.

Digitized by Google

Svevdilavum, precepta patris clade, magnis itineribus in Boſinenſem provinciam perveniſſe, ubi non inventis Græcorum copiis, quæ in patriam redierant, uti ſperaverat, quæ ab iis occupata fuerant, nullo negotio recepiſſe: regnum autem ipſius a Valdevino oppido, quod Vinodum hodie dicunt, uſque ad Peloviam vel Peloviatam porrectum, complexumque Boſinam, Dalmatiam, Croatiam, Valachiam, & Poloniæ partem.

Hæc de tribus primis Dalmatiæ & Serviæ Regibus narrata ſufficiunt ad demonſtrandum, quænam fides iis auctoribus ſit adhibenda. Non enim conveniunt cum iis, quæ Procopius de rebus ſuo tempore geſtis refert. Præterea Gothi, non Servii fuere, qui ſub Juſtiniano Dalmatiam infeſtarunt. Poſtremo *Avares* Dalmatia potiti ſunt poſt Gothos, & poſt *Avares* Chrobati, non Servii: Salona autem, Scardona, & reliquæ maritimæ Dalmatiæ civitates, non a Gothis, neque ſub Juſtiniano everſæ ſunt, ſed ab Avaribus extremis Mauricii Imperatoris annis. Cangius itaque operam perdit, dum medicam manum tot aſyſtatis adhibere conatur. Quid vero aliud præſtat, dum de Oſtroilo ſecundo Rege, *ſcribit eum vocari Odrillum ab Andrea Dandulo*, quam Diocleatem anachroniſmi redarguere? Oſtroilus ſiquidem ſub Juſtiniano a Diocleate ponitur: at Odrillus ad annum Chriſti 874. a Dandulo memoratur. Sic Uladinum quintum Regem Diocleates refert cum Bulgaris pacem compoſuiſſe, quibus Romani Imperatores in Macedonia, & Illyrico loca ad inhabitandum conceſſerant: idque Cangius ſub Juſtiniano factum vult, „ qui anno imperii XII. & XIII. per Duces ſuos, *inquit*, cum „ Bulgaris iſtis Dalmaticis bella geſſit, in quibus quum varia „ fortuna primo pugnatum eſſet, tandem fuſi ſunt Romani, „ quibus ſeſe adjunxerat Acumus, gente Hunnus, quem Illyrici Regem Cedrenus, Theophanes vero per Illyricum Magiſtrum militiæ fuiſſe, & a Juſtiniano e ſacro fonte ſuſceptum „ ait, quem in prælio captum ii abduxerunt „. Verum non advertit vir doctus, quæcumque hic a Diocleate de Bulgaris ſub Uladino narrantur, ad Juſtiniani tempora referri non poſſe: nam Diocleates ſub Juſtiniano regnaſſe ait *Oſtroilum* per aliquot annos; deinde *Svevladum* per annos 12. poſtea *Selimirum* hujus filium per annos 20. vel ſecundum alios, per annos 12. Demum Selimiro patri ſucceſſiſſe *Uladinum*. At Cedrenus ac Theophanes illam Bulgarorum irruptionem factam ajunt ſub Juſtiniano

anno ejus XII. & XIII. adeoque longe antequam Uladinus regnum iniret.

XXVII. Item confundunt Moraviæ principes & Croatiæ Reges cum Servianis.

Deinde confundunt *Moraviæ Principes* cum Serviis. *Svetopolcus* enim, quem *Budimirum* vocant, *Svetmiri* decimi Serviorum Regis filium, non Serviæ Rex fuit, uti Diocleates & Marulanus auctor contendunt, ſed *Dux Moraviæ*, quemadmodum in Epiſtola Joannis VIII. Papæ appellatur, necnon in Vita S. Cyrilli Slavorum Apoſtoli. Item *Reges Croatiæ* inter *Servianos* perperam recenſent, *Tomislavum*, ſcilicet, *Sebeslavum*, *Colomanum*, *Chriſmerium*, *Zuinimirum*, & *Prodemirum* ſeu *Branimirum*. Qui enim numero XIV. & XV. Serviæ Reges vocantur *Tomislavus*, & *Sebeslavus*, tum ex Thoma Archidiacono & Privilegiis Dalmaticis, tum etiam ex Epiſtola 176. Joannis Papæ VIII. & ex Andreæ Danduli Chronico ad ann. 879. eos *Croatiæ* & *Dalmatiæ* Reges fuiſſe conſtat. Et Joannes quidem Papa *Sebeſclavum Comitem Slavorum* appellat ea epiſtola, qua illum rogat, ut ſalvum conductum præſtet Legatis ſuis, quos ad Bulgarorum Regem Michaëlem mittebat. Dandulus vero ad annum 879. ſcribit: „ Per hos dies *Sebeſclavus* ex progenie ... „ Imperiali præſidio Dalmatiæ Ducatum arripuit, filioſque De- „ megei exilio miſit, quem non multo interjecto tempore Bra- „ nimirus occidit, & Ducatum ejus accepit „. Exſtant Joannis Papæ VIII. ſcriptæ anno 879. Indict. XII. Epiſtolæ ad Branimirum, qui num. 28. Diocleati *Predemirus* vel *Prelemirus* Serviæ Rex vocatur, & ad Sacerdotes & populos Branimiro ſubjectos, quos hortatur, ut quam Romanæ Sedi ſubjectionem polliciti erant, conſtanter adimplerent; & ut permittat Branimirus Legatum ſuum Epiſtolam ad Bulgarorum Regem deferre. *Colomanus*, qui a Marulano auctore dicitur *Rodoslavi* vigeſimi ſexti Serviæ Regis filius, & *Chriſmerii* pater, avuſque *Zuonimiri*, poſt Zuonimirum Chriſmerii filium, in Dalmatia, non in Servia regnavit, quum tamen non a Zuonimiro aut Chriſmerio genus duceret, ſed ab Hungariæ Regibus; nimirum *Almi* frater fuit, Geyſæ fratris Ladislai Hungarorum Regis filius: qui extincta Slavorum Dalmatiæ Regum poſt Zuonimiri obitum ſtirpe, ad annum uſque 1104. Dalmatis imperavit. Vide Cangium in ſerie Regum Dalmatiæ & Croatiæ num. XIX. Ad Croatas igitur & Dalmatas, non ad Servios pertinent Creſimerus, & Zuonimirus, ut ſupra demonſtratum eſt. Præterea falſum eſt, quod vetus Rerum Dalma-

maticarum Scriptor a Marulo editus, aſſerit, „ Chriſmerio poſt „ annos 31. defuncto ſucceſſiſſe in Serviæ regno Zuonimirum, „ qui quum coacto ſubditorum conſilio, hos ad Hieroſolymitanam expeditionem cum cæteris Chriſtianis ſubeundam invitaret, orta ſubito ſeditione ab iis interfectum fuiſſe: poſt cujus „ necem Bela Hungarorum Rex Dalmatiæ provincias occupa- „ rit „. Nam præterquamquod Chriſmerius, ſeu Creſimirus, & Zuonimirus Croatiæ, non vero Serviæ Reges fuerunt, uti modo dicebam; idem Zuonimirus aliquot annis ante Francorum in Terram Sanctam expeditionem vixit mortuuſque eſt: hæc enim ſuſcepta fuit anno 1096. Zuonimirus autem, Apoſtolica auctoritate Rex Dalmatiæ & Croatiæ anno 1076. coronatus, quum Geizæ & Ladislai Hungariæ Regum ſororem, Belæ Regis cognomento Pii filiam (quæ *Helena* in Diplomate anno 1078. nuncupatur) in uxorem duxiſſet, nulla ex ipſa ſuſcepta prole, paulo ante annum 1091. deceſſit: nam eo anno, gravibus inter regni proceres excitatis in Croatia motibus, Ladislavus Hungariæ Rex, Belæ filius, Almum Geyzæ fratris primogeniti filium, Croatiæ Regem conſtituit, ut ex veteribus Tabulis colligitur. Ac proinde in antedicta Marulani auctoris narratione deprehendere eſt multa falſa, & non paucos anachroniſmos: falſum quippe eſt, Zuonimirum Serviæ Regem fuiſſe: item falſum, eo mortuo Belam Hungarorum Regem Dalmatiæ provincias occupaſſe: immanis autem eſt anachroniſmus, *Creſimirum* & *Zuonimirum*, poſt *Palimirum* Rodoslavi ex filio Petrislavo nepotem, Serviæ Regem vigeſimum ſextum, & ante *Branimirum* ſeu *Predimirum* vigeſimum octavum Regem, collocari: nam hic Branimirus anno 879. in vivis erat, uti ex Joannis Papæ VIII. literis 184. 185. 284. 285. conſtat, & colligitur ex iis quæ Diocleates geſta ſub eo narrat a Simeone & Petro Bulgarorum Regibus, quorum primus anno Chriſti 932. alter anno 971. deceſſit: Zuonimirus vero, ut modo dicebam, mortuus eſt circa annum 1091. unde & alter eſt Diocleatis & Marulani Auctoris anachroniſmus in Predemiro ipſo; „ quo regnante, *ſcribit*, Petro Bulgarorum Rege „ extincto, Græcorum Imperatorem Bulgariam invaſiſſe, ſuo- „ que ſubjugaſſe imperio „. Quum enim Symeonem poſt Petrum regnaſſe deinceps innuat, qui Simeonis filius fuit, perſpicui anachroniſmi jure argui poteſt; hincque patet quæ fides adhibenda Scriptorum iſtorum narrationibus a *Svelado*, primo Ser-

viæ Rege, uſque ad *Uladimirum* Regem XXXIV. cui *Samuel* XXIII. Bulgarorum Rex Coſſaram filiam uxorem dedit circa annum 990. nam ab hoc anno deinceps, ſeries Regum Serviæ uſque ad *Uroſium*, qui anno 1368. cæſus fuit, ex auctoribus Græcis Latiniſque emendari poteſt, eamque ſic emendatam cumque Dalmaticis collatam edidit vir ſummus Cangius a pag. 279. ad pag. 293. edit. Pariſ. Sed de Diocleate Presbytero, & Slavico Marulano Chronico ſatis.

CAPUT VIII.

Res Slavorum, Gothorum, Hunnorumque geſtæ in Dalmatia, Illyrico, & Pannonia, a Valente uſque ad Juſtiniani Imperatoris tempora.

I. Gothi, Hunni, & Slavi, populi diverſi.

QUI rerum Dalmaticarum hiſtoriam ſcripſere, Gothos, Hunnos, aut Slavos appellant quotquot in Illyricum & Dalmatiam armis invaſerunt barbari, quamquam reipſa Slavi non omnes eſſent: ſed alii, ut diximus, Gothi; alii Hunni, ſeu Abares: alii Slavi, ſive Chrobati, ſive Servii, ſive Bulgari: alii demum Pazinaces, Turci. Juvat proinde ex probatis Auctoribus hic deſcribere ſingulas vel ſaltem præcipuas eorum populorum in eas provincias impreſſiones, a Valentis Imperatoris temporibus, ſub quo primum dicuntur Gothi Iſtro trajecto ſedes in terris Romani Imperii fixiſſe, uſque ad Baſilii Macedonis imperium, quo regnante Slavi omnes in Illyrico & Dalmatia degentes ad ſacra Chriſtiana ſunt traducti.

II. Gothi, Wiſigothi, Vandali, & Cimmerii, ex Procopio.

Itaque de Gothis ſub Valente Imperatore hæc tradit Procopius lib. 4. de Bello Gothico cap. 5. poſtquam de Abaſgis, Zecchis, Hunnis, Antis, Cimmeriis, & Gothis Tetraxitis, trans Pontum Euxinum juxta paludem Mæotidem habitantibus diſſeruiſſet: *Hinc*) poſt Gothorum Tetraxitarum ſedes) *longius ſiti erant Gotthi, Viſigotthi, Vandali, aliique omnes populi Gotthici, qui & Scythæ quondam nominabantur, communi utique illarum partium gentibus appellatione: in quibus erant, qui Sauromatarum vel Melanchlænorum, aliove quopiam peculiari cognomento gauderent.* En Procopius *Scytharum* nomine omnes illos populos comprehendit, ſive Gothici generis fuerint, ſive Hunnici, ſive Slavici,

Per-

III. Gothi ab Hunnis Cimmeriis e ſedibus pulſi, trajecto Iſtro, in Thracia habitant ſub Valente Imp.

Pergit porro de Gothorum Hunnorumque conflictu: *Procedente tempore fuerunt (ſi vera eſt fama) adoleſcentes quoſdam Cimmerios venationi deditos, quum cerua, quam agitabant, in aquas illas inſiluiſſet, eam ſequutos eſſe, ſive laudis ac victoriæ ſtudio, ſive divino quodam inſtinctu: nec deſtitiſſe, donec ad litus oppoſitum cum illa perveniſſent: atque id quidem quodcumque demum fuerit, quod inſectabantur, repente evanuiſſe, eo tantum, credo, objectum oculis, ut poſitis ibi Barbaris oriretur calamitas: adoleſcentes vero venationis conſilio fraudatos, pugnæ prædæque opportunitatem nactos eſſe. Mox enim reverſi in patriam, Cimmeriis omnibus ſignificarunt, illic aquas vado tranſiri poſſe. Itaque ſumptis confeſtim armis, cum omnibus copiis tranſgreſſi, in adverſam continentem evaſerunt, quum inde* (a) *egreſſi Vandali in Africa, & Viſigotthi in Hiſpania jam habitarent. Tum Gotthos, qui regionis illius campos incolebant, adorti inopinato, multis cæſis, reliquos omnes in fugam agunt. Quicumque elapſi ſunt, inde cum liberis, & uxoribus migrantes, liquerunt patriam, trajectoque Iſtro flumine, in Romanorum fines ſe intulere. Ubi quum graviter incolas vexarent, ſedes in Thracia ab Imperatore ſibi conceſſas occupaverunt. Ac partim quidem ſociis juvabant armis Romanos, annua, ſicut cæteri milites, ab Imperatore accipientes ſtipendia, ac donati nomine Fœderatorum (hoc enim Latino vocabulo affecerunt illos Romani, id, opinor, innuentes, non bello a ſe domitos Gotthos, at certis pactionibus aſſumptos in ſocietatem fuiſſe: ſiquidem pactiones quæ in bello fiunt, appellant Latini Fœdera:) alii vero bellum ipſis inferebant, nulla injuria laceſſiti, donec in Italiam commigrarunt, Theoderico Duce.*

Hunc

a Anachroniſmus in Procopio: nam Vandali in Africa, & Viſigothi in Hiſpania longe poſt Valentis tempora inhabitare cæperunt: nimirum Theodoſii junioris temporibus. Hiſtoria miſcella lib. 14. de Theodoſio juniore. „ Eodem tempore erant Gothi
„ & aliæ gentes multæ ac maximæ trans Danubium in Hyperboreis locis habitantes:
„ ex quibus rationabiliores quatuor ſunt, Gothi ſcilicet, Hypogothi (*Viſigothi*) Ge-
„ pides, & Vandali, nomen tantum, & nihil aliud mutantes: unaque lingua utentes:
„ omnes autem fidei erant Arianæ malignitatis. Iſti ſub Arcadio & Honorio Danu-
„ bium tranſeuntes, locati ſunt in terra Romanorum, & Gepides quidem, ex qui-
„ bus poſtmodum diviſi ſunt Longobardi, & Avares, villas, quæ ſunt circa Singido-
„ nem & Sirmium, habitavere. Hypogothi vero poſt Alaricum Romam depopulatus, in Gallias abierunt, & quæ ibidem ſunt obtinuere. Gothi autem Pannoniam
„ habuerunt primum: deinde decimo octavo anno Theodoſiii Imperatoris junioris
„ Thraciæ villas habitaverunt, & per annos 58. in Thrace morantes, occidentis que-
„ que obtinuerunt Imperium. Porro Vandali Alanis ſibi ſociatis, & Germanis, qui
„ nunc Franci dicuntur, adſcitis, tranſeuntes Rhenum fluvium, Modigiſclo Duce
„ habitaverunt in Hiſpania.

IV. Hunni Cimmerii, alii Cuturguri, alii Uturguri. Primi Gothis permiſti.

Hunc curſum habuere Gotthorum res. Illis partim vita, partim patria expulſis, ut dictum eſt regio in (*a*) *poteſtate Hunnorum fuit, atque illic Cuturguri* (a Cuturgur Principe ſic dicti) *accitis liberis & uxoribus, conſederunt, ubi etiamnum habitant: & quamvis multa ſingulis annis ab Imperatore dono accipiant, haud tamen abſiſtunt ejus Provincias, tranſito Iſtro flumine, incurſare, Romanarum ſimul ſocii, ſimul hoſtes. Uturguri cum ſuo Principe revertentes in patriam, ut eam deinceps tenerent ſoli, quum ad paludem Mæotidem acceſſiſſent, in Gothos* (*b*) *Tetraxitas inciderunt. Ac primo quidem Gotthi muniti clypeis, ſtetere contra, ut impetum prohiberent, cum ſuis viribus, tum loci firmitate freti. Nam & Barbarorum, qui in illis partibus degunt, ipſi fortiſſimi ſunt & Mæotis, ubi in Pontum illabi incipit, quo in loco agebant tunc Tetraxitæ, lunatum ſinum efficiens, ac fere undique eos ambiens, eo venientibus unum, eumque haud adeo latum aditum dabat. Dein tamen, quum neque Hunni tempus ibi terere vellent, neque hoſtium multitudini ſe reſtituros Gothi ſperarent; colloquio habito convenit, ut permixti una trajicerent, & Gotthi fixis in oppoſita continente ſedibus, ad litus alvei, quo Palus influit, ubi hodieque habitant, amici in poſterum ſociique Uturgurorum, pari cum ipſis jure, ſemper viverent. Sic igitur Gotthi iſti domicilia ibi collocarunt, & Cuturguris, ut dixi, trans paludem relictis, ſoli Uturguri oras patrias retinuerunt, Romanis nihil negotii faceſſentes. Ultra paludem Mæotidem fluviumque Tanaim, Hunni Cuturguri camporum æquora, ut modo dicebam, longe ac late*

a Tractum Mediterraneum ad paludem uſque Mæotim Tanaimque fluvium exonerantem ſe in eam paludem, colebat olim multitudo ingens Hunnorum, qui tunc Cimmerii vocabantur, unique omnes Regi parebant. Aliquando his quidam præfuit, cui duo erant filii, Uturgur alter nomine, alter Cuturgur. Patre mortuo, regnum inter ſe ambo partiti, de ſuo nomine dixere ſubditos: inde alii Uturguri etiamnum, alii Cuturguri appellantur. *Procop ibid.*

b Ubi ſe primum aperit alveus, quo palus Mæotis effunditur, degunt Gothi, Tetraxitæ cognomine, qui quamvis pauci numero, nihilominus Chriſtianorum leges & inſtituta religioſe ſervant. An vero Arii ſectam Gothi iſti, quemadmodum cæteræ gentes Gothicæ, aliamve, ſequuti unquam fuerint, affirmare nequeo; quando nec ipſi id ſciunt; ſed jam pietate admodum credula ſimplicique religionem colunt. Haud pridem, nimirum anno vigeſimo primo Imperii Juſtiniani Auguſti (Chriſti 547.) Legatos quatuor Byzantium miſerunt, rogantes, ut Antiſtite ſuo recens mortuo, aliquem ſibi Epiſcopum daret: Audierant enim deſtinatum ab Imperatore fuiſſe Præſulem ad Abaſgos. Eorum petitione lubentiſſime concedens Juſtinianus Auguſtus ipſos remiſit. Quum vero Hunnos Uturguros hi Legati metuerent, palam quidem ac multis audientibus, Legationis cauſas exponentes, de Præſule tantum mentionem fecerant Imperatori; at in arcano intimeque colloquio utilitates omnes declaraverant, quas Imperium Romanum capturum eſſet, ſi diſcordia inter vicinos ſibi Barbaros aleretur. *Procop. lib. 4. cap. 4.*

Digitized by Google

late inſederunt. Poſt a Scythis & Tauris tenetur omnis illa regio, cujus pars etiamnum Taurica dicitur: ubi Dianæ templum fuiſſe perhibent, cui quondam Iphigenia Agamemnonis filia præfuit. Poſt eas gentes, urbs eſt maritima Boſporus, quæ ante aliquot annos ad Romanam ditionem acceſſit. Ab urbe Boſporo ad urbem Cherſonem, ſitam in maris litore, & Romanis jam inde olim ſubditam, habent Barbari, utique Hunni, quidquid interjacet. Hæc Procopius.

Eadem ante Procopium de Gothis ſcripſere Socrates lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 33. & Sozomenus lib. 6. cap. 37. Sed Socrates *Cervi* ſive *Bovis* non meminit; meminit tamen Sozomenus in hæc verba. „ Gothi, qui antea trans Iſtrum ſedes habebant, & aliis „ imperabant Barbaris, ab Hunnis expulſi, ad Romanorum fines „ tranſvecti ſunt. Hæc autem Hunnorum natio, Thracibus ad „ Iſtrum degentibus, ipſiſque adeo Gothis, ut ajunt, prius ignota „ erat. Ac licet vicini inter ſe eſſent, ſe tamen vicinos eſſe igno- „ rabant, propterea quod maximo lacu inter ipſos interjecto, „ ſinguli eam partem continentis, quam habitabant, finem orbis „ terrarum eſſe exiſtimabant, nec quidquam ulterius præter ma- „ re, & immenſam aquarum copiam. Sed quum forte contigiſ- „ ſet, ut bos æſtro percitus lacum trajiceret, bubulcus inſequu- „ tus eſt. Qui quum terras ex adverſo ſitas conſpexiſſet, renun- „ ciavit popularibus. Alii narrant, Cervum fugientem Hunnis „ quibuſdam venantibus viam monſtraſſe, quæ ſuperficie tenus „ aquis operta eſſet. Et iſtos quidem regionem illam admiratos „ tum ob cœli temperiem, tum ob frugum ubertatem, ſtatim „ rediiſſe, & Principi gentis ſuæ ea quæ viderant retuliſſe. Hun- „ nos vero initio quidem exigua militum manu tentaſſe Gothos: „ poſtea vero cum ingentibus copiis profectos, prælio eos ſupe- „ raſſe, & univerſam eorum regionem occupaviſſe; Gothos au- „ tem fugientes, in Romanorum regionem trajeciſſe „. Et cætera. At Cedrenus quod de Cerva præeunte dicitur, id ad Gothos refert, non ad Hunnos: ſic enim ſcribit ad ann. Valentis I. „ Eo imperante Gotthi, trajecta Mæotide palude, præeunte „ cerva, in Thraciam venerunt; inque duas diviſi partes, bel- „ lum altera alteri fecerunt. Altera pars a Valente ſuppetias pe- „ tiit. *Et reliqua.*

V. Quod Evagrius de Cerva viam Hunnis monſtrante ſcribit; id Cedrenus ad Gothos refert, e patriis ſedibus in Thraciam migrantes.

Socrates omnium quod ſciam Scriptorum, qui hanc Gothorum irruptionem tradidere, vetuſtiſſimus, de *cerva* ſilet; conceſſas tamen a Valente Imp. Gothis & ſuppetias, & ſedes in Thracia,

VI. Civile inter Gothos bellum, quorum pars, cui Fritigernus præerat

ſuppetiis à Valente acceptis, alteram partem in fugam convertens, Chriſtiana ſacra amplectitur. Ex Socrate.

cia, ſic deſcribit. „ Barbari trans Danubium incolentes, qui „ Gothi appellantur, inteſtino bello inter ipſos orto, duas in „ partes dirempti ſunt: quarum alteri Fritigernus, alteri præ„ rat Athanaricus. Porro quum Athanaricus prævaluiſſet, Fri„ tigernus ad Romanos (a) confugiens, eorum auxilium implo„ ravit. Quod ubi Valenti Auguſto nunciatum eſt, juſſit ut mi„ lites qui præſidium agebant in Thracia, Barbaris contra Barba„ ros militantibus auxilium ferrent. Horum igitur ſubſidio, Go„ thi trans Danubium victoriam de Athanarico retulerunt, co„ piis ejus in fugam converſis. Ob hanc cauſam multi ex Barbaris „ Chriſtianam religionem amplexi ſunt. Nam Fritigernus ut ob „ acceptum beneficium Imperatori gratiam referret, tum ipſe „ Imperatoris religionem amplexus eſt, tum ſuos ad idem fa„ ciendum incitavit. Atque idcirco plerique Gothorum Arianæ „ ſectæ ſunt dediti, utpote qui eo tempore, Imperatoris gratia, „ ad eam ſectam ſe contulerint. Eodem etiam tempore οὐλφίλας „ Ulphila Gothorum Epiſcopus, Gothicas literas excogitavit, „ & ſacris Scripturis in Gothorum ſermone converſis, effecit, „ ut barbari divina eloquia perdiſcerent. Sed quoniam Ulphila „ non eos tantum Barbaros qui Fritigernum ſequebantur, verum „ etiam illos, qui Athanarico parebant, Chriſtianæ fidei doctri„ na inſtituebat, Athanaricus ægre id ferens, perinde quaſi ma„ jorum religio violaretur, Chriſtianos diverſis ſuppliciis affecit, „ ita ut Barbari quidam, qui Ariani erant, Martyres fierent. Ve„ rum Arius quidem quum Sabelli Libyenſis opinionem refelle„ re non poſſet, a recta fide aberravit, filium Dei recentem Deum „ eſſe ſtatuens. Barbari vero Chriſtianam religionem ſimplici „ animo amplexi, pro fide Chriſti vitam hujus ſæculi contempſe„ runt.

VII. Redintegrata inter Gothos amicitia, utraque co-

Pergit referre, quomodo Gothi non multo poſt mutua inter ſe amicitia redintegrata, ab aliis Barbaris, qui Hunni appellantur,

(a) Nimirum, miſſa ad Valentem legatione. De qua hæc Sozom. lib. 6. cap. 37. Huius legationis Princeps fuiſſe dicitur Ulphila, Epiſcopus gentis Gothorum. *Et mox.* Nam Ulphila, qui tunc apud ipſos erat Epiſcopus, initio quidem nulla in parte diſſenſit ab Eccleſia Catholica. Quumque regnante Conſtantino imprudenter ut opinor, unacum Eudoxio & Acacio Conſtantinopolitanæ Synodo interfuiſſet; cum Epiſcopis Nicænorum Patrum decreta ſectantibus communicare perſeveravit. Sed quum veniſſet Conſtantinopolim, & Arianæ ſectæ Antiſtites de religione cum eo diſſeruiſſent, eique polliciti eſſent ſe legationem illius adjuturos eſſe apud Imperatorem, modo eidem cum ipſis ſentire vellet; neceſſitate compulſus, vel quod eam de divinitate ſententiam potiorem eſſe exiſtimaret, cum Arianis communicaſſe dicitur, ſeque & univerſam gentem ab Eccleſia Catholica abrupiſſe.

Digitized by Google

tur, devicti, ſuiſque ſedibus pulſi, ad Romanam ditionem confugerunt, famulaturos ſe Imperatori, & quidquid ille juſſerit, facturos ſe polliciti; & ab Imperatore ſuſcepti, Thraciæ partibus eis ad incolendum aſſignatis, tum Imperio Romano, tum ipſi Imperatori exitio fuere: qui quum illos procul ab urbe, cujus ſuburbana Barbari vexabant, repuliſſet, & Adrianopolim uſque perſaquutus eſſet, quæ urbs eſt Thraciæ in finibus Macedoniæ ſita, ibi congreſſus cum Gothis, occubuit: & alii quidem incendio eum periiſſe narrant, quum in vicum quemdam confugiſſet: alii dicunt, eum abjecto Imperiali habitu in medium agmen peditum ſe conjeciſſe: quumque equites proditionem feciſſent, & prælium committere detrectaſſent, pedites Romanos undique a Barbaris circumfuſos, omnes in acie occubuiſſe, inter quos ipſum quoque Imperatorem jacuiſſe, ſed ignotum, eo quod habitum, quod internoſci poterat, prius depoſuiſſet.

rum pars ab Hunnis compellitur in Thraciam migrare: ubi & Valenti, & Romano Imperio exitio fuere.

VIII. Gothi a Theodoſio repreſſi.

Poſt Valentis vero obitum, quum Gothi ad ipſa uſque urbis mœnia progreſſi, ſuburbana undique vaſtare cœpiſſent, cives adverſus eos eruptionem fecerunt, auxiliantibus Saracenis, qui Maviæ parebant. Demum lib. 5. cap. 6. quum dixiſſet, *Theodoſium poſt erecta de Gothis tropæa*, Conſtantinopolim contendentem, veniſſe Theſſalonicam, ibique in morbum incidiſſe: ſubjungit: *Porro quum ob ingruentem morbum quantocius baptizari vellet, & Theſſalonicenſem Epiſcopum ea de cauſa ad ſe accerſiſſet, prius ab eo percontatus eſt, quam ille fidem ſectaretur. Quumque reſpondiſſet Epiſcopus, opinionem Arii ad Illyrici uſque provincias minime penetraſſe, & inductam ab illo novitatem Eccleſias illic ſitas decipere nequaquam valuiſſe: ſed eam fidem, quæ initio ab Apoſtolis tradita, & poſtea in Concilio Nicæno confirmata eſt, ab incolis conſtanter retineri, Imperator ab Aſcholio libentiſſime baptizatus eſt.*

IX. Ariana hæreſis, quã Gothi per Valentem acceperant, neque in Illyricũ, neque in Scythiam penetravit.

In Illyricum igitur uſque ad Theodoſii tempora neque per Conſtantinum & Valentem Imperatores, neque per Gothos Ariana hæreſis invaſerat. Quinimo in Scythiam ipſam hæc lues penetrare nequivit, quamquam Valens ſtudium omne ad id perpetrandum impendiſſet: nam Sozomeno teſte lib. 6. hiſt. Eccl. cap. 21. Scythas Epiſcopus Vetranio in fide Nicæna continuit. *Certe Scythas*, inquit, *hanc ob cauſam in priſtina fide permanſiſſe narrant. Hæc autem provincia multas urbes & vicos continet & caſtella; Metropolim autem habet Tomeſa, urbem magnam & opulentam,*

ad mare ſitam, in ſiniſtro latere Ponti Euxini. Porro vetus illic conſuetudo etiamnum manet, ut totius Provinciæ Eccleſias unus tantum regat Epiſcopus. Per id tempus Eccleſiis illis præerat, Βρεττανίων, *Vetranio, tunc quum Imperator Valens ad urbem Tomes advenit. Qui quum Eccleſiam ejus loci ingreſſus eſſet, &, ut ſolebat, ſuaderet Epiſcopo, ut cum Arianis communicaret, Vetranio conſtanter & libere coram Imperatore loquutus de doctrina fidei Nicænæ, & ab eo diſceſſit, & ad aliam Eccleſiam ſe contulit: quem populus quoque ſequutus eſt. Univerſa autem fere civitas confluxerat, Imperatoris videndi cauſa, & quia novi quidpiam eventurum credebatur. At Valens unacum ſuis derelictus, contumeliam iniquo animo tulit. Quocirca Vetranionem comprehenſum, in exilium abduci jubet: nec multo poſt redeundi ei copiam fecit. Nam quum Scythas, ut opinor, ob exilium Epiſcopi ſui indignantes videret, metuere cœpit, ne quid novarum rerum molirentur. Norat enim eos forti animo præditos eſſe, & ob ſitum locorum, utiles ac neceſſarios eſſe Imperio Romano, valli inſtar objectos finitimis Barbaris.*

X. Quid Jornandes de Gothis, & Hunnis, & Roxolanis ſub Valente.

Jornandes de rebus Geticis cap. 24. quum Gothos quidem poſt egreſſum Scanziæ ſeu Scandinaviæ inſulæ ſub Filimero quinto eorum Rege in terras Scythicas introiſſe; Hunnos vero ex veneficarum quarumdam Gothicarum mulierum cum ſpiritibus immundis congreſſu exortos narraſſet, hæc adjicit. „ Tali ergo Hunni ſtirpe creati, Gothorum finibus advenere. Quorum natio ſæva, ut Priſcus hiſtoricus refert, in Mæotide palude ulteriorem ripam inſedit, venatione tantum, nec alio labore experta, niſi quod poſtquam creviſſet in populos, fraudibus & rapinis vicinam gentem conturbavit. Hujus ergo (ut aſſolent) venatores dum in ulteriori Mæotidis ripa venationes inquirunt, animadvertunt quomodo ex improviſo Cerva ſe illis obtulit, ingreſſaque palude, nunc progrediens, nunc ſubſiſtens, indicem ſe viæ tribuit: quam ſequuti venatores, paludem Mæotidem, quam imperviam ut pelagus exiſtimabant, pedibus tranſire. Mox quoque ut Scythica terra ignotis apparuit, cerva diſparuit. Quod credo ſpiritus illi, unde progeniem trahunt, ad Scytharum invidiam egere „. Ita bonus (*a*) Jornandes, upote

a Joannes de Thvvrocz in Chronicis Hungarorum pag. 5. cap. 3. Jornandes, & quidam alii, Hunnos ab incubis dæmonibus & quibuſdam mulieribus originem ſumpſiſſe „ dixe-

te ipſe Gothus, de Hunnis ſentit Gothorum ſuorum ejectoribus.
Pergit narrans Hunnorum in Oſtrogothos Scythicos, hoc eſt, in
Gothos orientalis plagæ in Scythia incolas, expeditionem, ubi &
de Ermanarici Gothorum Regis cæde, quæ contigit, tum ob eam
Hunnorum irruptionem, tum ob vulnus acceptum a quibuſdam
Rhoxolanis, de quibus hæc habet: ,, Ermanaricus Rex Gothorum
,, licet (ut ſuperius retulimus) multarum gentium extiterit
,, triumphator, de Hunnorum tamen adventu, dum cogitat,
,, *Roxolanorum* (*a*) gens infida, quæ tunc inter alias illi famula-
,, tum exhibebat, tali eum nanciſcitur occaſione decipere. Dum
,, enim quandam mulierem, *Saniel* nomine ex gente memorata,
,, pro mariti fraudulento diſceſſu, Rex furore commotus, equis
,, ferocibus illigatam, incitatiſque curſibus, per diverſa divelli
,, præcepiſset; fratres ejus Sarus & Ammius, germanæ obitum
,, vindicantes, Ermanarici latus ferro petierunt: quo vulnere
,, ſaucius, ægram vitam corporis imbecillitate contraxit: quam
,, adverſam valetudinem captans Balamir Rex Hunnorum, in
,, Oſtrogothas movit procinctum: a quorum ſocietate jam Weſe-
,, gothæ diſceſsere, quam dudum inter ſe juncti habebant. Inter
,, hæc Ermanaricus tam vulneris dolorem, quam etiam incurſio-
,, nes Hunnorum non ferens, grandævus & plenus dierum, cen-
,, teſimo decimo anno vitæ ſuæ defunctus eſt. Cujus mortis oc-
,, caſio dedit Hunnis prævalere in Gothis illis, quos dixeramus
,, Orientali plaga ſedere, & Oſtrogothas nuncupari,,. Mox
cap. ſequenti refert, Veſegothas, Oſtrogothis ab Hunnis devi-
ctis, a Valente Imperatore Moëſiam habitandam obtinuiſse, quum
Chriſtiani fieri cuperent. ,, Quo Valens comperto, mox gratu-
,, labundus annuit, quod ultro petere voluiſset: ſuſceptoſque in
,, Moëſiæ partibus Getas, quaſi murum regni ſui contra cæteras
,, gentes ſtatuit. Et quia tunc Valens Imperator Arianorum perfi-

,, dixere. Invidia auctrice Jordanus hac ducitur ſententia. Nam quum Gothorum de
,, genere, quos Hungari propriis expulere de ſedibus, ſuam ducat originem, proge-
,, nitorum injuriam præcorde ferens, hoc opprobrio Hunnorum affeciſſe generati non
,, credi poteſt.

a In margine, *Roſomonorum*. Sed legendum: *Roxolanorum*: nam ibi Roxolani erant,
ubi & Gothi. Jornandes cap 12. de rebus Geticis de Dacia antiqua, quæ Gepidia poſt
fuit appellata. ,, Hanc Gothicam, quam Daciam appellavere majores (quæ nunc, ut
,, diximus, Gepidia dicitur:) tunc ab Oriente Roxolani, ab Occaſu Tamazites, a
,, Septentrione Sarmatæ & Baſternæ, a Meridie amnis Danubii fluenta terminant. Ta-
,, mazites a Roxolanis alveo tantum fluvii ſegregantur,,. Qui anti quis *Jazyges*, Jor-
nandi dicuntur *Tamazites*.

„ dia ſaucius, noſtrarum partium omnes Eccleſias obturaſset, ſuæ „ partis fautores ad illos dirigit Prædicatores, qui venientibus „ rudibus & ignaris, illico perfidiæ ſuæ virus diffundunt. Sic quo„ que Veſegothæ a Valente Imperatore Ariani potius, quam „ Chriſtiani effecti: De cætero tam Oſtrogothi, quam Gepidis pa„ rentibus ſuis per affectionis gratiam evangelizantes, hujus per„ fidiæ culturam edocentes, omnem ubique linguæ hujus natio„ num ad culturam hujus ſectæ invitavere. Ipſi quoque (ut di„ ctum eſt) Danubium tranſmeantes, Daciam Ripenſem, Moë„ ſiam, Thraciamque, permiſsu Principis, inſedere „. Fame deinde preſſi,& a Ducibus Romanorum Lupicinio & Maximo peſſime habiti, ſeſe in libertatem vendicantes, commiſso cum Valente Imperatore, qui eos Ariana perfidia infici curaverat, prælio, victoria potiti, Valentem ipſum igni ſuppoſito concremarunt, & Thracias Daciamque Ripenſem, poſt tanti gloriam triumphi, tamquam ſolum patrium, cœperunt incolere. Hoc ipſum narrat Theophanes ad annum Valentis Imperatoris 1. & 2. Cedrenus edit. Pariſ. pag. 312. & 314. & alii paſſim.

XI. Sub Theodoſio ſeniore Gothi in Pannonia ſedibus fixis pacem cum Romanis colunt.

Sub Theodoſio magno, Gothorum diviſo exercitu, Fridigernus ad prædandam Theſſaliam, Epirum, & Achajam digreſſus eſt: Altheus vero, & Safrach cum reſiduis copiis Pannoniam petierunt. Quod quum Gratianus Imperator comperiſſet, gratia eos muneribuſque victurus, & victualia illis concedens, cum ipſis inito fœdere, pacem fecit: idque etiam Theodoſius ratum gratumque habuit: quin imo Atanaricum Regem, qui Fridigerno ſucceſſerat, Conſtantinopolim invitavit, ubi eo mortuo, cunctus Gothorum exercitus in ſervitio Theodoſii Imperatoris perdurans, Romano ſe Imperio ſubdidit. *Poſtquam vero Theodoſius, amator pacis gentiſque Gothorum, rebus exceſſit humanis, cœperunt ejus filii, Arcadius & Honorius, utramque Remp. luxurioſe viventes adnihilare, auxiliariiſque ſuis, ideſt, Gothis, conſueta dona ſubtrahere*. Quare Gothi, pertæſi otii, Alaricum Regem ſibi eligunt, & Italiam invadunt. Hæc Jornandes. Theophanes vero ad ann. Incarn. 370. quo Valens periit: „ Parta, „ *inquit*, victoria, & Valente igne ſublato, elati animis Gotthi „ Conſtantinopoli juncta ſuburbia cœperunt atrociter infeſtare: „ quibus Mavia Saracenorum regina miſſum a ſe Saracenicum „ exercitum oppoſuit; Domnica quoque Valentis conjux edu„ cto in aciem populo, ab urbe remote barbaros expulit. Hæc

„ ita

Digitized by Google

„ ita geſta quum Gratianus Auguſtus in Pannonia reſciviſſet, „ quaſi ſuppetias laturus, ſuſcepit expeditionem, & in Valentis „ locum Theodoſium Auguſtum Imperatoria chlamyde veſtivit, „ & Imperatorem renunciatum ad bellum adverſus Gotthos mi- „ ſit. Scythas porro vernacula ipſorum lingua Gothos nuncu- „ patos, Trajanus Patricius in ſua hiſtoria aſſerit „. Et ad ann. I. Theodoſii. „ Ille pietate clarus & de recta fide bene ſentiens, „ barbaros Thraciam devaſtantes profligavit.

XII. Gepædes & Gothi in Pannonia, & Thraria ſub Theodoſio Juniore.

Joannes Zonaras in Gratiano Imp. pag. 33. edition. Pariſ. *Quum autem Scythæ poſt cladem Valentis elati ſucceſſu rerum, Thraciam finitimaque loca vaſtarent, & coerceri nullo modo poſſent, Theodoſium Hiſpanum* Gratianus *accerſit, virum fortiſſimum & religioſiſſimum. Hunc igitur Ducem delectum ablegat contra Barbaros, qui prælio victor, magnam Scythicæ gentis multitudinem cædit, cæteris in fugam conjectis, qui vel a victoribus deprehenſi, vel a ſeſe invicem obtriti perierunt. Barbaris igitur illis fere omnibus interfectis, Theodoſius exercitu illic relicto, ipſe victoriæ nuncius, ad Gratianum tum in Pannonia degentem contendit; nec tamen victoriam ſuam, & Barbarorum interitum nuncianti fides habita eſt, cum ob rei geſtæ celeritatem, tum ob Scytharum ſummam rei militaris peritiam. Quum autem veritatem cognoviſſet Imperator, deque internecione Barbarorum plane conſtaret, viri celeritatem admiratus eſt, & rem bene geſtam laudibus proſequutus*. Confer iſta cum iis quæ Jornandes de Gratiano & Theodoſio perhibet, & videbis hominem genti ſuæ Gothicæ plus juſto faventem. Porro tam Zonaras, quam Theophanes, Gothos hic Scythas vocant, quia e Scythia prodierant. Pergit Theophanes ad annum Incarnat. 431. Theodoſii Junioris 31. „ Erant ea tempeſtate Gotthi, genteſque quamplurimæ & copioſæ trans Danubium in Hyperboreis regionibus habitantes, inter quas præcipuæ quatuor omnino ſunt, „ Gotthi, Wiſigotthi, Gepedes, & Vandali, nullo alio, quam „ nominum appellatione a ſe invicem diſcreti, & ubique una „ communi lingua utentes: omnes alioqui pravas Arii ſectantur „ opiniones. Iſti Arcadio & Honorio imperantibus, trajecto „ Danubio, in Romanæ poteſtatis ſolo fixerant ſedem. Gepe- „ des quidem, ex quibus demum Longobardi, & Abares diviſi „ ſunt, loca ad Singidonem, & Sirmium poſita occupaverunt: „ Wiſigothi poſt illatas ab Alarico clades, Roma devaſtata, in „ Gal-

Digitized by Google

„ Galliam ſecedentes, varias obtinuerunt provincias: Gothi „ Pannoniam primum adepti, mox nono ſupra decimum Imperii anno, Theodoſio juniore ita permittente, Thraciæ regiones incoluere, & Tracica habitatione per annos octo & quinquaginta protracta, Occidentalis tandem Imperii facti ſunt „ domini. Vandali demum Alanis & Germanis, Francos nunc „ iſtos vocant, ſibi aſcitis, Rheno flumine trajecto, Duce Godigiſclo, in Hiſpania, quæ ab Heſperio Oceano prima regio „ eſt, ſedem poſuerunt „. Hoc ipſum Procopius antea ſcripſerat lib. 1. de Bello Vandalico cap. 2. inquiens: „ Imperium occidentale tenente Honorio, ditionem ejus invaſere Barbari. „ Quinam ii fuerint, & qua illud via perfecerint, mox declarabo. Plurimæ quidem ſuperioribus temporibus, hodieque „ ſunt nationes Gotthicæ; ſed inter illas Gotthi, Vandali, Viſigotthi, & Gepedes, cum numero, tum dignitate præſtant. „ Olim Sauromatæ dicebantur, ac Melanchlæni: quidam etiam „ Getarum nomen ipſis tribuerunt. Vocabulis quidem omnes, „ ut dictum eſt; nulla vero re præterea inter ſe differunt. Cutis omnibus candida, flava cæſaries, corpus procerum, facies „ liberalis, eædem leges, eadem ſacra, Ariana ſcilicet, una „ demum lingua, quam Gotthicam vocamus: ita ut ad unam „ univerſos gentem pertinuiſſe quondam, ac ſuorum deinde „ Ducum nominibus diſcretos fuiſſe exiſtimem. Antique eorum „ ſedes trans flumen Iſtrum. Et Gepædes Singedonem ac Sirmium cum vicino tractu, qua cis, qua ultra fluvium Iſtrum, „ ubi etiamnum habitant, occuparunt. Quoad cæteros attinet, „ egreſſi inde Viſigotthi, primum in ſocietatem Arcadii Auguſti ſe contulerunt. At quum apud Barbaros manere neſciat „ pacta Romanis fides, paulo poſt ad inferendam utrique Imperatori perniciem converterunt operam, duce Alarico, & „ incipientes a Thracia, Europam omnem pro terra hoſtili habuere &c. Gotthi autem trajecto Iſtro, primum occupaverunt „ Pannoniam; deinde ſedem illis in Thracia Imperator conceſſit; ibi non diu morati, in Occidentis Imperium involaverunt. Vandali Mæotidis paludis accolæ, fame preſſi, ad Germanos, quos hodie Francos, nominant, & fluvium Rhenum „ ſe receperunt, tractis in ſocietatem Alanis, natione Gotthica; inde Godigiſcli ductu in ea parte Hiſpaniæ, quæ oram habet Imperii Romani primam ab Oceano, ſedes fecerunt &c. „

Eodem

Eodem Honorio imperante, quid in Illyrico & Dalmatia geſtum ſit, Sozomenus narrat lib.9. hiſt. Eccl. cap.4. his verbis. *Stilico magiſter militum Honorii, quum in ſuſpicionem veniſſet, quod filium ſuum Eucherium Orientis Imperatorem renunciare vellet, a militibus, qui Ravennæ erant, occiditur. Hic porro jam antea, ſuperſtite adhuc Arcadio, quum adverſus Duces illius inimicitias ſuſcepiſſet, utrumque Imperium inter ſe committere ſtuduerat; quumque Alarico Gothorum Duci dignitatem magiſtri militum ab Honorio impetraviſſet, hortatus eum fuerat, ut Illyricum occuparet. Et præmiſſo Jovia, qui Præfectus Prætorio per Illyricum erat conſtitutus, ſe quoque cum legionibus militum Romanorum illuc accurſurum promiſit, ut eam provinciam ſub Honorii ditionem redigeret* (erat enim ſub ditione Arcadii Imperatoris Orientis:) *Et Alaricus quidem ex regione Barbarica juxta Dalmatiam & Pannoniam, ubi degebat, aſſumptis Gothis qui ipſi parebant, in Epirum profectus eſt. Quumque longo temporis ſpatio illic ſubſtitiſſet, re infecta in Italiam rediit. Nam quum ex compacto iter facturus eſſet in Illyricum, Honorii literis eſt retentus*. Dalmatia igitur, & Illyricum tunc temporis non Gothis, ſed Romanis parebant.

Theodoſio juniore, Marciano, Leone, Zenone, & Anaſtaſio imperantibus, hæc de Gothis perhibentur. Ac primum quidem Attila Hunnorum Rex in Dacia trans Iſtrum regnabat. Is Attila (ut ſcribit Jornandes cap.35.) *patre genitus Mundzucco, cujus fuere fuere germani Octar, & Roas, qui ante Attilam regnum Hunnorum tenuiſſe narrantur, quamvis non omnino cunctarum*: dum cum fratre Bleba (*al. Bleda*) ſuper Hunnos principaretur, Thracias & Illyricum ſæva depopulatione vaſtabat, omnia caſtella, & civitates in ſervitutem redigens, præter Adrianopolim, & Heracleam, quæ quondam Perinthus vocabatur. *Cogitur ergo Theodoſius legationem Attilæ mittere* (inquit Paulus Diaconus in hiſtoria Miſcella lib.14.) *& ſex millia librarum ei pro receſſu præbens, mille librarum annuum tributum perſolvere pollicetur*: & mox lib.15. *Interim Rex* (*a*) *Hunnorum Attila, dum cum fratre Bleba regnum intra Pannoniam Daciamque gereret, Macedoniam, Moeſiamque, & Achajam, utraſque etiam Thra-*

XIII. Attila Hunnorum Rex Gothos ſuo ſubjecit imperio.

a Rex *Hunnorum Attila*. Priſcus Rhetor & Sophiſta in excerptis de Legationibus, quæ hic de Attila narrantur, fuſius exequitur edit. Pariſ. pag.3. & ſeqq. & in hiſtor. Gothica edit. Pariſ. pag.47. & ſeq.

Digitized by Google

Thracias immaniſſima rabie, ut dictum eſt, davaſtaret, Blebam germanum ſuum, regnique conſortem peremit, ejuſque ſibi parere populos compulit. Fultus itaque fortiſſimarum gentium, quas ſibi ſubjugaverat, præſidio, ad occidentale demoliendum Imperium animum intendit, cujus exercitus (a) *ſeptingentorum millium numero ferebatur*. Et poſt pauca. *Erant ſiquidem ejus ſubjecti dominio Rex ille Gepidarum famoſiſſimus Ardaricus, Walamir etiam Gothorum regnator: fortiſſimæ etiam gentes, Marcomanni, Suevi, Quadi: præterea Heruli, Turcilingi, ſive Rugi, cum propriis Regulis, aliæque præter hos barbaræ nationes in finibus Aquilonis commanentes*. Horum omnium Attila ſuperbus imperio, prævidens, non ſibi fore tutum, ſi Gothi, qui intra Gallias morabantur, Romanis jungerentur auxilio, amicum ſe Gothis ſimulans, adverſum Aurelianos urbem concitus pergit, Regem Viſigothorum ſolicitare niſus, ut pariter cum eo Romanum invadens imperium, æqua ſorte poſſideret. Ad Valentinianum vero Imperatorem legatione miſſa, pacem ſimulat, ad ulciſcendos Romanos de Gothis, & reſtituendas Reip. Gallias & Hiſpanias pergere ſe doloſe denunciat. Sed Imperatorem doli ejus minime latuerunt. Itaque celerrime Theodoricum Viſigothorum Regem per Aëtium Patricium conveniens, in ſuæ partis favorem traxit, atque cum eodem Patricio contra Attilam, poſt vaſtatam fere omnem Galliam, Aurelianos jam obſidentem direxit. Nec mora congregatis undique bellatoribus Aëtius cum Rege Theodorico, & ejus filio Thoriſmundo, obviam Hunnis fortiſſime pergit. Ubi conſerta pugna, vicere Romani, fugato Attila, & Gothorum Rege interfecto. Attila vero continuo cruentus Italiam petit. Aquilejam captam funditus evertit; Ticinum & Mediolanum excidit. Inde vaſtatis circumquaque locis, quum Romam quoque pararet irrumpere, Leo magnus Pontifex ad eum acceſſit, eumque adeo mitem reddidit, ut illico promiſſa pace firmiſſima, ultra Danubium, relicta Italia, Pannonias repeteret, ubi continuo rebus humanis (b) exceſſit; Marciano tunc imperante. Jornandes cap. 49. *De quo id acceſſit mirabile, ut Marciano Principi Orientis de tam feroci hoſte ſollicito, in ſomnis Divinitas adſiſtens, arcum Attilæ in eadem nocte*

a Jornand. cap. 35. *quingentorum millium*.

b Attilæ interitus ad ann. Chr 454. ponitur a Marcellino quem ſequitur Baronius. At Caſſiodorus & Proſper in Chronicis eum mortuum ſcribunt ann. 453. Pagius ad ann. 454. num. 8.

Digitized by Google

ctæ fractum oſtenderet, quaſi quod gens ipſa eo telo præſumebat.

XIV. Poſt Attilæ mortem Gothi a Marciano Imp. diverſas ſedes obtinent in Pannonia, Dacia, & in parte Illyrici.

Attila mortuo, contentione inter innumeros ejus filios de ſucceſſione orta, Ardaricus Gepidarum Rex filium Attilæ Ellac in prælio interficit, reliquos filios ad Ponticum uſque mare fugat. Marcianus vero Imperator variis Gothis & Gepidis diverſas ſedes concedit. *Nam Gepidæ* (Jornand. cap. 50.) *Hunnorum ſibi ſedes viribus vendicantes, totius Daciæ* (a) *fines, velut victores potiti, nihil aliud a Romano Imperio, niſi pacem, & annua ſolemnia, ut ſtrenui viri, amica pactione poſtulavere. Quod & libens tunc annuit Imperator, & uſque nunc* (b) *conſuetum donum eſt. Gothi vero cernentes Gepidas Hunnorum ſedes ſibi defendere, Hunnorumque populum ſuas antiquas ſedes occupare, maluerunt a Romano regno terras petere, quam cum diſcrimine ſuo invadere alienas, accipientes Pannoniam, quæ in longa porrecta planitie habet ab Oriente Moeſiam ſuperiorem, a Meridie Dalmatiam, ab Occaſu Noricum, a Septentrione Danubium. Sauromatæ vero, quos Sarmatas diximus, & Cemandri, & quidam ex Hunnis, in parte Illyrici ad caſtrum Martenam ſedes ſibi datas coluere. Ex quo genere fuit Blivilas Dux Pentapolitanus, ejusque germanus, Froilas, & noſtri temporis Beſſa Patricius. Sciri vero, & Satagarii, & cæteri Alanorum cum Duce ſuo, nomine Candax, Scythiam minorem, inferioremque Moeſiam accepere. Cujus Candacis Alanowamuthis patris mei genitor Peria, id eſt, meus avus, notarius, quouſque Candax ipſe viveret, fuit; ejuſque germanæ filius Gunthigis, qui & Baza dicebatur, Magiſter militum, filius Andagis, filii Andalæ, de proſapia Amalorum deſcendens. Ego item, quamvis agrammatus, Jornandes, ante converſionem meam Notarius fui. Rugi vero aliæque nationes nonnullæ, Bizim & Arcadiopolim, ut incolent, petivere. Hernac quoque junior Attilæ filius, cum ſuis in extremo minoris Scytiæ ſedes delegit; Emmedzur, & Ultzindur conſanguinei ejus in Dacia Ripenſi. Uto, & Iſoalmus, qui ea potiti ſunt, multique Hunnorum paſſim proruentes, tunc ſe in Romaniam dederunt.* Et cap. 51. *Erant ſiquidem & alii Gothi, qui dicuntur minores, populus immenſus, cum ſuo Pontifice, ipſoque Primate Vulſila, qui eos dicitur & literis inſti-*

a *Daciæ* Hodie *Tranſilvania* appellatur. Pagius ann. 454. num. IX.

b i: e: uſque ad ann. 552. quod Jurnandes librum illum elucrubravit. Pagius anno 454. num. IX.

ſtituiſſe, hodieque ſunt in Moeſia regione incolentes Nicopolitanam. Ad pedes Hæmi montis gens multa ſedit pauper & imbellis, nihil abundans, niſi armento diverſi generis pecorum, & paſcuis, ſilvaque lignorum, parum habens tritici, cæterarum ſpecierum eſt terra fœcunda. Pergit deſcribens cap. 52. varias Oſtrogothorum poſt Attilæ mortem ſedes in Pannonia, atque, ut Attilæ filios irruentes propulſarint in eas Scytiæ partes, quas Danubii amnis fluenta prætermeant, quæ lingua ſua *Hunnivar*. ideſt, trajectum Hunnorum appellant. Quum autem iidem Oſtrogothi, quibus Rex Valemir ejuſque germani Theodemir & Widemir imperabant, viderent Theodericum Triarii filium, genere quidem Gothum, alia tamen ſtirpe, non Amala procreatum, omnino florentem cum ſuis, Romanorumque amicitiis junctum, & annua ſolennia a Marciano Imperatore conſequentem, & ſe tantum deſpici; *illico furore commoti, arma arripiunt, & Illyricum pene totum diſcurrentes, in prædam devaſtant. Sed ſtatim Imperator animo mutato, ad priſtinam recurrit amicitiam; miſſaque legatione, tam præterita cum inſtantibus munera tribuit, quam etiam de futuro ſine aliqua controverſia tribuere compromittit, paciſque obſidem ab eis Theodericum infantulum Theodemiri Regis accepit: qui jam annorum ſeptem incrementa conſcendens, octavum intraverat annum*.

XV. Gothorum prælia cum Hunnis, Svevis, Sciris, Sarmatis, ſub Leone Imp. & quomodo præter Pannonias, multa etiam in Illyrico loca occuparunt: ſed Theodorico eorum Rege in Italiam migrante, Il-

Sicque pax firma inter Romanos & Gothos manſit, Leone Imperium capeſſente, cui Theodericus obſes datus fuerat. Interim Gothi videntes non ſibi ſufficere ea, quæ ab Imperatore accipiebant, ſolatia, in Satagas, qui interiorem Pannoniam poſſidebant, arma movent; Hunnos autem, qui Duce (*a*) Dinzione Attilæ filio, fines Pannoniæ prædari cæperant, ſic propulſant, ut jam ex illo tempore qui remanſerant Hunni, & uſque (*b*) hactenus, Gothorum arma formident. Quieſcente vero tandem Hun-

a In Chronico Paſchali ad ann. xi. Leonis Imp. Ind. vi. „ Dinzirichus Attilæ filius ab Anagaſto magiſtro militum Thraciæ cæſus eſt, cujus caput allatum eſt Conſtantinopolim, dum Circenſes agerentur, & per mediam urbis plateam traductum, & „ ad xylocircum delatum, paloque infixum eſt „. De Attilæ filiis, *Dengiſik*, *Irnac*, & aliis Priſcus in excerptis de Legationibus a pag. 44. edit. Pariſ.

b Ideſt, uſque ad annum, quo Jornandes ſuam terminavit hiſtoriam de rebus Geticis: terminavit autem anno 552. quum Beliſarius Witigim Gothorum Regem victum, cum Mathaſventa uxore, regiiſque opibus, Conſtantinopolim ad Juſtinianum perduxit. „ Et ſic famoſiſſimum Regnum (ut idem Jornandes cap. 69. inquit) fortiſſimamque „ gentem, diuque regnantem, tandem deinde milleſimo & trecenteſimo (al: *trigeſimo*) „ anno victor gentium diverſarum Juſtinianus Imperator per fideliſſimum Conſulem vicit Beliſarium.

Digitized by Google

Hunnorum gente a Gothis, dum Hunnimundus Svevorum Dux ad prædandas Dalmatias tranſit, & armenta Gothorum in campis errantia prædatur (quia Dalmatiis Svevia vicina erat, nec a Pannoniis multum diſtabat, præſertim ubi tunc Gothi reſidebant:) Hunnimundo cum Svevis, vaſtatis Dalmatiis, ad ſua revertente, Theodemirus germanus Valemiri Regis Gothorum, ſic vigilavit in eorum tranſitu, ut intempeſta nocte dormientes invaderet ad locum Pelſodis, conſertoque inopinato prælio ita eos oppreſſit, ut etiam ipſo Rege Hunnimundo capto, omnem exercitum ejus: qui gladium evaſiſſet, Gothorum ſubderet ſervituti. Sed poſtea reconciliatus cum Svevis, eundem quem ceperat, adoptans ſibi filium, remiſit cum ſuis in Sveviam. Is vero immemor paternæ gratiæ, Scirorum gentem incitavit, qui tunc ſupra Danubium conſidebant, & cum Gothis pacifice morabantur, quatenus ſciſſi ab eorum fœdere, ſecumque juncti, in arma proſilirent, gentemque Gothorum invaderent. Tunc Gothi coacti neceſſitate, ad arma confugiunt: in eo tamen prælio Rex eorum Walemir ex quo dejectus, lanceiſque hoſtium confoſſus interiit. Gothi vero tam Regis ſui mortem, quam ſuam injuriam a rebellibus exigentes, ita ſunt præliati, ut pene de gente Scirorum nemo remanſerit: quorum exitium Svevorum Reges Hunnimundus & Alaricus verit, freti auxilio Sarmatarum, qui cum Beuga & Babai Regibus ſuis auxiliarii adveniſſent, ipſaſque Scirorum reliquias cum Edica & Wlfo eorum primatibus, habuerunt ſimul ſecum tam Gepidas, quam ex genere Rugorum non paucas copias, cæteriſque hinc inde collectis, ingentem multitudinem aggregantes, ad amnem Bolliam in Pannoniis caſtrametati ſunt. Gothi tunc Walemire defuncto, ad Theodemir confugerunt: qui Widemire fratre juniore accito, ad arma proſiliens, conſerto prælio, ſuperior evaſit, adeo ut campus inimicorum corruentium cruore madefactus, ut rubrum pelagus, appareret: de innumera vero multitudine eorum, qui valuerunt evadere, effugati vix ad ſua pervenerunt. Poſt certum vero tempus, inſtante hiemali frigore, amneque Danubio ſolite congelato, Theodemir Gothorum Rex pedeſtrem ducit exercitum, emeſoque Danubio, Svevis improviſus a tergo apparuit, & tam Svevorum gentem, quam Alemannorum, qui Svevis juncti erant, vaſtavit, & pene ſubegit. Inde quoque victor, ad proprias ſedes, ideſt, Pannonias, revertens, Theodericum filium ſuum, quem Conſtantinopoli obſidem de-

lyricum ad poteſta tem Romanorum rediit.

derat, a Leone Imperatore remiſſum cum magnis muneribus excepit: qui Theodericus octavum decimum agens annum, adſcit is ſatellitibus patris & militibus ad ſex millia, cum iis, inſcio patre, emenſo Danubio, ſuper Babai Sarmatarum Rege diſcurrit, qui tunc de Camundo Duce Romanorum victoria potitus, ſuperbiæ tumore regnabat, eumque ſuperveniens Theodericus interemit, familiamque & cenſum deprædans, ad patrem cum victoria repedavit: Singidunum dehinc civitatem, quam ipſi Sarmatæ occupaverant, invadens, non Romanis reddidit, ſed ſuæ ſubdidit ditioni. At Gothi pertæſi pacis, ad Regem Theodemirum accedentes, orant, quacumque parte vellet, ductaret exercitum. Xheodemirus fratrem Widemirum in partem Italiæ mittit, ubi tunc Glycerius regnabat Imperator; ipſe vero Orientale Imperium invadit. Widemirus mox ut Italiæ fines attigit, excedens rebus humanis, filium ſynonymum: ſucceſſorem regni reliquit: quem Glycerius Imperator muneribus datis, de Italia ad Gallias tranſtulit. Theodemirus autem cum ſuis tranſit Saum amnem, Sarmatis militibuſque interminans bellum, ſiquis ei obſtaret: inde Naiſſum primam urbem invadit Illyrici, filioque ſuo Theoderico conſociatus, comites per caſtrum Herculis tranſmittit Ulpianam, qua in deditionem accepta, nonnulla loca Illyrici inacceſſibilia ſibi tunc primum pervia faciunt. Nam Heracliam & Lariſſam civitates Theſſaliæ, primum præda capta, jure bellico potiuntur. Theodemir vero egrediens Naiſitanam urbem, paucis ad cuſtodiam derelictis, ipſe Theſſalonicam petiit. Sed Hilarianus Patricius,qui a Principe directus ibi cum exercitu morabatur, miſſa legatione ad Theodemir Regem, muneribuſque oblatis, ab excidio eum urbis retorquet. Initoque fœdere, Romanus ductor cum Gothis, loca eis jam ſponte quæ incolerent, tradidit, id eſt, Cerapallas, Ecopam, Medianam, Petinam, Beream, & alia quæ *Suith* vocantur: ubi Gothi cum Rege ſuo armis depoſitis, compoſita pace quieſcunt. Nec diu poſt Rex Theodemirus obiit. Theodericum vero genti ſuo Regem ordinatum audiens Imperator Zeno, Conſtantinopolim (*a*) evocatum, in filium adoptat, Conſulatu & equeſtri ſtatua donatum. At ille Zenonis Imperio fœdere ſociatus, dum ipſe in urbe bonis omnibus frueretur, gentemque ſuam in Illyrico, ut dictum eſt, reſiden-

a Apud Jornandem c. 57. dicitur Theodericus „ Oſtrogothorum Rex a Zenone „ Imp. Romam evocatus „ ; Utique in Romam novam, non in ſeniorem.

dentem, non omnino idoneam aut refertam audiret, elegit potius ſolito more gentis ſuæ labore quærere victum, quam ipſe otioſe frui regni Romani bonis, & gentem ſuam mediocriter victitare. Quare petita obtentaque a Zenone venia, in Italiam cum Gothis ſuis pergens, tertio ingreſſus ſui in Italiam anno, Odoacre victo interfectoque, privatum habitum gentiſque ſuæ veſtitum deponens, Zenone conſulto, inſignia regia, quaſi jam Gothorum Romanorumque Rex, aſſumpſit.

XVI. Hunni & Gothi a Theodoſio Jun. uſque ad Zenonem, in Dalmatiam quidem & Illyricum excurſiones fecerunt; non tamen eas provincias poſſederunt.

Hactenus ex Jornande de Gothis a Theodoſio Juniore, uſque ad Zenonis Imperatoris & Theoderici Regis tempora: ſub quibus, ut dictum eſt, tam Hunni, quam Gothi, ad Illyricum & Dalmatiam quod ſpectat, excurſiones quidem feciſſe dicuntur, non tamen regiones illas poſſediſſe, quæ Romanis ſemper paruerunt Imperatoribus: adeo ut Zonara teſte edit. Pariſ. pag. 46. Marcianus Imperator ubi primum inauguratus eſt, *Tatianum Præfectum urbi creaſſe, ac Julio Illyricam provinciam tradidiſſe* legatur: Glycerius autem Occidentis Imperator, a Nepote, poſt quintum Imperii annum, exturbatus, Ἐπίσκοπος Ῥωμαίων ἐς Σαλῶνας πόλιν Δαλματίας, *Romanorum Epiſcopus apud Salonas Dalmatiæ urbem ſit deſignatus*, Evagrio teſte lib. 2. hiſt. Eccl. cap. 16. qui addit lib. 3. cap. 2. eodem Zenone Imperium ineunte, *multitudinem Hunnorum, qui olim vocabantur Maſſagetæ, in Thraciam incurſionem feciſſe, & Danubium trajeciſſe, nemine prohibente*. Hoc ipſum narrat Cedrenus edit. Pariſ. pag. 351. *Hujus primo anno, ipſis imperii ejus principiis, in Meſopotamiam Saraceni, in Thraciam Hunni incurſiones fecerunt, quum peſſime Rempublicam Imperator ille corrumperet, voluptatibuſque & rebus abſurdis eſſet deditus.*

XVII. Murus longus ab Anaſtaſio Imp. extructus ad arcendas Barbarorum excurſiones.

Ob iſtas Barbarorum incurſiones, compulſus eſt Anaſtaſius Imperator, qui poſt Zenonem Orientale Imperium tenuit, *Murum*, ut vocant, *Longum* in Thracia ædificare: de quo Evagrius lib. 3. cap. 38. *Idem porro Imperator opus plane ampliſſimum, & cum primis memorabile ædificavit, quod* μακρὸν τεῖχος, *Longus Murus appellatur, in Thracia in loco commodo ſitum: quod abeſt Conſtantinopoli ad ſummum ducentis & octoginta ſtadiis. Mare utrumque complectitur ad* (a) *quadringenta & viginti ſtadia, inſtar freti cujuſdam, & urbem ferme inſulam pro peninſula efficit:*

a Ἐπὶ σταδίους εἴκοσι καὶ τετρακοσίους. Male in Chriſtophorſoni editione *ad quadraginta & viginti ſtadia*.

eſt: tranſportatque eos quibus libitum eſt navigare, a Ponto ad Propontidem & mare Thracicum cum ſumma ſecuritate: barbaros denique, qui ex Ponto Euxino, & Colchide, & Mæotide palude, excurſiones faciunt, quique ex locis ultra Caucaſum, & qui ex Europa erumpunt, arcet repellitque. Zonaras in Anaſtaſio pag. 58. edit. Pariſ. *Idem Anaſtaſius Longum Murum condidit a magno mari ad Selybriam uſque pertingentem, ob Myſorum ſive Bulgarorum, & Scytarum incurſiones.* Nam præter Hunnos, qui cauſam Muri Longi extruendi Anaſtaſio dederunt, Bulgari etiam, eo regnante, primum in Thraciam irruperunt: de quibus idem Zonaras pag. 55. *Circa hæc tempora fertur gens Bulgarorum ignota prius, in Illyricum & Thraciam impreſſionem feciſſe.* Et mox pag. 5. *Quum Bulgari denuo in Illyricum impreſſionem feciſſent, quidam ex Romanis Tribunis ſe illis cum ſuis legionibus oppoſuerunt, turpiterque victi ſunt, ac paucis exceptis, cæſi omnes, quum illi quibuſdam incantationibus & præſtigiis uſi eſſent.* De Bulgaris poſtea ſermo erit. Hic tamen notandum eorum mentionem longe ante hæc tempora fieri apud Paulum Diaconum, qui lib. 1. de Geſtis Langobardor. cap. 16. ſcribit, quomodo Bulgares noctu ſuper caſtra Langobardorum irruentes, Agelmundum primum eorum Regem interfecerunt, & filium ejus captivum duxerunt: & cap. ſeq. narrat, quomodo Lamiſſio ſecundus Rex effectus eſt, & Bulgaros ſuperavit. Id factum oportet circa ann. 400. nam ſub Gedeoch, quinto Langobardorum Rege, refertur commiſſum inter Odoacrem & Feletheum prælium, quod ad ann. Chr. 487. conſignatur.

XVIII. Locus Cedreni expenditur de Hunno Illyrici, & Gepida Sirmii Regibus.

Quæ ſub Juſtiniano a Gothis geſta ſunt ex Procopio ſupra enarravimus cap. 6. num. x. pag. 326. Hoc imperante, ſi Cedreno fides eſt adhibenda, audiri primum cœpit Hunnorum in Illyrico Rex: ſic enim Cedrenus ſcribit pag. 371. *Anno duodecimo* (Juſtiniani) *Bulgari in Myſiam eruperunt, agroque vaſtato milites interfecerunt. Hoc quum inaudiviſſet*, ὁ τοῦ Ἰλλυρικοῦ βασιλεὺς Ἄκουμ ὁ Οὖννος, *Acumus Hunnus Illyrici Rex, contra eos cum copiis egreſſus, Romanorum ſe exercitui conjunxit, magnamque Bulgarorum ſtragem edidit. Victorem inde ſecurum alii Bulgari adorti ſunt, magnaque cæde affecerunt: capitibuſque, & ipſo Acumi potiti, in ſuam reverſi ſunt ditionem.* Et mox. *Anno decimo tertio Romanis ſe conjunxit Mundus Gepida natione, filius Hieſmi*, ῥὴξ τοῦ Σιρμίου, *Rex Sirmii. Quem Imperator humaniſſime cum filio ejus*

ejus tractatum, ποιησας τε ἀυτὸν στρατηλάτην τοῦ Ἰλλυρικοῦ, *Illyricoque præfectum, dimiſit. Ei in Illyricum venienti multitudo Bulgarorum occurrit, quos ille devicit, melioremque captivorum partem Conſtantinopolim miſit: qui ab Imperatore per Armeniam, Lazicam, & alias regiones ſunt diſperſi. Exinde alta pax in Thracia fuit, quum porro Hunni Danubium tranſire non auderent.* Hæc Cedrenus. Verum Theophanes, ex quo Cedrenus iſta hauſit, *Magiſtrum militiæ per Illyricum* vocat quem Cedrenus *Regis* titulo inepte exornat. Sic autem ſcribit in Chronographia ad annum Juſtiniani 12. *Hoc anno Bulgari Reges duo cum Bulgarorum innumera multitudine & Drungo in Scythiam & Myſiam, militiæ Magiſtrum in Myſia Juſtino; & in Scythia Baudario agente, arma moverunt. Iſti Bulgaris in adverſum progreſſi, commiſerunt prælium, in quo Juſtinus militiæ Magiſter cecidit, in cujus locum Conſtantinus Florentii filius ſuffectus eſt: & ad partes uſque Thraciæ irruperunt Bulgari. In eos autem Acum, patria Hunnus, quem e ſacro fonte ſuſcepit Imperator, per Illyricum militiæ Magiſter, expeditionem ſuſcepit. Igitur Romani Bulgaros undique ſuis copiis intercluſos ferro cædentes, innumeram ex eis multitudinem proſtraverunt, prædam omnem abegerunt, ſublatiſque Regibus eorum duobus, præclaram ſua virtute tulerunt victoriam. E pugna revertentibus ac lætis alii Bulgari occurrerunt, & Conſtantinum, Acum, & Godillam fugientes, ſoco velut reſte interceperunt. Godillas quidem ſoco ſica opera reſciſſo effugit: Conſtantinus autem cum Acum vivus comprehenſus eſt. Conſtantinus certe nummorum mille pretio redemptus, Conſtantinopolim rediit: Acumo vero retento cum cæteris captivis, ad proprios lares remeaverunt.* Et ad annum XII. *Hoc anno Mundus e Gepedibus ſuum genus trahens, Gieſmi filius, qui poſt patris obitum ad avunculum ex matre Sirmii Regem, acceſſit, in Romanorum partes tranſiit. Eo cognito, Romæ Rex Theudericus Legatos ad eum miſit; quorum verbis ille ſuaſus, ad Theudericum profectus, cum eo moratus eſt, armorum ejus ſocius factus. Theuderico fatis functo, ad Danubium flumen venit, & ab Imperatore Juſtiniano Imperii ſubditum ſe deinceps haberi poſtulavit. Quin etiam Conſtantinopolim acceſſit, quem Imperator unacum filio maximis muneribus donatum, & Illyrici magiſtrum militiæ renunciatum, a ſe demiſit. Illyricum verſus iter agenti, & jam proximo, Bulgarorum manus innumera præcluſit iter: ipſe nihilominus viam ferro aperuit, & irruens in adver-*

ver-

verſos, delevit omnes. Selectos vero ex captivis Duces cum aliis pluribus Conſtantinopolim miſit, quos publicis affectos ludibriis per circum traduxerunt. Exinde profunda pax per Thraciam acta, Unnis Danubium trajicere nuſquam amplius auſis. Porro Bulgarorum captivos in Armeniam & Lazicen miſit Imperator, & in militares numeros retulit. Ex his colligitur primo, per Scythiam, Myſiam, & Illyricum, anno Chr. 538. & 539. hoc eſt Juſtiniani 12. & 13. magiſtros militum ab eodem Imperatore creatos fuiſſe Bandurium, Juſtinum, & Acumum: Juſtino autem cæſo, & Acumo in captivitatem abducto, ſubrogatos Conſtantinum, & Mundum: adeoque a Cedreno Acumum perperam vocari *Illyrici Regem*, quum Illyrici tantum magiſter militum eſſet. Secundo per eadem tempora non in Scythia, neque in Myſia, aut Illyrico, ſed Sirmii in Pannonia Gepidis regem præfuiſſe, Mundi antedicti ex matre avunculum. Tertio, Bulgaros, qui eo tempore in Scythiam, Myſiam, & Illyricum irruperant, a Theophane, Cedreno, aliiſque, in cenſu Hunnorum, hoc eſt, Sclavorum, habitos fuiſſe: atque idcirco iis deletis, ait Theophanes: *Exinde profunda pax per Thraciam acta, Unnis Danubium trajicere nuſquam amplius auſis*. Auſi ſunt tamen paucis poſt annis uſque ad ſuburbana Byzantii progredi, nimirum anno Juſtiniani 32. Chr. 558. Theophane teſte: *Hoc etiam anno Unni & Sclavi cum maximis copiis in Thraciam irruentes, eam bello vaſtaverunt, multoſque homines vel occiderunt, vel in captivitatem abduxerunt; ſed & Sergium militiæ magiſtum Bacchi ſenioris filium, & Ederman Ducem, Calepadii clariſſimi Cubicularii & Præpoſiti filium ceperunt. Quumque partes quaſdam muri Anaſtaſiani terræmotibus collapſas reperiſſent, per eas ingreſſi, in poteſtatem ſuam redegerunt loca ad Drypiam, Nimphas, & Chittus ſita*. Cætera vide ſupra cap. 2. num. 5. pag. 206. Finis: *His auditis barbari, miſſis Legatis, petiverunt, ut ſibi redditus tuto permitteretur, & Danubium trajicerent. Miſit ergo Imperator Juſtinum nepotem ſuum & Curopalatem, eoſque dimiſit incolumes*.

CA-

CAPUT IX.

Slavi & Abares in Dalmatia, Illyrico, & Pannonia a Juſtiniani temporibus uſque ad Heraclium Imperatorem.

I. Abares Hunni a Juſtiniano Imp. in Myſiæ Scythiæque partibus ſedes obtinent.

AD ea nunc tempora devenimus, quibus *Abares* a Juſtiniano poſtularunt ſedes ſibi in Scythiæ Myſiæque partibus concedi. Theophanes ad annum Juſtiniani 31. (h. e. Ch. 557.) „ Sub idem tempus gens prorſus inſolens atque incognita, τῶν „ λεγομένων Ἀβάρων, Abares ei nomen, Conſtantinopolim ad- „ venit: & ad ejus ſpectaculum, quo nuſquam viſi fuiſſent hu- „ jus formæ homines, cuncta urbs effuſa eſt. Comas ſiquidem „ a tergo longas admodum tæniis revinctas & implexas geſta- „ bat: reliquus licet habitus Unnico ſimillimus conſpiceretur. „ Illi porro relicta patria regione, in Scythiæ Myſiæque partes „ ſe conferentes, ut humanius in iis provinciis admitterentur, „ ad Juſtinianum Legatos deſtinaverunt.

II. Hunnicæ gentes, Abares, Sabiri, Saraguri, Oguri, Unoguri, Acatiri.

Primus, qui *Abarum* mentionem fecerit, Priſcus eſt Rhetor, qui Theodoſii junioris ad Attilam Hunnorum Regem Legatus fuit. Is ſiquidem in excerptis Hiſtoriæ pag. 43. edit. Pariſ. de legatis ad Imperatorem Conſtantinopolim miſſis hæc ſcribit. *Circa id tempus legatos ad orientales Romanos miſerunt*, Σαράγουροι, ϗ Οὔρωγοι, ϗ Οὐρόγουροι, ἔθνη ἐξαναστάντα ἐκ τῶν οἰκείων ἐθνῶν, Σαβίρων ἐς μάχην σφίσιν ἐληλυθότων, οὓς ἐξήλασαν Ἄβαροι, μετανάστας γενόμενοι ὑπὸ ἐθνῶν οἰκούντων μὲν τὴν παρωκεανῖτιν αὐτὴν, ὥσπερ ϗ οἱ Σαράγουροι, ἐλαθέντες κατὰ ζήτησιν γῆς, πρὸς τοῖς Ἀκατίροις Οὔννοις ἐγένοντο, ϗ μάχας πρὸς ἐκείνους πολλὰς συστησάμενοι, τό τε φῦλον κατηγωνίσαντο, ϗ πρὸς Ῥωμαίους ἀφίκοντο τυχεῖν τῶν αὐτῶν βουλόμενοι ἐπιτηδειότητος: „ Saraguri, Urogi, & Hunoguri. Hæ gentes propriis ſedibus ejectæ, commiſſa pugna cum Sabiris, quos expulerant Abari, & ipſi quoque „ extorres facti a populis citeriorem oram maris Oceani habitantibus, quemadmodum & Saraguri, ad novarum ſedium comparationem erumpentes, Hunnos Acatiros adorti erant, & „ conjunctis viribus, multis præliis initis, gentem devicerant, „ & demum ad Romanos nanciſcendæ eorum ſocietatis cupidi, „ ſe contulerunt. Itaque Imperator Legatos benigne excepit, „ & muneribus affectos remiſit „. Hunnicæ omnes, quæ hic commemorantur, gentes ſed diverſis Ducibus ſeu Principibus

verſos, delevit omnes. Selectos vero ex captivis Duces cum aliis pluribus Conſtantinopolim miſit, quos publicis affectos ludibriis per circum traduxerunt. Exinde profunda pax per Thraciam acta, Unnis Danubium trajicere nuſquam amplius auſis. Porro Bulgarorum captivos in Armeniam & Lazicen miſit Imperator, & in militares numeros retulit. Ex his colligitur primo, per Scythiam, Myſiam, & Illyricum, anno Chr. 538. & 539. hoc eſt Juſtiniani 12. & 13. magiſtros militum ab eodem Imperatore creatos fuiſſe Bandurium, Juſtinum, & Acumum: Juſtino autem cæſo, & Acumo in captivitatem abducto, ſubrogatos Conſtantinum, & Mundum: adeoque a Cedreno Acumum perperam vocari *Illyrici Regem*, quum Illyrici tantum magiſter militum eſſet. Secundo per eadem tempora non in Scythia, neque in Myſia, aut Illyrico, ſed Sirmii in Pannonia Gepidis regem præfuiſſe, Mundi antedicti ex matre avunculum. Tertio, Bulgaros, qui eo tempore in Scythiam, Myſiam, & Illyricum irruperant, a Theophane, Cedreno, aliiſque, in cenſu Hunnorum, hoc eſt, Sclavorum, habitos fuiſſe: atque idcirco iis deletis, ait Theophanes: *Exinde profunda pax per Thraciam acta, Unnis Danubium trajicere nuſquam amplius auſis.* Auſi ſunt tamen paucis poſt annis uſque ad ſuburbana Byzantii progredi, nimirum anno Juſtiniani 32. Chr. 558. Theophane teſte: *Hoc etiam anno Unni & Sclavi cum maximis copiis in Thraciam irruentes, eam bello vaſtaverunt, multoſque homines vel occiderunt, vel in captivitatem abduxerunt; ſed & Sergium militiæ magiſtum Bacchi ſenioris filium, & Ederman Ducem, Calepadii clariſſimi Cubicularii & Præpoſiti filium ceperunt. Quumque partes quaſdam muri Anaſtaſiani terræmotibus collapſas reperiſſent, per eas ingreſſi, in poteſtatem ſuam redegerunt loca ad Drypiam, Nimphas, & Chittus ſita.* Cætera vide ſupra cap. 2. num. 5. pag. 206. Finis: *His auditis barbari, miſſis Legatis, petiverunt, ut ſibi redditus tuto permitteretur, & Danubium trajicerent. Miſit ergo Imperator Juſtinum nepotem ſuum & Curopalatem, eoſque dimiſit incolumes.*

CA-

CAPUT IX.

Slavi & Abares in Dalmatia, Illyrico, & Pannonia a Juſtiniani temporibus uſque ad Heraclium Imperatorem.

I. Abares Hunni a Juſtiniano Imp. in Myſiæ Scythiæque partibus ſedes obtinent.

AD ea nunc tempora devenimus, quibus *Abares* a Juſtiniano poſtularunt ſedes ſibi in Scythiæ Myſiæque partibus concedi. Theophanes ad annum Juſtiniani 31. (h. e. Ch. 557.) „ Sub idem tempus gens prorſus inſolens atque incognita, τῶν „ λεγομένων Ἀβάρων, Abares ei nomen, Conſtantinopolim ad- „ venit: & ad ejus ſpectaculum, quo nuſquam viſi fuiſſent hu- „ jus formæ homines, cuncta urbs effuſa eſt. Comas ſiquidem „ a tergo longas admodum tæniis revinctas & implexas geſta- „ bat: reliquus licet habitus Unnico ſimillimus conſpiceretur. „ Illi porro relicta patria regione, in Scythiæ Myſiæque partes „ ſe conferentes, ut humanius in iis provinciis admitterentur, „ ad Juſtinianum Legatos deſtinaverunt.

II. Hunnicæ gentes, Abares, Sabiri, Saraguri, Oguri, Unoguri, Acatiri.

Primus, qui *Abarum* mentionem fecerit, Priſcus eſt Rhetor, qui Theodoſii junioris ad Attilam Hunnorum Regem Legatus fuit. Is ſiquidem in excerptis Hiſtoriæ pag. 43. edit. Pariſ. de legatis ad Imperatorem Conſtantinopolim miſſis hæc ſcribit. *Circa id tempus legatos ad orientales Romanos miſerunt*, Σαράγυροι, ϗ Οὔρωγοι, ϗ Οὐρόγυροι, ἤθη ἐξαναστα ἐκ τῶν οἰκείων ἐθνῶν, Σαβίρων ἐς μάχην σφίσιν ἐληλυθότων, οὓς ἐξήλασαν Ἄβαροι, μετανάσται γενόμενοι ὑπὸ ἐθνῶν οἰκούντων μὲν τὴν παρωκεανῖτιν αὐτὴν, ὥσπερ ϗ οἱ Σαράγυροι, ἐλαθέντες κατὰ ζήτησιν γῆς, πρὸς τοῖς Ἀκατίροις Οὔννοις ἐγένοντο, ϗ μάχας πρὸς ἐκείνους πολλὰς συστησάμενοι, τό τε φῦλον κατηγωνίσαντο, ϗ πρὸς Ῥωμαίους ἀφίκοντο τυχεῖν τὴν αὐτῶν βουλόμενοι ἐπιτηδειότητος: „ Saraguri, Uro- „ gi, & Hunoguri. Hæ gentes propriis ſedibus ejectæ, commiſ- „ ſa pugna cum Sabiris, quos expulerant Abari, & ipſi quoque „ extorres facti a populis citeriorem oram maris Oceani habitan- „ tibus, quemadmodum & Saraguri, ad novarum ſedium com- „ parationem erumpentes, Hunnos Acatiros adorti erant, & „ conjunctis viribus, multis præliis initis, gentem devicerant, „ & demum ad Romanos nanciſcendæ eorum ſocietatis cupidi, „ ſe contulerunt. Itaque Imperator Legatos benigne excepit, „ & muneribus affectos remiſit „. Hunnicæ omnes, quæ hic commemorantur, gentes ſed diverſis Ducibus ſeu Principibus

Digitized by Google

ſubjectæ. Nam de Sabiris hæc Procopius de bello Perſico lib. 2. cap. 29. ,, Apud Armenios Pharangi accolas, proxime Tzanicæ ,, fines, oritur fluvius Boas: qui dextra longiſſime procurrit, a ,, fonte modicus, & cuivis facile ſuperabilis ad id loci, ubi ad ,, dexteram quidem eſt Iberiæ limes; e regione vero extremus ,, Caucaſus. Ibi cum aliæ gentes ſedes habent, tum Alani, at- ,, que Abaſgi, veteres Chriſtianorum ac Romanorum amici: ,, Zechi præterea, poſtque hos Hunni cognomento Sabiri. *Et mox de Gubaze*: Ipſe cum omnibus Colchorum copiis extre- ,, mam Lazicæ oram petiit, ut in cuſtodiam anguſtiarum pro vi- ,, rili parte incumberet. Idem paulo ante Alanos, & Sabiros in ,, belli ſocietatem induxerat. Hi pacta mercede tercentum pon- ,, do auri ſpoponderant, ſe non modo Colchidem ab hoſtili ,, (*Perſarum*) injuria tutam ſervaturos cum Lazis, ſed Iberiam ,, etiam ita nudaturos incolis, ut nunquam in poſterum inde Per- ,, ſæ poſſent erumpere. *Et cap.* 30. Tum temporis Juſtinianus ,, Auguſtus pactam Sabiris pecuniam, & congiaria Gubazi La- ,, ziſque miſit. Saberi *&* Sapiri ,, aliis dicuntur. Stephanus & Orpheus gentem Ponticam eſſe ajunt; imo Scythiæ Aſiaticæ, ſi Menandro & Agathiæ credimus. *Sabinoros* vocat Suidas in dictione *Abares*, & eos dicit ab Abaribus expulſos. Idem Suidas *Saragurorum* meminit, & ait eſſe gentem Aſiaticam. Henricus Valeſius not. in Hiſtoriam Priſci Rhetoris pag. 206. ubi legitur, Ἀκατιζίρων ἔθνος, ipſe reponit, Ἀκαζίρων, & infra, Κατζίρων truncate: & pag. 40. Ἀκατζίρων. Sed Jordanes in hiſt. Gothica cap. 5. *Agaziros* nominat: gens eſt Scythica teſte Priſco. Cantoclarus not. in allatum Priſci locum: ,, Urogi, *inquit*, neſcio an ,, Ugori, qui & Ugri, & Ungari: nec enim alibi Urogororum ,, mentio, ſed Onogororum, & Hunnogororum, quos eoſdem ,, eſſe puto, Menander & Agathias meminerunt: & ille Tribum ,, Hunnicam, aut potius Turcicam eſſe ait ,,. Verum Menander ſeparat Ugoros ab Hunnoguris, quemadmodum & a Saraguris: adeoque etſi omnes Hunnici generis eſſent, tres tamen fuere Tribus ſub diverſis Ducibus, quæ commiſſo cum Sabiris bello, Hunnos Agaziros adortæ, eos devicerunt, quemadmodum idem ipſe Menander tradit.

III. Quid Evagrius de Abaribus corumque patria, unde

Evagrius hiſtor. Eccleſ. lib. 5. cap. 1. originem Abarum, primaque eorum ſub Juſtiniano irruptionem tradit. Sic enim ſcribit de Juſtiniani morbo, quum Juſtinum cognatum ſuum ad ſe ac-

accerſivit, ut conditionibus inter ipſum, & alterum Juſtinum Juſtiniani ex ſorore nepotem, quem Imperatorem declaraverat, pactis frueretur. „ Quin etiam Juſtinianus audacia & timidita„ te duobus vitiis contrariis, irretitus, primum Juſtinum cogna„ tum, virum in magna gloria apud omnes, tum ob rerum bel„ licarum uſum, tum ob alia ornamenta, jam circiter Danubium „ ideo commorantem, ut Abares, ne eo flumine trajecto in fines „ Romanorum irrumperent, prohiberet, ad ſe acccerſit. Ἔθνος „ δὲ σκυθικὸν οἱ Ἄβαροι τῶν ἁμαξοβίων, Iſti Abari ſunt ex gen„ te Scytharum, qui Hamaxobii dicuntur, quique agros ultra „ Caucaſum jacentes accolunt, oriundi. Qui Turcos vicinos ſuos, „ ab illis gravibus affecti incommodis, cum omnibus ſuis fugien„ tes, primum ad Boſporum venerunt: deinde litoribus Euxi„ ni Ponti relictis, (ubi multæ gentes barbaricæ habitabant illæ „ quidem, ſed urbes & caſtella a Romanis incolebantur, atque „ eo tum nonnulli milites rude donati adventaverant, tum co„ loniæ erant de Imperatorum ſententia deductæ :) recto itine„ re contenderunt, omnibus Barbaris, qui ante pedes erant uſ„ que eo expugnatis, quoad Danubii ad litora perveuirent; un„ de Legatos miſerunt ad Juſtinianum „ : anno ſcilicet Juſtiniani 31 uti ſupra ex Thophane didicimus. Eorumdem Abarum meminit rurſus Evagrius lib. 6. cap. 10. ſub Mauricio Imperatore, inquiens: „ His rebus ita conſtitutis, Abari bis uſque ad lo„ cum, qui Longus Murus appellatur, irruptione facta, Singi„ donem, Anchialum, totam Helladem, & alias præterea civi„ tates & arces expugnant, ſibique ſubjiciunt, omnibus rebus „ ferro & igne vaſtatis, idque quum multæ copiæ Romanorum „ in Oriente verſarentur „. Hæc Evagrius.

à Turcis ejecti, ad ripam Danubii conſederunt.

IV. *Alboinus Langobardorum Princeps pugnaturus cum Cunimundo Gepidarum Duce, fædus init cũ Abaribus, quorum nominis etymologia ex Paulo Diacono exponitur.*

Paulus autem Diaconus non modo plura de Abaris narrat, ſed nominis etiam etymologiam prodit. Sic enim ſcribit lib. 1. de geſtis Langobardorum cap. 37. „ Obiit interea Turiſendus Rex „ Gepidorum, cui ſucceſſit Cunimundus in Regno. Qui vindica„ re veteres Gepidorum injurias cupiens, rupto cum Langobar„ dis fœdere, bellum potius, quam pacem elegit. Alboin (*a*) „ vero (*Langobardorum Rex*) cum Avaribus, qui primum Hu„ ni,

a Procopio lib. 4. cap. 25. & 26. vocatur Αὐδουὶν ὁ λαγγοβαρδῶν ἄρχων, ſive ἡγούμενος, *Auduinus Langobardorum Princeps ſive Dux*. Verum alius eſt *Auduinus* pater, qui Langobardos anno 526. in Pannoniam ſibi a Juſtiniano conceſſam duxit, teſte Procopio lib. 3. cap. 33. & 34. alius *Alboinus* Auduini filius, de quo hic ſermo.

Digitized by Google

„ ni, poſtea a Regis proprii nomine Avares appellati ſunt, fœ-
„ dus perpetuum iniit, dehinc ad præparatum a Gedipis bellum
„ profectus eſt. Qui quum adverſus eum e diverſo properarent,
„ Avares, ut cum Alboin ſtatuerant, eorum patriam invaſerunt.
„ Triſtis ad Cunimundum nuncius veniens, invaſiſſe Avares ejus
„ terminos edicit. Qui proſtratus animo, & utriſque in anguſtiis
„ poſitus, hortatur tamen ſuos, primum cum Langobardis con-
„ fligere. Quos ſi ſuperare valerent, demum Hunnorum exer-
„ citum e patria pellerent. Committitur ergo prælium, pugna-
„ tumque eſt totis viribus. Langobardi victores effecti ſunt, tan-
„ ta in Gepidos ira ſævientes, ut eos ad internecionem uſque
„ delerent, atque ex copioſa multitudine vix nuncius ſupereſ-
„ ſet. In eo prælio Alboin Cunimundum occidit, caputque il-
„ lius ſublatum, ad bibendum ex eo proculum fecit. *Et poſt pau-*
„ *ca*. Tunc Langobardi tantam adepti ſunt prædam, ut jam ad
„ ampliſſimas pervenirent divitias. Gepidorum vero genus ita
„ eſt diminutum, ut ex illo jam tempore ultra non habuerint Re-
„ gem, ſed univerſi qui ſupereſſe bello poterant, aut Langobar-
„ dis ſubjecti ſunt, aut uſque hodie Hunis eorum patriam poſſi-
„ dentibus, duro imperio ſubjecti gemant.

V. Langobardi Abarorum fœderati, ab Alboino ad Narſetem Romanorum Ducem in Italiam adverſus Gothos miſſi.

Pergit Paulus Diaconus enarrans lib. 2. cap. 1. & ſeqq. quomodo Narſes, qui tunc Italiæ præerat, bellum adverſus Totilam Gothorum Regem præparans, quum jampridem Langobardos fœderatos haberet, Legatos ad Alboinum direxit, quatenus ei pugnaturo cum Gothis, auxilium miniſtraret; Alboinus vero electam e ſuis manum direxit, qui Romanis adverſum Gothos ſuffragium ferrent; qui per maris Adriatici ſinum in Italiam tranſvecti, ſociatique Romanis, pugnam inierunt cum Gothis: quibus uſque ad inrernicionem deletis, pariter cum Totila ſuo Rege, honorati multis muneribus, victores ad propria remearunt: imo a Narſete remiſſi ſunt in patriam, Valeriano ac Damiano nepoti ſuo eorumque copiis demandata cura, eos ad Romani Imperii limitem deducendi, ut in via ab injuria & maleficio temperarent, uti narrat Procopius lib. 4. cap. 33.

VI. Primum Langobardorum Gepidarumque in Pannonia prælium, ſub Auduino Alboini patre, ejuſque cauſa.

Geſta ſunt hæc anno Juſtiniani 26. h. e. Chriſti 552. adeoque everſi Gepidarum Regni Epocha, quam Sigebertus ad annum 547. Pagius vero ad ann. 551. Abbas autem Biclarienſis ad annum 571. conſignat; recte a Muratorio ad annum circiter Chriſti 567. collocatur: quam proinde Epocham anteceſſerit, oportet,

tet, altera Langobardorum cum Gepædibus commiſſa pugna, quam deſcribit Procopius lib. 4. de Bello Gothico cap. 25. his verbis. „ Quum Sclavenorum ingens multitudo, facta in Illy-
„ ricum irruptione, infanda perpetrarent, in eos Juſtinianus
„ Auguſtus miſit exercitum, cui, præter alios, Germani fi-
„ lii erant. Hi numero longe hoſtibus inferiores, obviam
„ illis obſiſtere non poterant; ſic autem ſubibant a tergo,
„ ut poſtremos carperent. Multis cæſis, nonnullos cepere vi-
„ vos, & ad Imperatorem miſerunt. Nihilo tamen minus graſ-
„ ſabantur hi Barbari. Fuit hæc populatio impendio diuturnior;
„ ita ut cadaveribus vias omnes conſtraverint, & cum infinita
„ captivorum multitudine, prædaque omni, quam cuncta va-
„ ſtando collegerant, domum redierint, nemine prohibente.
„ Neque enim ad Iſtri fluminis trajectum illis inſidias Romani
„ ſtruere, nec vim ullam afferre poterant: propterea quod a
„ Gepædibus excepti tranſvehebantur, pacto tranſmiſſionis pre-
„ tio non exiguo: quippe aureum ſtaterem unum pendebant in
„ capita. Ex eo anxius Imperator, quod jam illos inhibere non
„ poſſet, ſive fluvium Iſtrum tranſirent, Romanum direpturi
„ Imperium, ſive hinc repente excederent, hac de cauſa paciſci
„ cum Gepædibus cupiebat. Interea loci Gæpedes, & Lango-
„ bardi inter ſe bellum (*a*) reparabant. Tum Gepædes, non-
„ dum accepto nuncio jurati ab Auguſto cum Langobardis fœ-
„ deris, Romanorum vires veriti, ad eorum amicitiam & ſo-
„ cietatem aſpirabant enixe. Quamobrem miſſa confeſtim By-
„ zantium legatione, rogatus Imperator, ut cum ipſis quoque
„ fœdus pangeret, extemplo data fide illud percuſſit, idemque
„ Senatores duodecim jurejurando firmarunt, parentibus Lega-
„ tis. Haud multo poſt, quæ adverſum Gepædes Langobardi
„ ſociali jure poſtulabant, miſit auxilia Juſtinianus Auguſtus,
„ Gepædes inſimulans, quod in Romanorum perniciem, poſt
„ fœdus ictum, Sclavenorum agmen Iſtrum fluvium tranſpor-
„ taſſent. Copias illas ducebant Juſtinus, ac Juſtinianus, Ger-
„ ma-

a ***Bellum reparabant***. Pluries Gepædes inter, & Langobardos inſtructum fuiſſe bellum, auctor eſt Procopius lib. 3. cap. 34. & lib. 4. cap. 18. & Paulus Diaconus lib. 1. cap. 23. & cap. 27. qui cap. 21. cauſam prioris belli hanc fuiſſe ſcribit. *Irruit ſuper Tatonem Langobardorum Regem Wacbo filius germani ſui Zucbilonis, & eum ab hac luce privavit. Conflixit quoque adverſus Vuacbonem Hildecbis filius Tatonis; ſed ſuperante Vuacbone devictus, ad Hepidos confugit, ibique profugus ad vitæ finem uſque permanſit. Quam ob cauſam Gepidi cum Langobardis ex tunc inimicitias contraxere.*

Digitized by Google

,, mani filii, Aratius, & Suartuas, cui quidem antea Juſtinianus
,, Principatum Erulorum decreverat: is vero, ut in ſuperiori-
,, bus libris narravi, eorum qui ex inſula Thule venerant rebel-
,, lione pulſus, ad Imperatorem confugerat, ac ſubinde creatus
,, fuerat Magiſter militum in præſenti. E numero Ducum erat
,, Amalafridus vir Gothus, ex filia nepos Amalafridæ ſororis
,, Theodorici Regis Gothorum, & filius Hermenefridi Regis
,, Thoringorum. Hunc Amalafridum cum Vittige Byzantium
,, deportatum a Beliſario, Romanorum Ducem Imperator crea-
,, vit, & ſororem ejus (*a*) Auduino Langobardorum Regi col-
,, locavit. Illius exercitus nemo ad Langobardos pervenit, niſi
,, Amalafridus cum ſuis. Nam cæteri in Illyrico ad urbem Ul-
,, pianam Imperatoris juſſu conſtiterunt, ob incolarum ſeditio-
,, nem, ortam ex Chriſtianorum controverſiis de Religione, ut
,, referam in libris, quos de illis conſcribam. Ergo Langobar-
,, di cum omnibus copiis, & Amalafrido, Gepædum fines ingreſ-
,, ſi, factos ſibi obvios acerrimo fundunt prælio, eorumque, ut
,, perhibent, partem maximam cædunt. Tunc Auduinus Lan-
,, gobardorum Rex, quoſdam e ſuis aſſeclis Byzantium deſti-
,, nat, lætum cladis hoſtilis nuncium Juſtiniano Auguſto allatu-
,, ros, eum ſimul incuſans, quod non ex pacto fœderis affuiſſent
,, ipſius copiæ, quamvis nuper, (*ideſt anno 552.*) tot numero
,, Langobardi profecti eſſent, Narſeti in Totilam & Gothos mi-
,, litarem operam navaturi ,,. Hoc itaque Langobardos inter & Gepædes bellum commiſſum eſt paulo poſtquam Langobardi ab Alboino Auduini filio auxiliares Narſeti ſunt miſſi: hoc eſt, paulo poſt annum 552. quum adhuc ſtaret Gepædum regnum; ac proinde antequam Turiſendo Gepidorum Rege defuncto Cunimundus ſucceſſiſſet.

VII. Muratorii anachroniſmus circa Gepidarum & Langobardorum in Pannonia prælium.

Miror, Muratorium, accuratum cæteroquin cenſorem, non advertiſſe amanuenſium errorem in Procopio, qui hunc Langobardorum Regem cum Amalafrido de Gepidis triumphantem, *Auduinum* pro Alboino vocat; ſed magis miror anachroniſmum ipſius Muratorii, qui in not. ad lib. 1. cap. 23. Pauli Diaconi numer. 196. ubi narratur, ,, commiſſo Langobardos inter & Ge-
,, pædes prælio, dum ambæ acies fortiter dimicarent, & neutra
,, alteri cederet, contigiſſe, ut in ipſo certamine, Alboin filius
,, Au-

a *Rodelindam* ſignificat Auduini uxorem, & Alboini matrem. Paulus Diaconus, lib. 1. cap. 27.

„ Audoini, & Turiſmundus Turiſindi filius, ſibi obvii fierent, „ quem Alboin ſpata percutiens, de equo præcipitatum extin- „ xit: cernentes autem Gepidi Regis filium, per quem magna „ ex parte bellum conſtiterat, interiiſſe, mox diſſolutis animis „ fugam ineunt: quos Langobardi inſequentes, acriter ſternunt, „ cæſiſque quamplurimis, ad detrahenda occiſorum ſpolia re- „ vertantur: quumque peracta Langobardi victoria ad ſedes „ proprias remeaſſent, Regi ſuo Audoino ſuggerunt, ut ejus „ Alboin conviva fieret, cujus virtute in prælio victoriam ce- „ piſſent, ut qui patri in periculo, ita & in convivio comes eſ- „ ſet „. Miror, inquam, quod hunc Pauli Diaconi locum illuſtrans Muratorius, de iſta, quam Langobardi de Gepædibus retulere, victoria ſic ſcribit: *Imo pluries Gepædes inter & Langobardos inſtructum fuiſſe bellum, auctor eſt citatus Procopius lib.3. cap.34. & lib.4. cap.18. apud quem res geſtæ utriuſque gentis ante hanc Langobardorum victoriam hic in ſupplementum Pauli noſtri recenſendæ: eaque fortaſſe non alia fuit, quam quæ ab ipſo Procopio narratur lib.4. cap.25. cujus ab Auduino lætus nuncius Conſtantinopolim miſſus anno Belli Gothici* XVII. *æræ Chriſtianæ* 551. Atqui hæc victoria a Procopio lib.4. cap.25. narrata, non ab Auduino de Gepædibus reportata fuit, ſed a filio Alboino poſt Auduini patris mortem, & poſtquam idem Alboinus a Juſtiniano rogatus, lectam e ſuis Langobardis manum Narſeti contra Totilam & Gothos pugnaturo direxit, uti idem Procopius refert, & Paulus Diaconus lib.2. cap.1. confirmat: illa vero victoria, quæ a Paulo Diacono lib.1. cap.23. deſcribitur, vivente adhuc Auduino relata eſt, uti ex dictis conſtat. Doctum virum decepit *Auduini* nomen quod pro Alboino in textu Procopii obrepſit. Sed ad Abares Langobardis fœderatos redeo.

VIII. Langobardi ſub Alboino e Pannonia in Italiam migrantes anno 568. a Pannoniam amicis ſuis Hunnis Abaribus relinquunt.

Poſtquam Alboinum Auduino patri ſucceſſiſſe, regnumque Gepædum deleviſſe, atque Narſeti copias Langobardorum direxiſſe ſcripſiſſet Paulus Diaconus, de eodem e Pannonia, ubi Langobardi per annos 41. permanſerant, in Italiam properante hæc ſubjungit lib.2. cap.7. „ Tunc Alboin ſedes proprias, hoc „ eſt, Pannoniam, amicis ſuis Hunnis contribuit; eo ſcilicet „ ordine, ut ſi quo tempore Langobardis neceſſe eſſet reverti, „ ſua rurſus arva repeterent. Igitur Langobardi relicta Panno- „ nia, cum uxoribus & natis omnique ſupellectili Italiam pro- „ perant poſſeſſuri. Habitaverunt autem in Pannonia annis qua- „ dra-

„ dragiata duobus, de qua egreſſi ſunt menſe Aprili per Indi-
„ ctionem primam, alio die poſt ſanctum Paſcha, cujus feſtivi-
„ tas eo anno, juxta calculi rationem, ipſis Kalendis Aprilibus
„ fuit, quum jam a Domini Incarnatione anni quingenti ſexa-
„ ginta octo eſſent evoluti.

IX. Abarum Hunnorum cum Sigeberto Francorum Rege bellum.

Idem Paulus alia de Abaribus ſeu Hunnis ſubnectit, quæ huc congerenda exiſtimo, ut non ſolum cum Græcis Scriptoribus conferantur, ſed etiam ex iis pateat, ubi ſedes ſuas Abares fixerint. Itaque lib. 2. cap. 10. narrata Chlotarii Francorum Regis morte: ſic ſcribit. *Eo quoque tempore, comperta Hunni, qui & Avares, morte Chlotarii Regis, ſuper Sigisbertum ejus filium irruunt. Quibus ille in Turingia occurrens, eos juxta Albim fluvium potentiſſime ſuperavit, eiſdemque petentibus pacem dedit.* Chlotarius Francorum Rex obiit anno Chriſti 561. quemadmodum Pagius ad annum 565. num. 8. ex Mario Aventicenſi in Chron. & ex Aimoino lib. 1. cap. 37. oſtendit. Sigebertus autem ejus filius, in Regno Theoderici, hoc eſt, Francorum, patri ſuccedens, a ſicariis anno 575. occiſus fuit, ut idem Pagius ad annum 579. n. 6. demonſtrat: qui tamen quum victoriam ab eodem Sigeberto de Hunnis relatam ſub initium ejus regni ex Hermanno Contracto collocat, a vero aberraſſe mihi videtur: nam Hunni Abares Pannoniam non ante annum 568. tenuerunt: ac proinde ſaltem ad annum 569. ea de ipſis victoria differenda eſt. Hinc & Valeſius emendandus, qui in not. ad hiſtoriam Menandri pag. 215. edit. Pariſ. bellum Hunnicum a Sigeberto feliciter confectum ad ann. Chriſti 567. refert.

X. Abaricum bellum ſub Childeberto Francorum Rege.

Ad Childebertum Sigeberti filium, Francorum Regem, ut puto, ſpectat alterum bellum, quod Paulus Diaconus lib. 4. cap. XI. deſcribit, his verbis. „ Hiſdem ipſis diebus Bajoarii uſ-
„ que ad duo millia virorum ſuper Sclavos irruunt, ſuperve-
„ niente (*a*) Cacano omnes interficiuntur. Tunc primum ca-
„ balli ſylvatici & bubali in Italiam delati, Italiæ populis mi-
„ racula fuerunt. Hac etiam tempeſtate Childebertus Rex Fran-
„ corum, ætatis anno vigeſimo quinto, cum uxore propria, ſicut
„ fertur, vi veneni extinguitur. Hunni quoque, qui & Avares
„ di-

a *Cacan*, ſeu *Chagan*. Vox Hunnica *Regem* ſignificat. Fallitur autem Muratorius dum not. 154. in lib. 4. cap. 38. Pauli Diaconi, id nomen Proprium Regum Abarum fuiſſe ſcribit. Appellativum enim eſt, non Proprium, eoque uſi ſunt Reges Chazarorum, Turcorum; Abarum, aliorumque.

Digitized by Google

„ dicuntur, a Pannonia in Turingiam ingreſſi, bella graviſſima „ cum Francis geſſerunt. Brunichildis tunc Regina cum nepoti„ bus adhuc pueris Theudeberto & Theuderico regebat Gallias, „ a quibus accepta Huni pecunia revertuntur ad propria „. Childebertus anno 575. Sigeberto patri ſucceſſit: Nam Sigeberto a ſicariis occiſo, ut ſcribit Gregorius Turonenſis lib. 5. cap. 1. „ „ Gundobaldus Dux apprehenſum Childebertum filium ejus „ parvulum furtim abſtulit, ereptumque ab imminente morte, „ collectiſque gentibus, ſuper quas pater ejus regnum tenuerat, „ Regem inſtituit, vix luſtro ætatis uno jam peracto, qui die „ Dominici Natalis regnare cœpit „. Deceſſit autem anno 596. ut liquet ex Epiſt. 58. Libri v. Regiſtri Gregoriani data menſe Julio, Indict. xiv., quæ eo anno ſecundum ſupputationem S. Gregorii exit cum menſe Auguſto. Ea enim Epiſtola Sanctus Pontifex, Theoderico, & Theodeberto fratribus, Regibus Francorum, commendat Auguſtinum ad converſionem gentis Anglorum a ſe miſſum. Quare Childebertus utriuſque Regis pater, jam ante menſem Julium e vivis exceſſerat, & uterque ei ſucceſſerat. Porro ad annum 590. geſtum in Italia bellum inter Childebertum Francorum, & Autharim Langobardorum Reges, narrat Paulus Diaconus lib. 3. cap. 32. & Gregorius Turonenſis lib. 10. cap. 3. ſub annum xv. Childeberti Regis: quo bello oppida Langobardorum, quæ Bojoariæ vicina erant, in Tridentino agro, cladem acceperunt, igne ferroque exciſa, hominibuſque in ſervitutem abſtractis, pene in ſolitudinem redacta. Sed quum Franci per tres menſes Italiam pervagantes, nihil proficerent, neque ſe de inimicis ulciſci poſſent, eo quod ſe in locis communiſſent firmiſſimis, neque Regem capere, de quo ultio fieret, qui ſe infra Ticinenſes munierat muros, infirmatus aërum intemperantia exercitus, ac fame attritus, redire ad propria deſtinavit. Tum vero Autharius Langobardorum Rex Legatos ad Guntramnum Regem miſit, qui Chidelberti nepos ex fratre erat, ut per ejus nutum pax cum Langobardis firmaretur. Verum dum Legati in Francia morarentur, Rex Autharis apud Ticinum Nonis Septembris, veneno, ut tradunt, accepto, moritur. Agilulfus Taurinatium Dux a Theudelinda Autharii Vidua in Regem gentisLangobardorum electus, pacem a Childeberto obtinuit. Itaque dum Langobardos inter & Francos bellum eſſet, tunc Sclavi cum ſuo Chagano, ideſt Abares, a Langobardis incitati, in Bajoariam ir-

Digitized by Google

ruerunt. Mortuo tamen Childeberto, iterum in Alemaniam impreſſionem fecerunt; ſed pecunia a Brunichilde Regina, Childeberti matre, accepta, ad propria redierunt.

XI. Langobardi Abarum auxiliares, Iſtriam vaſtant, Mauricii tempore

Agilulfo in Italia regnante, quum bellum inter Abares & Mauricium gereretur, hæc de Abaribus ſcribit Paulus Diaconus lib. 4. cap. 21. „ Hoc quoque tempore Agilulfus Langobardo„ rum Rex Cacano Regi Avarorum artifices ad faciendas naves „ mittit, cum quibus idem Cacanus inſulam quandam in Thracia „ expugnavit. *Et cap.* 25. Hac tempeſtate, Agilulfi legati re„ greſſi a Cagano, pacem perpetuam cum Avaribus nunciarunt. „ Legatus quoque Cagani cum eis adveniens, ad Gallias perre„ xit, denuncians Francorum Regibus, ut ſicut cum Avaribus, „ ita pacem habeant cum Langobardis. Inter hæc Langobardi „ cum Avaribus & Sclavis, Iſtriorum fines ingreſſi, univerſa „ ignibus & rapinis vaſtaverunt. *Demum cap.* 27. Igitur Mauri„ cius Auguſtus poſtquam uno & viginti annis rexit imperium, „ cum filiis Theodoſio, & Tiberio, & Conſtantino, a Phoca, qui „ fuit ſtrator Priſci Patricii, occiditur. Fuit autem utilis Rei„ publicæ: nam ſæpe contra hoſtes dimicans, victoriam obtinuit. „ Huni buoque, qui & Avares appellantur, ejus virture devicti „ ſunt. Bellum a Mauricio contra Chaganum Abarum geſtum, pluribus narrant Theophylactus, Theophanes, Zonaras, Cedrenus, Manaſſes, & auctor Chronici Alexandrini: quum autem illud ab anno I. Mauricii uſque ad XX. duravit, Baronius & Pagius ad ann. 600. ea tantum narrant, quæ tertio ante obitum Mauricii anno contigere. Tunc ſcilicet Agilulfus Chagano Abarum miſit artifices ad faciendas naves, & firmato cum Abaribus fœdere, Langobardi unacum Abaribus & Sclavis in Iſtriam ingreſſi, univerſa vaſtarunt. Id factum Pagius affirmat non anno Chriſti 600. ſed 599. Quod autem ait Paulus Diaconus, Mauricii virtute Abares fuiſſe devictos, non uſquequaque verum eſt: nam frequentius ii victores, quam victi fuere: quod & pax inter Romanos & Abares poſtremo facta demonſtrat: quæ a Theophylacto ſic deſcribitur: „ Ex pacto autem Iſter ad Romanorum Abarumque „ fines dirimendos conſtituitur, & poteſtas ejuſdem contra Scla„ vos trajiciendi conceditur. Præterea denuo vicena aureorum „ millia antea pactis adduntur. Atque hoc ſane modo bellum „ inter Abares & Romanos profligatum eſt.

Pace cum Romanis facta, Abares in Forojulianum Ducatum, rup-

rupto cum Langobardis fædere, invadunt anno circiter 610. quo Heraclius imperabat. Paulus Diaconus lib.4. cap.38. „ circa hæc „ tempora Rex Avarorum, quem ſua lingua Cacanum appellant, „ cum innumerabili multitudine veniens, Venetiarum fines in- „ greſſus eſt. Huic Giſulfus Forojulianus Dux cum Langobardis, „ quos habere poterat, audacter occurrit. Sed quamvis forti ani- „ moſitate contra immenſam multitudinem bellum cum paucis „ gereret, undique tamen circumſeptus cum omnibus ſuis pene „ extinctus eſt. Uxor vero ejuſdem Giſulfi, nomine Romilda, „ cum Langobardis qui evaſerant, ſive eorum uxoribus & filiis „ qui in bello perierant, intra murorum Forojuliani caſtri muni- „ vit ſepta. Huic erant filii Taſo, & Caco, jam adoleſcentes; „ Radoaldus vero & Grimoaldus adhuc in puerili ætate erant „ conſtituti. Habebat vero & filias quatuor, quarum una Appa, „ alia Galia vocabatur; duarum vero nomina non tenemus. Com- „ munierant ſe quoque Langobardi & in reliquis caſtris, quæ „ his vicina erant, hoc eſt, in Cormones, Nemaſo, Oſopo, Ar- „ tenia, Reunia, Glemona, vel etiam in Ibligine, cujus poſitio „ omnino inexpugnabilis exiſtit. Pari etiam modo & in reliquis „ caſtellis, ne Hunis, hoc eſt, Avaribus præda fierent, ſe com- „ muniere. Avares vero per omnes Forojulianorum fines diſcur- „ rentes, omnia incendiis & rapinis vaſtantes, Forojulianum op- „ pidum obſidione claudunt, & totis viribus expugnare moliun- „ tur. Horum Rex, ideſt Cacanus, dum circa muros armatus cum „ magno equitatu perambularet, ut qua ex parte urbem facilius „ expugnare poſſet, inquireret, hunc Romilda de muris proſpi- „ ciens, quum eum cerneret juvenili ætate florentem, meretrix „ nefaria concupivit, eique mox per nuncium mandavit, ut ſeſe „ in matrimonium ſumeret, ipſa eidem civitatem cum omnibus „ qui aderant traderet. Quod Rex Barbarus audiens, eidem, ma- „ lignitatis dolo, quod mandaverat, ſe facturum promiſit, eam- „ que in matrimonium ſpopondit accipere. Illa vero nihil mora- „ ta, portas Forojulienſis caſtri aperuit, & ad ſuam cunctorum- „ que qui aderant perniciem hoſtem introduxit. Ingreſſi vero „ Avares cum Rege ſuo Forum-julii, univerſa quæ invenire po- „ terant, rapinis diripiunt: ipſamque urbem flammis concre- „ mantes, univerſos quos repererant, captivos abducunt, falla- „ citer tamen eis promittentes, quod eos, unde digreſſi fuerant, „ Pannoniæ in finibus collocarent. Qui quum patriam reverten-

XII. Abarum in Ducatum Forojulianum impreſſio.

Digitized by Google

„ tes, & ad campum, quem ſacrum nominant, perveniſſent, „ omnes qui jam in majori ætate conſtituti erant, Langobardos, „ perimere gladio ſtatuunt: mulieres vero, & parvulos captivi- „ tatis ſorte dividunt. Taſo vero, & Caco, ſeu Rodoaldus, fi- „ lii Giſulfi & Romildæ, quum hanc Avarorum malitiam cogno- „ viſſent, ſtatim aſcenſis equis fugam arripiunt „. Pergit narrans, Crimoaldum etiam puerulum evaſiſſe: Romildam vero, impiam matrem, pœnas ſuæ libidinis dediſſe; filias vero, quum Avarum libidinem arte ingenioſa eluſiſſent, ſeſeque caſtas ſervaſſent, per diverſas regiones venundatas, poſtremo juxta nobilitatem ſuam dignis fuiſſe nuptiis potitas; unam ſcilicet Alemanorum Regi, alteram Bajoariorum Principi nupſiſſe. Quumque Taſo & Caco ad patriam remeaſſent, Ducatum Forojulianum regendum ſuſcepiſſe, ſuoque tempore *Sclavorum regionem quæ Zellia appellatur* (ideſt Cilienſem Comitatum vel Zemblynenſem, in Pannonia ſuperiore) *uſque ad locum qui Medaria dicitur, poſſediſſe: unde uſque ad tempora Ratchis Ducis, iidem Sclavi penſionem Forojulianis Ducibus perſolverunt*.

XIII. Abares, Slavi dicti, in Beneventanum Ducatum irrumpunt.

Non alii proinde ab Abaribus ſunt Slavi illi, quos idem Paulus cap.46. refert circa ann.662. *cum multitudine navium*, de Venetiarum finibus ſolventes, *apud Sipontum*, antiquam Apuliæ urbem ad mare Adriaticum ſitam „ caſtra poſuiſſe, & occultas fo„ veas circa caſtra feciſſe: quumque Ajo Beneventanus Dux ſu„ per eos, abſentibus Radoaldo & Grimoaldo, veniſſet, eoſque „ debellare vellet, equus ejus in unam de eiſdem foveis cecidit, „ atque irruentibus ſuper eum Sclavis, ſimul cum aliquantis vi„ ris extinctus eſt. Quod quum Radoaldo nunciatum eſſet, cito „ veniens, eiſdem Sclavis propria illorum lingua (*a*) loquutus „ eſt. Quumque propter hoc ſegniores ad bellum reddidiſſet, „ mox ſuper eos irruens, magnaque ſtrage eos, proſternens, & „ Ajonis mortem ultus eſt, & de illis finibus eos qui remanſerant „ hoſtes fugam petere coëgit „. Abares a Porphyrogenito dictos Slavos, ſupra oſtendimus.

XIV. Abares Langobardorum auxiliares, adverſus Forojulianum Ducem.

Poſtremo hæc de Abaribus habet Paulus Diaconus, poſtquam Grimoaldum Langobardorum Regem ſuppetias filio Romoaldo Benevantorum Duci adverſus Conſtantem Imperatorem tu-

a Vicini etenim Sclavis olim in Forojulienſi Ducatu: unde Beneventum venerant Radoaldus & Grimoaldus, ipſorum linguam ab ipſa puerili ætate didiciſſe potuerant. *Muratorius*.

tuliſse ſcripſiſset: *Huic Lupo*, inquit lib. 5. cap. 18. & ſeq. „ quando Grimoaldus Beneventum perrexit, ſuum Palatium commendavit. Qui Lupus dum Rege abſente multa inſolenter apud Ticinum egiſset, quippe quia eum reverſurum non æſtimaret, revertente Rege, ſciens eidem ea quæ non recte geſserat, diſplicere, Forum-julii petens, contra eundem Regem, ſuæ nequitiæ conſcius, rebellavit. Tunc Grimoaldus nolens civile bellum inter Langobardos excitare, Regi Avarum Cacano mandavit, ut in Forum-julii contra Lupum Ducem cum exercitu veniret, eumque bello protereret. Quod & factum eſt. Nam veniente Cacano cum magno exercitu in loco, qui Fluvius dicitur, ſicut nobis retulerunt ſeniores viri, qui in ipſo bello fuerunt, per tres dies Lupus Dux cum Forojulianis adverſus Cacani exercituum conflixit. Et prima quidem die validum ejus exercitum, paucis ſuis vulneratis, proſtravit; ſecunda vero die jam aliquantis e ſuis vulneratis, & mortuis, pari modo multos ex Avaribus extinxit: tertia vero die jam pluribus ex ſuis ſauciatis, ſive peremptis, nihilominus magnum Cacani exercitum delevit, prædamque copioſam invaſit. At vero die quarto tantam ſuper ſe multitudinem conſpexerunt venientem, ut vix per fugam evadere poſſent. Ibi itaque Lupo Duce perempto, reliqui qui remanſerant, ſeſe per caſtella communiunt. Avares per omnes eorum fines diſcurrentes, cuncta rapinis, invadunt, vel ſuppoſito igne comburunt. Qui quum per aliquot dies hoc facerent, a Grimoaldo eis mandatum eſt, ut jam a devaſtatione quieſcerent. Qui legatos ad Grimoaldum mittunt, dicentes, Forumjulii ſe minime relicturos, quam armis propriis conquiſiſſent. Tunc Grimoaldus neceſſitate compulſus, exercitum coadunari præcepit, quatenus Avares de ſuis finibus exturbaret. In medio itaque campo ſua caſtra contra Avarum hoſtium componens, quum exercitus partem exiguam haberet, & Cacanus ad eum legatos mitteret, eoſdem ipſos quos habebat, diverſo habitu, variiſque inſtructos armis, ante oculos legatorum per dies aliquot, quaſi novus jugiter exercitus adventaret, frequenter tranſire fecit. Avarum vero legati dum eundem ipſum exercitum, aliis & aliis modis præterire conſpiciunt, immenſam Langobardorum multitudinem eſſe crediderunt. Quibus Grimoaldus ita dixit: cum omni, quam vidiſtis, exercitus multitudine, ſtatim ſuper Cacanum irruam,

„ & Ava-

„ & Avarum exercitus diſperdam, niſi de Forojulianorum finibus „ velociter exierint. His viſis & auditis, Legati Avarorum quum „ hæc ſuo Regi nunciaſſent, mox cum omni ſuo exercitu ad pro„ prium reverſus eſt regnum „. Pergit cap. 22. de Warnefrido, poſt Lupi cædem, ope Sclavorum, Forojulii Ducatum arripiente: *Sed metuens Grimoaldi Regis vires, fugit ad Sclavorum gentem in Carnuntum, quod corrupte vocitant Carantanum. Qui poſtea cum Sclavis adveniens, quaſi Ducatum eorum viribus reſumpturus, apud Nemas caſtrum, quod non longe a Forojulii diſtat, irruentibus ſuper ſe Forojulianis, extinctus eſt*. Et cap. 23. *Deinde ordinatus eſt apud Forum-julii Dux Wectari, qui fuit oriundus de Vincentina civitate, vir benignus & populum ſuaviter regens. Hunc quum audiſſet Sclavorum gens Ticinum profectum eſſe, congregata valida multitudine, voluerunt ſuper Forojulianorum caſtrum irruere. Et venientes caſtrametati ſunt in loco, qui Broxas dicitur, non longe a Forojulii. Secundum divinam autem diſpoſitionem contigit, ut Dux Wectari ſuperiori veſpere reverteretur a Ticino neſcientibus Sclavis. Cujus comites quum ad propria (ut aſſolet fieri) remeaſſent, ipſe hoc nuncium de Sclavis audiens, cum paucis viris, hoc eſt, cum vigintiquinque contra eos progreſſus eſt. Quem Sclavi cum tam paucis venire conſpicientes, irriſerunt dicentes, Patriarcham contra ſe cum Clericis adventare. Qui quum ad pontem Natiſonis fluminis, qui ibidem eſt, ubi Sclavi reſidebant, propinquaſset, caſſidem ſibi de capite auferens, vultum ſuum Sclavis oſtendit, erat enim calvo capite. Quem dum Sclavi, quia ipſe eſset Wectari, cognoviſsent, mox perturbati, Wectari adeſse, clamitant: Deoque eos exterrente, plus de fuga, quam de prælio cogitant. Tunc ſuper eos Wectari cum paucis quos habebat irruens, tanta eos ſtrage proſtravit, ut ex quinque* (a) *millibus viris vix pauci qui evaderent remanerent*.

XV. Alii Abares, & alii Sclavi, quamquam aliquando pro iiſdem habiti.

Hactenus Paulus Diaconus de *Avaribus* deque *Sclavis*: ex quo manifeſtum ſit, alios eſſe Longobardos, alios Avares, & alios Sclavos; quamquam non deſunt qui unam gentem cum altera confundunt. Thomas Archidiaconus & auctor Chronici Marulani, Abares vocant *Gothos*, ut ſupra vidimus. In Miſcella quoque Hiſtoria lib. 14. de quatuor Gothici generis populis; *Gothis* ſcilicet, *Vi-*

a Mancum eſſe Pauli noſtri hunc locum potius mihi perſuadeam, quam hæc adeo incredibilia ſcripſiſſe: Vix enim quinque millibus hœdis jugulandis viginti quinque fortiſſimi viri uno impetu ſatis fuiſſent. *Muratorius*. At fieri potuit, ut ipſi ſe Sclavi fugiendo protererent, aut plures aquis fluvii abſorberentur.

Digitized by Google

Viſingothis, *Gepidis* & *Vandalis*, nomen tantum, & nihil aliud mutantibus, unaqne lingua Gothica ſeu Theotiſca utentibus; qui ſub Arcadio & Honorio Danubium tranſeuntes, locati ſunt in terra Romanorum, hæc legrntur. *Et Gepides quidem, ex quibus* (a) *poſtmodum diviſi ſunt Langobardi & Avares, villas quæ ſunt circa Singidonem & Sirmium; habitavere*. His verbis videtur Miſcellæ actor in ea ſententia fuiſſe, ut exiſtimaret, ex Gepædibus ortos fuiſſe Langobardos & Avares: quod tamen falſum omnino eſt: nam Langobardi quidem, ut ex Paulo Diacono lib. 1. cap. 21. conſtat, eodem genere, (Gothico ſcilicet,) ac Gepædes, procreari, cum Gepædibus tamen bellum commiſerunt, eo quod Hildechis, qui & Ildiſgus, Tatonis filius, ſuperante Wachone devictus, cum Longobardis; qui ſe ipſi adjunxerant, ac numeroſa Sclavenorum manu ad Gepædes ſe contulit: & cap. 2. eodem Paulo teſte, eorumdem origo e Germania derivatur, his verbis: *Pari etiam modo & Winilorum, hoc eſt, Langobardorum gens, quæ poſtea in Italia feliciter regnavit, a Germanorum populis originem ducens .... ab inſula, quæ Scandinavia dicitur, adventavit*. Avares autem & origine, & lingua a Gepædibus eſſe diverſos, idem ipſe Paulus diſerte docet, dum eos vocat *Hunnos*, & a ſuo principe dictos *Avares* tradit. Hunnorum autem quamquam una gens ſit, quæ olim *Cimmeria* vocabatur; in plures tamen populos diviſa, a ſuis etiam principibus diverſa nomina eſt ſortita; ut puta *Hunni*, *Sabiri*, *Acatiri*, *Saraguri*, *Hunnoguri*, & alii; ſed præ cæteris celebres ac potentes *Abares*, *Cuturguri*, *Uturguri*, *Hunnoguri*, & *Turci*.

Pro-

a Cum Gepædibus bellum commiſere Langobardi Abarum fœderati, eoſque delevezunt. Huc igitur reſpexerit auctor Miſcellæ, quum ait, *ex Gepædibus diviſos Langobardos & Abares*: non quod una eademque gens antea fuerint *Gothi*, Gepodes & Langobardi, & *Hunni* Abares. Cæterum diverſos eſſe, diverſaque lingua uti Gothos & Hunnos, præter jam dicta, colligitur ex Priſco in excerptis de legationibus pag. 67. edit. Pariſ. ubi de Zerchone Mauruſio coram Attila Hunnorum Rege ſtante ſic ſcribit. „ Edechon „ Zerchoni perſuaſerat, ut ad Attilam veniret, omnem operam & ſtudium pollicitus, „ quo uxorem recuperaret. Hanc enim, quum illi Bleda ſtuderet, in barbarorum re„ gione acceperat, quam in Scythia, ab Attila ad Aetium dono miſſus, reliquerat. Sed „ hac ſpe fruſtratus eſt, quia Attilas illi ſuccenſuit, quod a ſua remigraſſet. Itaque tunc „ arrepta feſtivitatis occaſione progreſſus, & forma, & habitu, & pronunciatione, & „ vebis confuſe ab eo prolatis modo Auſoniorum, modo Hunnorum, modo Gothorum „ linguam intermiſcens, omnes lætitia & hilaritate diffudit, & effecit, ut in riſum, qui „ ſedari & extingui non poterat, prorumperent. Sed Attilas ſemper eodem vultu omnis „ mutationis expers, & immotus permanſit, neque quicquam facere aut dicere, quod „ jocum aut hilaritatem præſeferret, conſpectus eſt „. Alia igitur erat lingua *Auſoniorum* hoc eſt Latina: alia *Hunnorum*, h. e. Scythica ſive Turcica: & alia *Gothorum*, ideſt Gothica ſive Theotiſca.

XVI. Hunni Cuturguri & Uturguri.

Procopius de bello Gothico lib. 4. cap. 5. Cuturgurorum & Uturgurorum etymologiam explicat: „ Quæ loca, *inquiens*, „ proxime memoravi, ea colebat olim multitudo ingens Hunnorum, qui tunc Cimmerii vocabantur, unique omnes Regi „ parebant. Aliquando his quidam præfuit, cui duo erant filii, „ Ucurgur alter nomine, alter Cuturgur. Patre mortuo, regnum inter ſe ambo partiti, de ſuo nomine dixere ſubditos: „ inde alii Uturguri etiamnum, alii Cuturguri appellantur. Ibi „ omnes degebant, iiſdem plane inſtitutis utentes, nihilique habentes commercii cum populis trans Paludem ejuſque fauces „ habitantibus, quum eas aquas nec trajeciſſent unquam, nec „ trajici poſſe exiſtimarent, rem facillimam ideo reformidantes, „ quod ipſis eſſet hactenus intentata, neglecto penitus tranſitu. „ Ut quis Paludem ejuſque meatum ſuperavit, in ipſo ſtatim litore antiquas intrat ſedes Gothorum Tetraxitarum „. Pergit deſcribens Cimmeriorum in haſce Gothorum ſedes trajectum, cerva fugiente, vadumque monſtrante, quemadmodum ſupra ex eodem Procopio num. 1. retulimus. Mox de Cuturguris & Uturguris. „ Illis (*Gothis*) partim vita, partim patria expulſis, ut „ dictum eſt, regio in poteſtate Hunnorum fuit, atque illic Cuturguri accitis liberis & uxoribus conſederunt: ubi etiamnum „ habitant: & quamvis multa ſingulis annis ab Imperatore dono „ accipiant, haud tamen abſiſtunt ejus provincias, tranſito Iſtro „ flumine, incurſare, Romanorum ſimul ſocii, ſimul hoſtes. „ Uturguri cum ſuo Principe revertentes in patriam, ut eam „ deinceps tenerent ſoli, quum ad Paludem Mæotidem acceſſiſſent, in Gothos Tetraxitas inciderunt. Ac primo quidem „ Gothi muniti clypeis, ſtetere contra, ut impetum prohiberent, „ cum ſuis viribus, tum loci firmitate freti. Nam & barbarorum „ qui in illis partibus degunt, ipſi fortiſſimi ſunt, & Mæotis, ubi „ in Pontum illabi incipit, quo in loco agebant tunc Tetraxitæ, „ lunatum ſinum efficiens, ac fere undique eos ambiens, eo venientibus unum eumque haud adeo latum aditum dabat. Dein „ tamen, quum neque Hunni tempus ibi terere vellent, neque „ hoſtium multitudini ſe reſtituros Gothi ſperarent, colloquio „ habito, convenit, ut permixti una trajicerent, & Gothi fixis in „ oppoſita continente ſedibus ad litus alvei quo palus influit, ubi „ hodieque habitant, amici in poſterum ſociique Uturgurorum, „ pari cum ipſis jure ſemper viverent. Sic igitur Gothi iſti do-

„ mi-

„ micilia ibi collocarunt, & Cuturguris, ut dixi, trans Paludem „ relictis, ſoli Uturguri oras patrias retinuerunt, Romanis nihil „ negotii faceſſentes. Quum enim non ſint eorum accolæ, ſed „ multis interpoſitis gentibus diſcludantur, inviti vim ab illis „ abſtinent. Ultra Paludem Mæotidem fluviumque Tanaim, „ Hunni Cuturguri camporum æquora, ut modo dicebam, lon- „ ge ac late inſederunt. Poſt a Scythis & Tauris tenetur omnis „ illa regio, cujus pars etiamnum Taurica dicitur „. Et cap. 18. enarrans commiſſum inter Thoriſinum Gepædum, & Auduinum Langobardorum Reges bellum, Gepædes ſcribit in Romanum Imperium immiſiſſe *Cuturguros*; Juſtinianum autem *Uturguros* in Cuturguros excitaſſe. „ Quum autem eſſet opinio laturos „ opem Langobardis Romanos, ab his timentes ſibi Gepædes, „ Hunnorum aliquos in ſocietatem ſibi adſciſcere ſtatuerunt. „ Quamobrem legatione miſſa ad Principes Cuturgorum, qui „ cis Paludem Mæotidem habitant, eos rogarunt, ut arma ſecum „ in Langobardos caperent. Confeſtim illi armatorum miſerunt „ duodecim millia, quibus præter alios imperabat Chinialus, vir „ bellica laude clariſſimus. Gepædes horum barbarorum præci- „ pitem adventum graviter ferentes, quod certaminis tempus „ nundum appeteret, ſed annus adhuc ſupereſt pactis (*cum Re-* „ *ge Langobardorum*) induciis; perſuaſerunt, ut hoc interim „ ſpatio oras incurſarent ditionis Imperatoriæ, eſſetque intem- „ peſtivæ ipſorum operæ diverticulum illa in Romanos ſuſcepta „ vis. Et quoniam acribus Romanorum cuſtodiis in Illyrico & „ Thracia claudebatur Iſtri fluminis tranſitus, illi qua oram op- „ poſitam ſpectant, hos Hunnos Iſtro amne tranſmiſſos, in Ro- „ manorum ſedes induxerunt. Ab iis loca fere omnia vaſtata ſunt: „ quando Juſtinianus Auguſtus hoc conſilium iniit. Ad Principes „ Hunnorum Uturgurorum trans Paludem Mæotidem habitan- „ tium, legatione miſſa, queritur, eoſque incuſat, quod nihil „ in Cuturguros moveant, deſidia capti injuſta: ſiquidem faci- „ noribus iniquiſſimis annumeranda eorum eſt negligentia, qui „ amicos perire ſinunt. Oſtendit, Cuturguros vicinos ſuperbo „ efferri contemptu; & quamvis Byzantio grandem pecuniam „ quotannis accipiant, nolle tamen a Romanis ſceleſtam vim ab- „ ſtinere, ſed eos infeſtare quotidianis incurſibus, ac ſine cauſa „ diripere. Uturguros autem nihil inde lucri capere, & quum in „ prædæ partem non vocentur a Cuturguris, Romanis deeſſe

„ male habitis,quibuſcum veteri eoque arctiſſimo amicitiæ vincu-
„ lo juncti ſint. Quum hæc Juſtinianus Auguſtus Uturguris ſi-
„ gnificaſſet, ac donando pecuniam revocaſſet in mentem, quot
„ quantiſque ipſos antea affeciſſet muneribus, demum pervicit,
„ ut Cuturguros reſiduos bello protinus peterent. Ii vero, Go-
„ thorum Tetraxitarum, quorum fines contingunt, adjunctis ſibi
„ duodecim millibus, fluvium Tanaim cum omnibus copiis tra-
„ jecere. Ipſis præerat Sandil, ſingulari prudentia vir, longo
„ exercitus bellorum uſu, & animo fortitudineque inſigni præ-
„ ditus. Tranſmiſſo flumine, cum Cuturguris magno numero
„ occurrentibus manus conſerunt. Illis impetum fortiſſime ſuſti-
„ nentibus, diutiſſime pugnatum eſt. Tandem Uturguri, verſis
„ in fugam hoſtibus, ingentem fecere ſtragem, paucis, qua cui-
„ que ſors effugium dedit, elapſis: quorum captis uxoribus li-
„ beriſque, domum redierunt. *Et cap.* 19. His tunc Barbaris in-
„ ter ſe, ut dixi, depugnantibus, præliique ingraveſcente pe-
„ riculo, Romanis ſortuna mirifice favit. Eorum enim quicum-
„ que a Cuturguris in ſervitutem abſtracti fuerunt, quorum nu-
„ merus ad multas myriadas evaſiſſe fertur, ejus pugnæ benefi-
„ cio latentes, inde fuga celeri in patriam redierunt, nemine
„ inſequente, fructumque ex aliena victoria cepere maximum,
„ Juſtinianus vero Auguſtus Aratio Duci ad Chinialum Hunnoſ-
„ que cæteros miſſo mandavit, ut illis res in ipſorum patria geſtas
„ aderet, promptumque ex Romanorum finibus diſceſſum pro-
„ fuſo auro perſuaderet. Illi, cognita Uturgurorum irruptione,
„ multaque ab Aratio accepta pecunia, pacti ſunt, nullam ſe poſt-
„ hanc facturos cædem, neminem abducturos captivum, neque
„ aliud quidquam detrimenti importaturos; ſed abſceſſuros ita,
„ ut ſe regionis illius incolis amicos præſtarent. Convenit etiam,
„ ut ſi barbari poſt ſuum reditum ſedes patrias tenere poſſent,
„ manerent illic, ac datam Romanis fidem uſque ſervarent: ſin
„ ibi nequirent conſiſtere, ad Romanos reverterentur, ipſiſque
„ attribueret Imperator agros in Thracia, ubi poſitis domiciliis,
„ perpetuo devincti Romanis fœdere, cum illis regionem ſedulo
„ defenderent a quibuslibet barbaris. Jam vero Hunnorum, qui
„ acie victi Uturguros evaſerant, duo millia cum liberis atque
„ uxoribus ad Romanos ſe receperunt. Unus erat ex eorum Du-
„ cibus, Sinnio; is, qui jampridem in Africa Beliſario adverſus
„ Gelimerem & Vandalos militaverat. Ipſos Juſtinianus Auguſtus
„ ſup-

,, ſupplices famularemque offerentes operam, benigniſſime acce-
,, pit, & in Thracia conſidere juſſit. Hujus rei nuncio exacerba-
,, tus Uturgurorum Rex Sandil, iraque incenſus, quod ipſe qui-
,, dem Cuturguros ejuſdem ſecum generis homines ſedibus pa-
,, triis exegiſſet, admiſſam in Romanos injuriam ulciſcendo: illi
,, vero ab Imperatore excepti, jamque ſoli Romani incolæ, mul-
,, to ſuavius viverent; ad Imperatorem Legatos miſit, acta expro-
,, braturos, nulla ipſis data Epiſtola: quippe Hunni etiamnum
,, rudes plane ſunt literarum, quas ne auribus quidem admittunt;
,, neque eorum pueri in labore literario adoleſcunt. Quare omnia
,, Regis ſui mandata more Barbarico relaturi erant memoriter
,, Legati illi,,. Hic eorum orationem Procopius refert: mox ad-
dit. *Hæc quum dixiſſent Uturgurorum Legati, eos multis Impera-
tor blanditiis doniſque ampliſſimis delinitos, haud multo poſt re-
miſit*. Et cap.27. quum Ildigiſalem Langobardum, qui ad Impe-
ratorem confugerat, Byzantio cum Goare Gotho aufugiſſe nar-
raſset, ſubjungit, eum adjunctis ſibi popularibus, *Cuturguros* il-
los Hunnos, qui relicta patria, ut ſupra dictum eſt, in Thracia
conſederant Imperatoris permiſsu, acie viciſse, & Romanos Du-
ces in Illyrico incautos occidiſse, tum ad Gepædes ſe recepiſse;
Uſtrigotthum Gepædem eodem tempore ſe in fidem contuliſse
Langobardorum: utrumque autem fraude Regum Thoriſini &
Auduini, quorum fidei ſe commiſerant, interiiſse.

Porro quos Procopius *Cuturguros* & *Uturguros* vocat, aliter ii ab aliis appellantur. Juſtinus in Legatione ad Perſas pag. 54. edit. Pariſ. ,, Bajanum Abarorum Ducem voluntas cepit Lega- XVII. Corrupta Uturgurorum & Cuturgurorum nomina.
,, tos ad Romanos mittere, qui de fœderibus verba facerent.
,, A Vitaliano etiam ſibi aurum dari petiit, ut a prædis agendis
,, per inducias abſtineret. At Jebulidas acceptis a Præfecto Illy-
,, rici nummis non minus octingentis, ea Bajano tradidit. Præ-
,, terea Abarorum Dux miſit Targitem, qui una cum Vitaliano
,, interprete, Imperatori denunciarent, ut Sirmium, & pecunias
,, quas *οἱ Κυτρίγυροι ϗ ὐτίγυροι*, Cutriguri, & Utiguri a Juſti-
,, niano accipere ſoliti erant, illi traderet; Usdibadum quoque
,, Gepidam: dicebat enim, & omnes Gepidas in ſuum jus do-
,, miniumque veniſſe,,. Latinus interpres non ſibi conſtat: nam
hic quidem pro Cutriguris & Utiguris, quemadmodum Græcus
textus habet, interpretatur *Controgori*, *&* *Ottrogori*; mox vero
Contigori, & *Ovittigori*: & paulo inferius, *Cotroguri*, & *Ottigu-*

ri. Menander Protector in Hiſtoria de Abaris *Contriguros* appellat pag. 114. edit. Pariſ. ſic enim de Bajano Abarorum Duce ſcribit. „ Itaque juſſit dena millia Contrigurorum qui dicebantur
„ Hunni, τῶν Κοντριγούρων λεγομένων οὔννων, trajicere fluvium
„ Saum, & vaſtare Dalmatiam. Ipſe vero cum omni ſuo exerci-
„ citu, tranſmiſſo Iſtro in finibus Gepidarum ſubſtitit . . . . . pe-
„ tebat enim a Romanis ſibi tradi Sirmium oppidum, tamquam
„ quod eſſet ſua privata & domeſtica poſſeſſio. Et quia ab ipſo
„ res Gepidarum eſſent everſæ, neque quicquam præteritis an-
„ nis ex pecuniis quas Juſtinus Hunnis quotannis pendebat, ac-
„ ceperant; omnes ſimul Targitius perſolvi, & ita in poſterum
„ earum annuas collationes valere, & eas Romanos præſtare fla-
„ gitabat. Uſdibadum quoque poſcebat, tanquam qui ſuus ca-
„ ptivitatis jure & lege eſſet „. Quæ ſunt a Juſtino in Legatione ad Perſas narrata: Sed hic etiam Latinus interpres *Controguros* vertit, contra Græci textus fidem.

XVIII. Hunni Cuturguri in Romanam ditionem ſub Juſtiniano invadunt.

Agathias Scolaſticus lib. 5. Hunnicum bellum, quod ſupra ex Procopio deſcripſi, fuſius perſequitur, expreſſis Regum ipſorum nominibus: Zamergano ſcilicet ſeu Zabergano Cutrigurorum, & Sandilcho Utrigurorum: amanuenſium tamen vitio, Cutriguri vocantur, Κοτρίγαροι, Κοτρίγοροι, Κουτρίγουροι: Utriguri vero, οὐτίγοροι, οὐτίγουροι, οὐττίγουροι. Præmittit autem, quæ loca Hunni habitarent, quotuplex Hunnorum gens fuerit, & quo pacto in Europam tranſierint, in hæc verba, pag. 154. edit. Pariſ. „ Hun-
„ norum gens olim quidem habitavit circa eam Mæotidis paludis
„ partem, quæ ſubſolanum ventum verſus ſpectat, erantque Ta-
„ nai magis Septentrionales; quemadmodum & aliæ barbaræ na-
„ tiones quotquot intra Imaum montem in Aſia conſederunt.
„ Hi vero omnes communiter quidem, σκύθαι καὶ οὔννοι, Scythæ
„ & Hunni vocabantur; privatim autem ſecundum nationes,
„ nonnulli eorum Κοτρίγοροι, *Cotrigori*, alii οὐτίγοροι, *Utigori*;
„ alii vero οὐλτίζουροι, *Ultizuri*, alii etiam Βουγούρουνδοι, (a) *Bu-*
„ *gurundi*, dicebantur, alii aliter ex patria cuique atque uſitata
„ appellatione nominabantur. Multis autem poſtea ſeculis tran-
„ ſie-

a Græc. *Bugurundi*. Agathias Hunnicæ genti accenſet *Burgundos*, ſeu Burgundiones, qui olim populi fuere Germaniæ ſub Vindilis comprehenſi, Plinio, Tacito, & aliis. Erantque primum inter Lygios, Carinos, & Gothones, deinde agros Chattorum & Alemannorum occupavere, poſtea in Galliam Celticam tranſmigrarunt, *Cluverio* teſte: horum pars inter Hunnos videtur conſediſſe, ex Agathia, qui ſcilicet Gothi ſunt dicti.

„ ſierunt in Europam, ſive revera a cervo quodam, ut fama per-
„ crebuit, primum ducti; ſive alia quapiam fortuna uſi, & Mæo-
„ tidem (*a*) paludem, qua parte in Euxinum Pontum fertur,
„ quum antea trajicit nequaquam poſſe crederetur, tunc certe
„ quocumque tandem modo trajicientes, & per aliena vagantes,
„ innumeris damnis indigenas (*b*) affecerunt, inopinato eos
„ adorti; adeo ut prioribus habitatoribus ejectis, ipſi illorum di-
„ tionem occuparent, in qua tamen non videbantur diutiſſime
„ commoraturi ſed ſtirpitus quod ajunt perituri. Tunc itaque
„ Οὐλτίνζουροί τε καὶ Βουγούρουνδοι, Ultinzuri & Bugurundi uſque ad
„ Leonem Imperatorem, & qui per id tempus erant, Romanos,
„ celebres extitere, forteſque ſunt habiti; nos vero qui hac ætate
„ vivimus (*c*), neque eos novimus, neque noſcemus, quod
„ vel deleti fortaſſe ſint, vel quam remotiſſime hinc ſedes ſuas
„ tranſtulerint. Illo utique anno, quo peſtilentia (*d*) urbem
„ invaſit, reliquæ Hunnorum gentes ſalvæ adhuc & maximi erant
„ nominis. Quum itaque deſcendiſſent Hunni in loca ad auſtrum
„ vergentia, non procul a ripa Iſtri fluminis ex animi ſui ſenten-
„ tia conſederunt. Tum itaque vigente hieme fluvius ex more vi
„ frigoris congelatus ad imum uſque vadum ita obduruerat, ut
„ & equeſtribus copiis tranſiri poſſet. Ζαμεργὰν δὲ ὁ τῶν Κοτρι-
„ γούρων οὔννων ἡγεμὼν, Zamergan vero Hunnorum, qui Cotri-
„ guri dicuntur, Dux, quum ingentem equitatum per flumen
„ perinde atque per continentem traduxiſſet, facillime in Ro-
„ manum Imperium pervenit: quumque paſſim vacua ab habita-
„ toribus loca inveniſſet, nihilque ipſi impedito eſſet quo minus
„ ad

a Recole quæ ſupra exſcripta ſunt de Cimmeriorum trajectu ex Procopio, & aliis, belloque cum Gothis commiſſo.

b Atqui Gothi, quia Cimmeriis bello petiti ſunt, non indigenæ, ſed advenæ erant, e Scandinavia illuc profecti.

c Vivebat Agathias anno 590.

d Peſtilentia duplex ſub Juſtiniano Prima graſſari cæpit ab anno Chr. 542. Ind. v. vide Pagium ad ann. 544. num. 5. & 6. Theophanes. *Hoc anno* (ſecundum Alexandrinos 534. qui Kal. Sept. anno Chr. 541. inchoatus eſt) *menſe Octobri* (imo adulto vere, ut Procopius habet lib. 2. Bell. Perſ. cap. 21.) *Indict.* v. *mortalitas horrenda Byzantii incubuit*. Ab Ægyptiis orta, Peluſii incolis; indeque Alexandriam, & reliquam Ægyptum pervaſit, illac in Palæſtinam Ægypto conterminam diffuſa, inde totum orbem occupavit: altero demum anno, adulto vere, Byzantium pervenit. Ad eoque menſe Octobri anni Chr. 541. in Ægypto cæpit, & anno ſequente, vere adulto, Byzantium pervenit. Altera Peſtis anno 558. Conſtantinopolim afflixit: de qua Theophanes ad ann. Incarn. ſecundum Alexandrinos 550. „ menſe Februario mortifera ex bubone „ Lues in homines, maxime juvenes graſſata eſt; adeo ut ſepeliendis mortuis non ſuf- „ ficerent vivi: obtinuit vero & invaluit a Februario (*anni Chr.* 558.) uſque ad men- „ ſem Julium „. De hac ſecunda peſte loquitur Agathias.

„ ad ulteriora progrederetur, ſtatim Myſiam & Scythiam tranſ-
„ greſſus, in Thraciam irrupit. Ibi vero diviſo exercitu, alteram
„ ejus partem in Græciam miſit, qui loca omnia nullis præſidiis
„ munita percurreret atque vaſtaret: alteram vero exercitus par-
„ tem in Cherſoneſum Thracicam miſit. Hujus autem Cherſo-
„ neſi, quæ ad orientem ſolem & euronotum ventum vergunt,
„ & ad meridianum uſque punctum circa Helleſpontum porrigi-
„ tur, circumfluit enim totam propemodum, & flexibus litorum
„ una circumagitur, exigua quadam continentis portione, hoc
„ eſt ſolis quadraginta ſtadiis, excluſus, quo minus inſulam fa-
„ ciat. In hac vero Iſthmi anguſtia murus in longum continue
„ ductus eſt ad utrumque mare porrectus; urbeſque interius ipſi
„ affixæ ſunt, Aphrodiſia, & Theſcos, & Ciberis ... Tum ita-
„ que Zabergan, ὁ Ζαβεργὰν, bona ſpe elatus, id ſecum repu-
„ tabat, ſi muro diruto ad interiora loca penetraſſet, facilius ſe
„ etiam mare in poteſtatem redacturum. Illinc etiam veluti per
„ ſomnium imaginabatur navium ſibi copiam non defuturam;
„ quodque trajiceret in Aſiam, fretum intermedium anguſtiſſi-
„ mum per ſe exiſtens, neque aſperis fluctibus ſulcatum facillime
„ tranſnavigans; quodque ſtatim Abydum infeſtaret, & quod in
„ ea erat decimarium portorium vaſtaret. His igitur temerariis
„ conſiliis incitatus, exercitum in Cherſoneſum miſit, quantum
„ ei negotio conficiendo parem fore exiſtimabat; ipſe vero cum
„ equitum millibus ſeptem recta Conſtantinopolim pergens, &
„ agros vaſtabat, & oppidula tentabat, omniaque paſſim move-
„ bat & perturbabat. Cauſa vero hujus expeditionis atque inſul-
„ tus potiſsima veriſsimaque erat, barbarica violentia, & plus
„ habendi cupiditas, cui tamen prætextum hoſtilitatis adverſus
„ ὀυτιγύρυς, *Utiguros*, obtendebat. Sandilchus enim quidam
„ nomine, vir Hunnus, gentis illius Dux erat, benevolus tamen
„ in primis & fœderatus Romanis. Quocirca Imperator ipſum
„ benevolentia & honore proſequebatur, & frequentia ad eum
„ dona mittebat. Cotriguri vero, utpote ſimilium expertes,
„ ſed omnino deſpecti & manifeſto contemptu provocati, hanc
„ ſibi expeditionem ſuſcipiendam cenſuerunt, ut & ipſi terribi-
„ les dignique, quorum ratio haberetur, viderentur, ac tales qui
„ contemptoribus non concederent. Hi itaque quum nemo ipſis
„ obſiſteret, aut propulſaturus obviam iret, atrociter populabun-
„ di regionem vaſtarunt, ingenti præda, maximaque captivo-

„ rum

Digitized by Google

„ rum multitudine abducta .... In eam enim miſeriam res Ro„ manorum redactæ erant, ut in ipſo Regiæ Urbi circumjecto „ agro adeo atrocia mala paterentur a barbaris iiſque perpaucis. „ Sed neque his terminis eorum confidentia fuit circumſcripta, „ ſed ulterius progreſsi, longiſque (ita dictis) muris facile ſuperatis, munitionibus quæ intus erant appropinquarunt. Roma„ norum enim exercitus non tanti atque olim ſub veteribus Im„ peratoribus fuerant, permanſerant, ſed ad minimam quandam „ portionem redacti, non amplius magnitudine Imperii pares „ erant. Quum enim univerſæ Romanorum vires ſexcentis qua„ draginta quinque millibus conſtare deberent, ægre tum tem„ poris centum quinquaginta millibus conſtabant: atque harum „ quidem copiarum aliæ in Italia erant collocatæ, aliæ in Africa, „ aliæ in Hiſpania, aliæ apud Colchos aliæ apud Alexandri urbem „ & circa Theben Ægyptiam: conſederunt vero paucæ etiam „ verſus Orientales Perſarum fines.

Pergit enarrans, quod Beliſarius delectu paucorum militum facto, eos profligavit, & ad unum quidem cunctos cæcidiſſet, niſi a Juſtiniano revocatus in urbem fuiſſet ob invidiam primorum urbis; cæteri vero Hunni, qui in Cherſoneſo conſederant, a Germano Dorothei filio victi ſunt & fugati: Qui vero in Græciam miſſi erant, nihil memoratu dignum geſſerunt, nullo in Iſthmum impetu facto, ſed ne Thermopylas quidem initio tranſgreſſi, quod illas Romanorum præſidia inſediſſent. „ Quo„ circa etiamſi, *inquit Agathias pag. 796.*, diſcedentes, iter „ Thraciam verſus ſunt ingreſſi; ut in ea ſuæ gentis hominibus „ conjuncti ſimul deinceps ad ſua reverterentur. Zabergan vero, ejuſque copiæ non antea ſe diſceſſuros jactabant, quam „ ingentem auri vim a Romanis abſtuliſſent, quemadmodum „ (a) *οἱ οὐττίγυροι*, Uttiguri; & captivos, niſi ab eorum pro„ pinquis quamprimum redimerentur, confeſtim juguláturos „ ſeſe minabantur. Imperator vero tantum auri eis miſit, quan„ tum redimendis captivis ſuffecturum cenſebat, & ut pacifici „ deinceps regione excederent. Barbari itaque cum alios mul„ tos reſtituerunt, tum vero etiam Sergium Bacchi filium Præ„ fectum: captus enim fuerat etiam ipſe paulo ante infauſta „ quadam uſus fortuna, & inter mancipia cenſebatur. Atque ita „ ægre

XIX. Uturguri a Juſtiniano in Cuturguros incitati.

(a) In Latina verſione, perperam, *Cutriguri*, tam hic, quam pag. 270. ubi de *Uttiguris* eſt ſermo.

„ ægre tandem a prædando abſtinuerunt, & domum verſus iter
„ inſtituerunt, aſſumptis ſecum non multo poſt etiam iis, qui e
„ Græcia advenerunt. Civibus itaque urbis regiæ hæc pacta pa-
„ rum generoſa eſſe videbantur, imo turpia atque illiberalia ....
„ Imperatoris vero mens atque conſilium ad aliud quiddam ma-
„ jus reſpiciebat... ſtatuerat enim omni arte allaborandum eſſe,
„ ut inter ſe committerentur & colliderentur hoſtes, atque ita
„ debellarentur „. Quamobrem, dum Zabergan cum ſuis co-
piis lentius iter facit, literas Juſtinianus Auguſtus miſit ad San-
dilchum alterum Hunnorum Ducem fœderatum ſibi & mercena-
rium, quibus eum in Cuturguros excitat. „ Quæ quum Sandil-
„ cho, *ut ait Agathias*, per interpretem eſſent recitatæ, ſtatim
„ exacerbatus furebat, impotente ira percitus, eoque ipſo die
„ ad vindicandam Cutrigurorum in ſe contumeliam prorupit....
„ motis itaque ſuis copiis, primum quidem repente hoſtilia op-
„ pida invadit, & habitatoribus inopinato inſultu perculſis, ma-
„ gnam mulierum & puerorum vim captivam abduxit. Deinde
„ etiam in eos, qui e Thracia redierant, & recenter Iſtrum
„ fluvium trajecerant, ex improviſo irruit, & quamplurimis
„ cæſis, pecuniam omnem cæteramque prædam iis eripit. Qui
„ vero ex his evaſere, quum ægre ſe ad ſuos recepiſſent, reli-
„ quiſque copiis conjunxiſſent, aciem adverſus hoſtes inſtruxe-
„ runt. Atque ita deinceps multo tempore in mutuas cædes
„ converſi, inimicitias corroborarunt. Modo enim inſultus fa-
„ ciebant prædaſque agebant, modo aperta acie decertabant,
„ donec fractis collapſiſque utrinque viribus, penitus ſubverſi
„ deletique fuerunt, adeo ut patriam etiam appellationem ami-
„ ſerint: eoque calamitatis Hunnicæ iſtæ nationes ſunt redactæ,
„ ut ſi aliqua adhuc eorum pars reliqua ſit, ſparſim aliis inſer-
„ viat, & ab illis appellationem acceperit. Adeo utique atro-
„ ces pœnas præteritæ ſuæ impietatis luerunt. Abſolutiſſima ve-
„ ro harum nationum everſio atque internecio poſtmodum acci-
„ dit; ſingulaque mihi convenienter, ſervato quoad ejus fieri
„ poterit temporum conſenſu, dicentur. Vigente vero adhuc
„ ſeditione, & Byzantium renunciata, tum demum cognita fuit
„ manifeſteque declarata Imperatoris prudentia, & conſilii re-
„ ctitudo, quod nimirum Barbaris ſe invicem conficientibus,
„ ipſe arma non movens vicit omnino conſilio in utraque belli
„ inclinatione, & potitus eſt ſpe ſua. Quum enim laborarent,
„ quo-

Digitized by Google

„ quotidie domeſticis malis occupati, haudquaquam deinceps „ Romanorum ditionem infeſtare in animum ſuum inducebant: „ ſed & ubi terrarum eſſent, a pluribus fuit ignoratum „. Hæc Agathias de Cuturguris & Uturguris Hunnis ſcribebat anno 593. quos mutuis cladibus ſeſe attriviſſe teſtatur; pollicitus etiam, abſolutiſſimam harum nationum everſionem, ſervato temporum conſenſu, ſe explicaturum: ſed vel morte præventus, promiſſis non ſtetit; vel alii ab ipſo ſcripti hiſtoriarum libri exciderunt. Hoc autem, quod narrat, Cuturguros inter & Uturguros commiſſum bellum, anno Juſtiniani 32. Chriſti 559. accidiſſe oſtendit Labbeus in Protreptico ad Hiſtor. Byzant. pag.38. idque ipſum refert Theophanes ad ann.32. cujus verba ſupra retuli cap.2. pag. 206. ubi *Hunnos* & *Sclavos* vocat eos, qui ab Agathia dicuntur *Cuturguri*, Zabergane Duce in Thraciam irruentes, ſuburbana etiam Byzantii prædati.

XX. Procopius cum Agathia comparatur quoad Cuturguros & Uturguros.

Quod autem Juſtiniano inſtigante Cuturguri & Uturguri mutuis ſe cladibus confecerint, Procopius etiam a nobis ſupra laudatus ſcribit lib.4. cap.18. & ſeq. aliam tamen indicat ejus belli cauſam fuiſſe, & alia Regum Hunnorum nomina, nimirum pro Zabergane *Chinialum*, & pro Sandilcho *Sandilum*. Menander quoque Protector in Hiſtoria pag.132. edit. Pariſ. *Zabergan* ſeu *Sabergan* vocat, & *Sandilchum*, his verbis: *Hæc ita geſta ſunt* (inter Romanos ſcilicet ac Perſas) *quo tempore* οἱ ἀμφὶ τὸν Σαβεργὰν οὖννοι, *Hunni, qui Zabergæ parebant, quum longe ab Imperii Romani finibus fuiſſent remoti, & Juſtinianus ſuſpicaretur*, ὡς ἐλάσονται καὶ αὖθις οἱ Κοτράγηροι δῃώσαντες τὰ ἐπὶ Θρᾴκης, *Cotrageros* (*a*) *iterum Thraciam populationibus vexatum venturos*, ἐγκείμενός τε ἦν τῷ Σανδίλχῳ τῷ τῶν Οὐτιγούρων ἡγεμόνι, *totus in Sandilchum* (*b*) *Utigurorum Ducem incubuit, quem frequentibus legationibus hortari non deſtitit, & omni ratione ab eo contendere, ut Zabergam bello laceſſeret. Proponebat autem Imperator per Legatos, quos ad Sandilchum mittebat, ſi Cotrageros debellaſſet, ad ipſum annuas pecuniarum præſtationes, quæ quotannis* τῷ Σαβέργᾳ, *Sabergæ pendebantur, redituras eſſe. Itaque Sandilchus, tametſi neceſſitudinem ſibi cum Ro-*

---

a Ita in textu Græco. At Latinus Interpres, *Contraguros* reddit.
b Latinus Interpres male, *Saldichum*.

manis eſſe cuperet, Imperatori ſignificavit, minime ſibi pium aut decens fore, omnes ſuos contribules ad internecionem uſque delere. Per hæc, inquiebat, hoc aſſequeremur, ne ſupereſſent qui eadem lingua, atque nos, uterentur, eadem habitatione, eodem veſtitu, atque eadem vivendi ratione: denique hi quoque ſunt noſtri conſanguinei, quamvis aliis Ducibus pareant. Nihilominus Juſtinianus ſua imperata valere volebat. Quamobrem Cotrageris, qui illi minime dicto audientes, equum ademit, & hunc, ait, mihi proprium vindicabo, ne habeant, quo vecti & inſidentes, Romanis noceant.

XXI. Cuturguri & Uturguri, partim Abaribus ſubjecti, partim Turcorum Regi.

Quod denique ait idem Agathias, de Cuturguris & Uturguris loquens: *eo calamitatis Hunnicæ iſtæ nationes ſunt redactæ, ut ſi aliqua adhuc eorum pars reliqua ſit, ſparſim aliis inſerviat, & ab illis appellationem acceperit*: & in fine hiſtoriæ: *quum laborarent quotidie domeſticis malis occupati, haudquaquam deinceps Romanorum ditionem infeſtare in animum ſuum inducebant; ſed & ubi terrarum eſſent, a plurimis fuit ignoratum*: hoc, inquam, quod Agathias de duabus illis Hunnicis gentibus ſcribit, in Juſtini Legatione ad Perſas pag. 154. edit. Pariſ. declaratur, a Bajano nimirum Abarum Rege utramque eam gentem paulo poſt Juſtiniani obitum fuiſſe ſubjugatam: ſic enim Juſtino juniori Imperatori Bajanus Abarum Dux per Targitium legatum denunciavit, „ ut Sirmium, & pecunias, quas Cuturguri & Uturguri a Juſtiniano accipere ſoliti erant, quia utramque gentem ſubegerat, illi traderet; Uſdibadum quoque Gepidam: dicebat enim, & omnes Gepidas in ſuum jus dominiumque veniſſe, quia eos devicerat „. Et mox Targitius Bajani Legatus ſic Juſtinum Auguſtum eſt affatus. „ Etenim rurſus ad te (*dominium earum rerum, quæ Bajanus tenet*) redibit per filium, ſi ea indulſeris, quæ a te petitum venio: ſcilicet Sirmium, & pecunias quotannis, quas dabat Imperator Juſtinianus Cutriguris & Utiguris. Nam quum Bajanus hodie dominium ſit adeptus harum omnium gentium, eorum bona, & Uſdibadi quoque Gepidæ, ejus ſunt: nec enim Uſdibadum quiſquam negarit effectum eſſe Bajani mancipium „. Ex his colligitur, partem Cuturgurorum & Uturgurorum, fuiſſe Bajano Abarum Regi ſubjectam. At vero aliam eorum partem ſuo adhuc paruiſſe Duci, Turcorum tamen Principum clienti, conſtat *ex libro octavo* de Legationibus pag. 161. edit. Pariſ. ubi narratur Va-

Digitized by Google

Valentini ſecundo Tiberii Cæſaris anno a Romanis ad (*a*) Turcos Legatio, his verbis. „ Ex his omnibus igitur *Valentinus* collegit centum ſex Turcos, & a Regia urbe olcadibus, quæ celeriores erant, ſolvit ad Sinopem & Cherſona (hæc in adverſo litore ad ſolis ortum eſt ædificata, & per Apaturos & gentes ad arenoſa loca ſitas, fines Tauricæ percurrit, qua ad meridiem vergit. Inde Valentinus campos, circa quos ſtagnantes aquæ decurrebant, equis perequitavit, & alios plures arundinoſos, & arboribus conſitos, & paluſtres locos pertranſivit. Regionem quoque, quæ dicitur Α'κκαγὰς *Accegas* (eſt autem nomen mulieris, quæ in illa Scythis imperabat, ſuffragio Anagæi, qui tribui Uttigurorum præerat, regnum adepta, ἀρχούσης τῶν ἀνὰ ἐκείνη Σκυθῶν, χειροτονηθήσης τηνικαῦτα ἐς τοῦτο ὑπὸ Α'ναγαίου, ὃς ἐκράτει τοῦ φύλου τῶν οὐιττιγούρων) & ut breviter dicam, multis & difficillimis itineribus peragratis, ad ea loca pervenerunt, ubi Turxathi (*b*) τυρξάθου bellica ſpolia & inſignia erant conſtituta. Erat hic unus ex Turcorum Ducibus: etenim omnis Turcorum dominatus in octo Tribus diviſus, & unicuique Tribui unus erat ſortito præpoſitus: vetuſtiori autem Turcorum Monarchæ nomen erat Α'ρσίλας, *Arſilas* (*c*). Itaque Valentinus ad Turxathum accedens (is enim primus Turcorum Ducum obvius erat illuc venientibus) ſe una cum illis Romanorum Cæſari gratulari dixit: eo enim ejus rei gratia veniſſe, ut Turcorum Tribubus nunciaret, jam Tiberium ad Cæſarum potentiam evectum eſſe. Ad hæc ut non minor inter eos benevolentia eſſet, & fœdera eadem conſtarent & valerent, quæ inter (*d*) Dilzibulum & Juſtinum Im-

a Alia eſt legatio Turcorum ad Juſtinum, & Juſtini ad Turcos a Theophane Byzantio narrata, qua Turci, ne Juſtinus Abaros reciperet, obſecrabant, anno 569. peractas de qua Pagius ad ann. 566. num. 6. Alia, quæ hic a Menandro refertur ad ann. 2. Tiberii, h. e. Chr. 575. Abbas Biclarienſis ad ann. 4. Juſtini, & 2. Leovigildi Regis (h. e. Chriſti 569.) ait: *Juſtinus Imp. per Tiberium excubitorum Comitem in Thracia bellum genti Barbarorum ingerit, & victor Tiberius Conſtantinopolim redit.* Baronius hanc victoriam de Avaris explicat. Sed Pagius eam commentitiam eſſe ſuſpicatur, quum in nullo Byzantino ſcriptore legatur. Quinimo Theophanes, Evagrius, Cedrenus, & alii, quos Pagius ad ann. 574. num. 2. laudat, teſtantur, Tiberium a Juſtino in Abares miſſum, ab iis victum fuiſſe.

b *Turxathi*: al. *Turxanthi*. Latine perperam *Toxandri*. Eſt autem Turcice, *Turcchan*: ideſt *Turcorum Princeps*.

c Latinus Interpres, male *Arceſilas*. Eſt enim Turcicum nomen *Arſelan*, quod Latinem *Leonem* dixeris.

d Supra pag. 152. & ſeqq. Διζάβουλος, & Ζήμαρχος: hic Cilix, Legatus Juſtini junioris; ille Turcorum Rex, Romanis fœdere conjunctus. Latinus interpres, *Diſabulum* vertit, & pro Zemarcho, perperam habet hic *Zachariam*.

Digitized by Google

„ peratorem per Zemarchum, qui primus ad eos venerat, pa-
„ cta conventaque fuerant. Dilzibulus enim ſe Romanorum
„ amicum profeſſus erat, & tam arcta cum Juſtino neceſſitudine
„ conjunctus, ut eoſdem haberet hoſtes: hæc ut ſalva & illæſa
„ manerent, ut erant, quum Romani illic bellum cum Perſis
„ geſſerunt, poſtulabat .... Hæc legato dicente, confeſtim Tur-
„ xantus, num, inquit, vos eſtis illi Romani, qui decem qui-
„ dem linguis, ſed una fraude utimini? Qui apud vos regnat,
„ mihi debitas perſolvet pœnas. Dum enim mecum amica ver-
„ ba loquitur, factus eſt confæderatus (*a*) Varchonitarum, qui
„ a noſtris ſervis, eorùm dominis, (indicabat autem Abaros)
„ defectionem moliti ſunt. *Οἱ μὲν Οὐαρχωνῖται, ἅτε κατήκοοι τούρκων*, & Varchonitæ quidem, tamquam Turcorum ſubditi,
„ quum voluero, ſimulatque in me proſilierint, ſi meum equi-
„ tatum conſpexerint, flagellum in ipſos immiſſum aufugient,
„ & in interiora terræ ſe abdent: ſi conſiſtere auſi fuerint, cæ-
„ dentur, ut par eſt, non gladiis, ſed formicarum inſtar conte-
„ rentur unguibus equitatus noſtri, & perimentur: & Varcho-
„ nitis quidem res ſunt in tuto. Vos autem Romani, quid eſt,
„ quod legati, quos ad me mittitis, per Caucaſum iter inſtituunt,
„ & dicitis, alio iter non eſse? Id, ut vere dicam, facitis, quo
„ me a vobis invadendis propter itineris difficultatem avertatis.
„ Sed tamen ego eximie ſcio, qua Danapris fluvius, qua Iſter,
„ qua Hebrus fluit & labitur, qua tranſierunt in Romanorum di-
„ tionem Varconitæ ſervi noſtri, ut ipſam invaderent: neque
„ ego ſum neſcius veſtrarum virium. Omnis enim terra, quæ a
„ primis ſolis radiis incipit, quæque ultimis ſolis occidentis fini-
„ bus terminatur, mihi paret & ſubeſt „. Vobis, o miſeri, ob oculos ponite Alanorum gentem, atque adeo ipſas (*b*) Unigurorum tribus, *τὰ Ἀλανικὰ ἔθνη, ἔτι γε μὴν καὶ τὰ φῦλα τῶν οὐννιγούρων*. Hi excellenti fortitudine & audacia præditi licet, & do-
me-

a *Varchonitarum*. Græce *οὐαρχωνῖται*, vox compoſita ex *οὐάρ*, & *χουνοι*. Vide infra apud Theophylactum lib. 7. cap. 27.

b Ita Græc. Text. *οὐννιγούρων*. Menander de Abaris pag. 100. „ Quum igitur Va-
„ lentinus (a Juſtiniano legatus ad Abares miſſus) ad eos profectus eſſet, & munera
„ præbuiſſet, & mandata Imperatoris expoſuiſſet; primum quidem *οὐννιγούροις εἶτα ζάλοις οὔννικὸν φῦλον ἐξεπολεμήσαντο, καὶ Σαβίρους δὲ καθεῖλον*, Uniguros, Eizalos, Hunnicam gentem debellarunt, & Sabiros everterunt „. Legendum, *εἶτα ζάλοις*, poſtea Zalos. Sunt autem *Zali*, Phthirophagi: *Uniguri* autem iidem ac *Ongori*, *Ogori*, *Hugori*, & *Onogori*, ſive *Hungari*. Latinus interpres perperam hic vertit, *Utrigonorum tribus*.

meſticis copiis freti, contra invictam Turcorum gentem acie congreſſi, nihil quicquam eorum, quæ ſperaverant, conſequuti ſunt, & nobis parent, noſtrorumque ſervorum numero habentur.

XXII. A Turcorum Rege devicti Abares, Ephthalitæ, & Oguri, ſive Varchonitæ, Hunnicæ gentes.

Hæc a Turcorum Principe cum magno faſtu jactata, lucem accipiunt ex iis, quæ Theophylactus Simocatta lib. 7. cap. 7. & ſeq. narrat de legatione Chagani ad Mauricium Imperatorem miſſa de ſuis victoriis: ubi diverſas Hunnorum nationes ſibi ſubjectas enumerat., „ Æſtate hujus anni appetente Chaganus (*a*) in Oriente „ a Turcis celebratus, legatos ad Mauricium Imperatorem mittit, cum Epiſtola, in qua de triumphis ſuis gloriatur. Inſcriptio „ ad verbum talis erat. Imperatori Romanorum, Chaganus magnus Deſpota ſeptem gentium, & dominus ſeptem Mundi climatum. Sane Principem gentis Abdelarum qui aliter (*b*) Nephthalitæ, *τὸν ἐθνάρχην τῶν Ἀβδελῶν, φημὶ δὴ τῶν λεγομένων Νεφθαλιτῶν*, bello hic Chaganus ſubegit, ſibique imperium „ illud vindicavit. Ea victoria inflatus, & Stembiſchada ad armorum ſocietatem adjuncto, Abarum quoque nationem in ditionem ſuam redegit. Nolim autem quemquam opinari, me hujus temporis res mala fide commemorare, dum ſentit, Abaros „ eſſe barbaros illos, qui in Europa & Pannonia ſedes habent, „ eoque ante Mauricii tempora advenerunt. Falſo enim id nomen barbari Iſtrum accolentes uſurpant. Unde porro & illis „ genus, infra dicetur. Ergo devictis a Chagano Abaris (ſurſum „ enim redeo) alii eorum ad Taugaſtenſes confugerunt, *οἱ μὲν πρὸς τοὺς κατέχοντας τὴν Ταυγάς, παραγίνονται*: (eſt autem „ Taugas Turcorum nobilis colonia; ſtadiis mille quingentis ab „ India diſtans, cujus indigenæ & ſtrenuiſſimi, & frequentiſſimi, „ & præſtantia quovis populo in orbe terrarum ſuperiores) alii,

„ *ἕτεροι*

a Hunnice ſive Tureice *Chakan*, ideſt, Rex, Imperator.

b *Nephthalitæ*. Procopio *Ephthalitæ* lib. 1. Bell. Perſico cap. 3. *Poſt hæc Rex Perſarum Perozes cum Ephthalitis Hunnis, quos Albos vocant, de regni finibus aggreſſus bello contendere, exercitum contra illos florentem duxit. Porro Ephthalitæ & genus & nomen Hunnorum participant, licet cum Hunnis quos novimus, nullum ipſis commercium intercedat. Haud enim eorum confines ſunt, neque accolæ: ſed Perſarum a Septentrione, ubi eſt Gorgo urbs ad oram ſita extremam Perſidis*. Cætera. Menander de Abaris pag. 106. *Initio quarti anni Imperii Juſtini Legatio Turcorum Byzantium acceſſit. Ut enim Turci opibus & potentia creverunt, Sogdoitæ qui prius quidem Ephthalitarum, tunc vero Turcorum ſubditi erant &c.* Theophanes Byzantius in excerptis Photianis pag. 21. edit. Pariſ. etymologiam nominis tradit. *Ephtalanus Ephthalitarum Rex, a quo & appellationem univerſum genus traxit, Perozem & Perſas quum viciſſet, ſubmoti his locis Perſæ, rerum vero potiti ſunt Ephthalitæ, quos poſt paulo Turci prælio ſuperantes, his etiam finibus pepulerunt.*

Digitized by Google

„ ἕτεροι τῶν Ἀβάρων, propter amiſſam libertatem humiliorem
„ ſortiti conditionem, πρὸς τοὺς λεγομένους Μούκρι, ad Mucritas qui
„ dicuntur, Taugaſtenſibus viciniſſimos, ſe contulerunt. Erat
„ hæc gens ad prælia ineunda tum propter quotidiana belli exer-
„ citia, tum propter tolerantiam in periculis, eximio animorum
„ robore prædita. Aggreſſus eſt & aliud facinus Chaganus, καὶ
„ τοὺς ὀγὼρ ἐχειρώσατο πάντας, & Ogor gentem totam domuit,
„ Fuit hæc gens tum numero, tum armorum exercitatione vali-
„ diſſima. Hi in Oriente ad fluvium (*a*) Til, Τὶλ, accolunt,
„ quem Turci Μέλανα, *Nigrum* appellare ſolent. Οἱ δὲ τοῦ τοῦ
„ ἔθνους παλαιότατοι ἔξαρχοι οὐάρ, καὶ χουννὶ ὠνομάζοντο, ejus
„ vetuſtiſſimi Principes Var, & Cheunni vocabantur, a quibus
„ etiam nonnullæ illarum gentium adeptæ ſunt appellationem,
„ ut (*b*) Var, & Chunni nominarentur. *Et cap.*8. Juſtiniano
„ porro Auguſto Imperium obtinente, ex hiſce gentibus Var,
„ & Chunni exigua pars a primævo genere illo profugiens, in Eu-
„ ropam ſe intulit, qui ſe Abares, & Principem ſuum Chaga-
„ num honoris cauſa nominarunt. Qua vero occaſione nomina
„ commutarint, nihil a veritate abeuntes explicabimus. Σαρσὴλτ,
„ καὶ οὐννυγοῦροι, καὶ Σαβῖροι, ἐννικά τε πρὸς τούτοις ἕτερα ἔθνη, Sar-
„ ſelt, & Unnuguri (*c*), & Sabiri, & inſuper aliæ gentes Hun-
„ nicæ, poſtquam partem Var, & Chunni ad loca ſua confugien-
„ tem viderunt, ingenti metu perculſæ ſunt, quod advenas il-
„ los Abaros eſſe ſuſpicarentur. Quocirca ſecuritati conſultum
„ cupientes, donis ampliſſimis eos coluerunt. Var itaque, &
„ Chunni, ut perfugium ſibi feliciter eveniſſe animadverterunt,
„ errorem ſeſe honorantium non aſpernati, Abares dici volue-
„ runt. Etenim inter gentes Scythicas ingenio omnibus antecel-
„ lere Abares exiſtimantur. Nimirum etiam uſque ad noſtram
„ *ideſt ad annum Chriſti circiter* 628.) οἱ ψευδάβαροι, Pſeuda-
„ bares (ſic enim magis proprie appellari debent) generis ori-
„ gine diſtincti, alii Var, alii Chunni, veteri nomine dicuntur.
„ Quoniam ergo de Pſeudabaris breviter diſſeruimus, quæ de hi-
„ ſtoria ſequuntur, ſcribere proſequamur. Ogor (*d*) magna ope
„ de-

a *Til*, *Edel*, *Etel*, Tartarico: *Wolga*, Slavice: *Rha*, Græce & Latine.

b Hinc Varchonitæ ſupra in Legatione Valentini ad Turcos. Cantoclarus fallitur, dum Varchonitas eſſe putat *Argonitas*.

c In textu, perperam, *οὐννουγοῦροι*

d *Ogor*, & *Colch*. In excerptis Photii, mendum irrepſit: nam pro Ἀγὰρ habetur Ὀγὼρ; ita ut Latinus interpres ſic reddiderit: *Ut Agarenorum ad hæc, & Colchorum* gen-

Digitized by Google

„ debellatis, Colch gentis principem Chaganus gladio ſuſtulit.
„ Ex qua gente cæſa bello ter centena millia, ut cadaverum con-
„ tinuata ſeries dierum quatuor viam occuparet. Hunc igitur in
„ modum victoria Chagano inſigniter arridente, civile inter
„ Turcos bellum exarſit. Vir quidam vocabulo Turum, cum
„ Chagano cognitione conjunctus, res novans, copias ingentes
„ contraxit, collatiſque cum eo ſignis, ſuperior diſceſſit. Cha-
„ ganus alios tres Chaganos ſibi per legatos adjungit, quibus no-
„ mina propria fuerunt Sparzeugun, Cunaxolan, Tuldich. Uni-
„ verſis itaque copiis ad Icar, locum latis in campis ſitum, con-
„ ſtitutis & inſtructis, adverſariiſque ibidem fortiſſime dimican-
„ tibus, tyrannus occumbit, ejus agmen fugæ ſe dat, & Chaga-
„ nus magna cum cæde ditionem in poteſtatem reducit. Harum
„ victoriarum lætitiam Chaganus Mauricio per legatos ſignifica-
„ vit. *Et paucis interjectis*. Per idem tempus οἱ Ταρνιὰχ καὶ οἱ
„ Κοδζαγηροὶ, καὶ οὗτοι δὲ ἐκ τῶν οὐὰρ καὶ χουννὶ, & Tarniach,
„ & Cotzageri (hi populi etiam ex Var, & Chunni gen-
„ tibus erant) a Turcis profugi, Europam immigrant, & Aba-
„ ribus Chagano ſubjectis ſe admiſcent. Traditum eſt etiam, Za-
„ bender ex Var, & Chunni propagatos. Qui ad Abaros acceſſe-
„ runt, eos ad decem millia fuiſſe plane compertum eſt „. Per-
git deſcribens, Chagani Turcorum Principis fœdus cum Tauga-
ſtenſibus ictum: a Chagano vero Abarum, ruptam cum Romanis
pacem, & comparato ingenti Abarum exercitu, Singidonis mœ-
nia ab eo diruta, traductum in Dalmatiam exercitum; urbemque
ibi & quadraginta caſtella expugnata; Tomeam Thraciæ urbem
obſeſſan; Driziperam captam, ædem S. Alexandri Martyris in-
cendio abſumptam, ejuſque monumentum argento ornatiſſimum
nefarie ſpoliatum, & ſacrum corpus inde indigniſſime ejectum:
poſtremo immiſſa divinitus ſæva peſtilentia, ſeptem Chagani filiis
uno die ſublatis, miſſa ad placandum Chaganum legatione, pa-
cem factam cum hiſce conditionibus: *Poſtridie pace firmata, do-
mum redit, hæc ad verbum eo ſuccinente: judica Deus inter Mau-
ricium & Chaganum, inter Abaros & Romanos. Accuſabat enim
Imperatorem ruptæ pacis, nec mentiebatur. Revera namque Ro-
mani pace male conſervata, & bello irritato, prædictas ſibi cla-
des accerſebant: etenim principia non bona, pernicioſo exitu con-
clu-*

gentem, trecentorum millium ſtrage ceciderit. Atqui non de Agarenis, ideſt Arabibus, hic ſermo eſt, ſed de *Ogoris* populis Scythiæ Orientalis, Hunnici generis.

cluduntur. Ex pacto autem Iſter ad Romanorum Abarumque fines dirimendos conſtituitur, & poteſtas ejuſdem contra Sclavos trajiciendi conceditur. Præterea denuo vicena aureorum millia antea pactis adduntur. Atque hoc ſane modo bellum inter Abaros & Romanos profligatum eſt. Additur & hoc in excerptis Theophylacti de Legationibus ad Romanos pag. 190. *Chaganum ſcilicet Legatos miſiſſe ad Imperatorem Mauricium de captivis recipiendis: erant ea millia ſeptendecim cum ducentis: Mauricium autem per tabellarium Priſco mandaſſe, ut captivos redderet Chagano Abaros.* Sed de his, quæ ſub Mauricio geſta ſunt, poſtea ſermo redibit.

CAPUT X.

Abarum Hunnorum res geſtæ.

1. Abàres Varchonitæ, dicti Pſeudabares: qui nimirum Pannoniam poſteà obtinuerunt.

ITaque ex iis, quæ ſupra ſunt recitata, colligitur, duplex fuiſſe Abarum genus: alios nimirum Scythiæ Aſiaticæ accolas ſupra Sogdianam & Bactrianam, Abares dictos, & Hunnos, quos Chaganus Turcorum deviciſſe dicitur, quique ſub Mauricio Imperatore ab eodem Chagano devicti, perhibentur partim ad Taugas, partim ad Mucri migraſſe, nimirum ultra Volgam fluvium ad populos inter orientem & boream ſedes habentes perrexiſſe, & Ogoris, genti Hunnicæ ad Til, ideſt, Etel, ſeu Volgam habitanti, vicinos fuiſſe. Alios vero ex primo quidem illo Abarum genere exortos, ſed a vetuſtiſſimis ſuis Principibus Var, & Chunni, Varchonitas appellatos, Juſtiniano imperante (*a*) in Europam profugientes, ſibi ipſis nomen Abarum, & Principi ſuo titulum Chagani impoſuiſſe. De primis Abaribus loquitur Theophylactus loc. cit. & Valentinus Tiberii Cæſaris legatus in Excerptis. Poſteriores Abares deſignat idem Theophylactus, dum eos vocat Pſeudabares: deque iis diſſerunt quotquot Scriptores res ab Abaribus in Pannonia, Illyrico, & Dalmatia geſtas literis tradunt. Vt de his quidem Abaris hiſtoriam ſcripſit Menander Protector inſcriptam, περὶ τῶν Ἀβάρων, *de Abaris*, ubi primum pag. 99. & ſeq. narrat, a Bajano eorum Rege miſſos Legatos ad Juſtinianum Imp. qui nunciarent, Abaros eſſe genus hominum invictum & inexpugnabile, qui ejus omnes hoſtes repellere & funditus extin-

a Hæc Abarum legatio ad Juſtinianum refertur a Theophane ad annum ejus Imperii 31. Chriſti 557. A Victore vero Tununenſi ad annum Juſtiniani 37. Chr. 563.

Digitized by Google

tinguere poſſet: illius proinde rationibus valde conducere, cum eis armorum ſocietatem facere, & auxiliarios ſibi habere, qui tamen non alia conditione erga Romanos benevolo futuri eſſent animo, quam ſi donis pretioſis, annuis etiam penſionibus, & fertili regione quam inhabitarent, donarentur. Annuit Imperator, & ſtatim dona ad Legatos miſit, catenas auro variegatas, & lectos, & ſericas veſtes, & alia quamplurima. Quum vero iidem Abarum legati (poſt devictos ab ipſorum Rege Bajano Unnoguros, Zalos, & Sabiros, Hunnicam gentem) ab ipſo Juſtiniano poſtulaſſent, ut ſibi liceret circumſpicere terram, in qua eorum gens ſedes & domicilia poneret (habitabant enim tunc temporis trans Iſtrum) Imperator quidem, ut hæc Juſtinus Dux ſibi ſignificat, apud ſe conſultavit an gentem collocaret in ea terra, ubi prius habitabant (*a*) *οἱ ἔλυροι* (*δευτέρα δὲ προσαγορεύεται Παιονία*) Eluri (ſecunda (*b*) Pannonia vocatur). Et Imperator, ſi illis videretur, annuit. Sed Abari Scythia (*c*) ſibi exeundum non cenſuerunt. Etenim illius deſiderio, quoad ejus fieri poterat, tenebantur. Hoc igitur non ſucceſſit. Veruntamen Juſtinus Dux ſignificavit Imperatori, Abaros aliud in ore habere, & aliud ſentire: eos fraudi ſuæ obtendere ſermones officio plenos, dum Iſtrum trajiciant: quem tamen ſimul atque trajecerint, nihil eſſe illis deliberatius, quam omnibus copiis in bellum erumpere. Quare ejuſdem Juſtini monitu, Imperator Legatos quamdiu potuit, Byzantii retinuit: nec enim Abari Iſtrum tranſmiſſuri erant, priuſquam legati dimitterentur. Ubi igitur Abarum legati nihil profecerunt, quantum ad ea, quæ ab Imperatore petitum venerant, munera, ut conſuetum erat, acceperunt, nec non ea quæ ſibi opus erant compararunt; arma etiam emerunt, & ita dimiſſi ſunt; verum Imperator ſecreto mandavit Juſtino; ut quacumque ratione poſſet, in reditu arma illis eriperet. Itaque Dux quum legatos ad Iſtrum excepit, Imperatoris mandata eſt exequutus. Hinc cœperunt inter Romanos & Abares inimicitiæ, multis antea ex cauſis accenſæ; maxime quod non ſtatim legati eorum dimiſſi t eſ-

a *Eluri*. Ita Græci vocant Herulos, Gothicam gentem.

b *Pannonia*. Græcis dicta *Pæonia*.

c *Scythia*. Non quidem Aſiatica, ſed ea Moeſiæ inferioris pars eſt, quæ inter Pontum, Iſtri oſtia, & Hæmum montem ſita, etiam *Pontus* dicta fuit, ut urbs *Tomi*, Metropolis Ponti in nummo Caracallæ vocatur: poſteriori ævo provincia heic nova conſtituta, & Thraciæ adjecta fuit, quæ *Scythia* a Scythis & Gotis incolis appellabatur, licet maritimæ pleræque urbes eſſent Græcorum coloniæ. De Getis vero habitatoribus plena ſunt Ovidiana carmina.

eſſent. Non tamen Abares Iſtrum tranſmiſerunt, dum Juſtinianus in vivis fuit, uti ſupra ex Evagrio lib. 5. cap. 1. retulimus.

II. Abarum geſta ſub Juſtino Imperatore.

At vero Juſtino juniore poſt Juſtinianum imperante, quum Legati (*a*) Abarorum Byzantium veniſſent, ut conſueta munera acciperent, quæ Juſtinianus conferre erat ſolitus, & majora etiam ſe accepturos putarent, dicentes; *Adſumus qui conſueta munera accepimus: ſed ſcito non aliter fieri poſſe, ut noſter Dux Romanorum Reipublicæ ſit amicus, quam ſi tanta præmia ſumat, ut illi movere contra Romanos arma in mentem non veniat*: quum hæc, inquam, Legati Abarorum dicerent, Juſtinus vehementer commotus: *Abite*, inquit, *qui magni pretii rem a nobis obtinetis, quod vobis ſalvis & incolumibus licet vitam peragere, & pecuniarum loco, quas a Romanis accipere vultis, noſtri timorem & metum ad ſalutem veſtram convertite & reportate*. Quamobrem viſum Abaris eſt, a Romanis diſcedere, & ad ſuos contribules ſe recipere: itaque ab Imperatore profugientes & terga vertentes, in Francorum regionem abierunt: & fœderibus invicem initis, quum pax firma inter eos eſſet, Bajanus Abarorum Dux ſignificavit Sigiberto (*b*) Francorum Regi ſuum eſercitum commeatus inopia laborare: decere eum, qui Rex eſſet, & in patrio ſolo conſtitutus, minime negligere exercitum ſibi fœdere conjunctum. Promittebat autem, ſi exercitum Abarorum neceſſariis rebus recreaſset, ſe tertio die caſtra moturum, neque longiori tempore in his locis commoraturum. Hæc ubi Sigiberto ſunt nunciata, ſtatim legumina, oves, & boves, ad Abaros miſit. Interea Alboinus Langobardorum Rex, qui propter inimicitias quas cum Cunimundo Gepidarum Rege exercebat, opes Gepidarum quacumque ratione ſibi evertendas ducebat, legatos ad Bajanum Abarorum Ducem miſit, quibus eum ad armorum ſocietatem adhortabatur, inquiens: ne ſe contemneret, qui nefanda omnia a Gepidis paſſus erat, quin etiam & a Romanis, Abarorum genti quam infeſtiſſimis, qui Gepidas bello juvaſſent: neque ſe tam ardenti ſtudio in Gepidas bello ferri, niſi ut Juſtinum labefaceret Regem omnium Abaris inimiciſſimum. In fœdera non ita dudum cum Juſti-

a *Abarorum legati*. Pagius de hac legatione ad ann. 566. num. 4. ubi oſtendit, eam anno ſuperiore peractam.

b Sigiberto Francorum Regi Paulus Diaconus lib. 2. cap. 10. poſtquam bellum Francos inter & Abares commiſſum narraſſet, ſubjungit, Abaribus victis pacemque petentibus Sigebertum pacem dediſſe.

Digitized by Google

ſtiniano ejus avunculo tranſacta pro nihilo habens, Abaros conſuetis muneribus privaverat. Adjecit Alboinus: ſi cum Langobardis Abari ſe conjungerent, fore ut invicti eſſent, & Gepidis exterminatis, eorum opibus & regione communiter potirentur; tum in poſterum tota Scythia ſubacta, beate vitam traducerent: inde facile illis fore, Thraciam occupare & ex vicinis locis moventes, minimo negotio Romanorum regiones armis percurrere, & Byzantium uſque ferri. Dixerunt quoque Langobardorum legati, Abares expedire Romanos pugna prævenire. Bajanus legatos quidem Langobardorum excepit; ſed quum ſe in omnes partes dicendo verſaret, magna cum difficultate ſtatuit eorum petitioni aſſentiri, non alia tamen conditione, quam ſi decimam partem quadrupedum, quæ tunc temporis apud Langobardos eſſent, confeſtim acciperent; ſi ſuperiores evaderent, dimidium manubiarum, & tota Gepidarum regio ejus juri cederet. Atque hæc quum ita conventa eſſent, bellum inferre Gepidis deinceps ſtatuit. Hæc Menander de Abaris: ex quibus mirifice illuſtrantur quæ ſupra ex Paulo Diacono lib. 1. cap. 27. de Langobardis & Gepidis narrata ſunt: conſtat enim ex his, bellum Langobardos inter & Gepidas commiſſum, cujus hic fit mentio, non ann. 547. aut 551. uti Sigebertus & Pagius opinantur, contigiſſe, ſed anno ſaltem 567. aut ſequenti, quo Juſtinus junior imperabat. Pergit porro Menander pag. 114. de Bajano Abarum Duce in Romanorum ditionem juxta Alboini conſilium irrumpente. *Itaque juſſit, dena millia* τῶν Κοντριγύρων *Contrigurorum, qui dicebantur Hunni, trajicere fluvium Saum & vaſtare Dalmatiam; ipſe vero cum omni ſuo exercitu tranſmiſſo Iſtro, in finibus Gepidarum ſubſtitit. Venit denuo Tragitius* (Bajani Legatus) *ut legatione fungeretur apud Imperatorem. Eadem vero dixit Imperatori, & audivit ab Imperatore, quæ ante Imperatori dixerat, & quæ a ſe dictis ab Imperatotore reſponſa tulerat. Petebat enim a Romanis ſibi tradi Sirmium oppidum, tamquam quod eſſet ſua privata & domeſtica poſſeſſio. Et quia ab ipſo Gepidarum res eſſent everſæ, neque quicquam præteritis annis ex pecuniis, quas Juſtinianus Hunnis quotannis pendebat, acceperant, omnes ſimul Targitius perſolvi, & ita in poſterum earum annuas collationes valere, & eas Romanos præſtare flagitabat. Uſdibadum quoque poſcebat, tamquam qui ſuus captivitatis jure & lege eſſet:* Poſt multas altercationes, Imperatore nihil eorum quæ ab Abaribus petebantur concedente, *belli-*

Digitized by Google

cum cani cœptum eſt : Tiberius , qui (a) *a Juſtino ſummum in exercitu imperium acceperat , literis Bonum Romanorum Ducem admonuit , ut diligentem fluvii Iſtri cuſtodiam faceret . Tiberio victo , & victoria potitis Abaris , conventum eſt , legationem per inducias ad Imperatorem mitti . Tandem fœdus inter Romanos & Abaros eſt factum.* Quod tamen uſque ad quartum Tiberii annum duraſſe perhibetur. Cur autem ſub Juſtino Tiberii deceſſore Bajanus Abarum Chaganus tam inſolenter bellum Romanis moverit, cauſam non exprimit Menander. Colligitur tamen ex hiſce Pauli Diaconi verbis de Langobardorum in Italiam, impreſſione lib.2. cap.7. *Tunc Alboin ſedes proprias, hoc eſt, Pannoniam, amicis ſuis Hunnis contribuit, eo ſcilicet ordine, ut ſi quo tempore Langobardis neceſſe eſſet, ſua rurſus arva repeterent.* Ad hanc neceſſitatem redacti non ſunt Langobardi; quippe qui Italico Regno comparato, ibi ſedes fixerunt. Quamobrem Hunnis Abaris ab anno 568. quo Langobardi e Pannonia in Italiam migrarunt, tota Pannonia ceſſit. Hinc incredibilis in Romanos audacia.

III. Abarum geſta ſub Tiberio Imp.

Juſtino ſublato, quum Tiberius exeunte anno 578. Imperator inauguratus fuiſſet, *circa quartum quidem ejus annum* Menandro teſte pag. 124. *centum fere millia Sclavorum in Thraciam irruperunt, & Thraciam multaſque alias regiones prædati ſunt; Bajanus vero Abarorum Chaganus*, eodem auctore pag. 126., *Targitium ad Imperatorem, qui præſtari ſolita ſtipendia exigeret, miſit (erant autem octoginta millia nummorum, quæ quotannis pendebantur) & ubi de mercede cum his, qui pecunias deferrent, conveniſſet, auro ablato rediret.* At Barbarus, etſi nulla illi præbita eſſet occaſio aut cauſa, ne falſam quidem accuſationem in Romanos comminiſci dignatus, impudentiſſime (qui barbaris mox

a *Tiberius.* Hanc Abarum impreſſionem Theophanes ad ann. Juſtini IX. ponit, his verbis. *Hoc anno in provincias Danubio conterminas graſſati ſunt Abares : quo cognito, Tiberium excubitorum Comitem adverſus eos miſit Imperator. Pugna cum Abaribus commiſſa, Tiberius ex improviſo ab hoſtibus oppreſſus, ſuperatur.* Cedrenus ad annum Juſtini IX. *Abares ad Danubium venerunt, ac vicerunt Romanos.* Vide Pagium ad annum 574. num.2. ubi hanc Abarum pugnam unacum Baronio ad eum Chriſti annum ponit. In Biclarienſi Chronico ad ann.569. aliud Abaricum bellum narratur in quo dicitur *Tiberius victor Conſtantinopolim rediſſe.* Verum, ut recte monet Pagius ad eundem ann. num.4. *Quum hæc Tiberii de Abaris victoria in nullo Scriptore Byzantino legatur, ſuſpicor eam commentitiam eſſe : adeoque, pro Victor Tiberius Conſtantinopolim rediit,* puto legendum, *victus* : idque proinde bellum ad annum Juſtini IX. h. e. Chr.574. reponendum. Baſnagius toto cœlo errat, dum ad ann.569. num.4. id bellum cum *Bulgaris* geſtum ſcribit. Abares enim Hunni ſunt, non Bulgari. Biclarienſis tamen Chronico videtur ſuffragari Corippus, qui Tiberianam victoriam ſic cecinit. *Barbara gens Avarum, in media ſupplex defuſis crinibus aula, exorat pacem, nec fidere millibus audet.*

Digitized by Google

mox eſt) fœdera, quæ cum Tiberio initio ejus Imperii fecerat, rupit, & cum omni exercitu movens, inter Sirmium oppidum & Singidonem caſtra ponit, & fluvium (a) ponte jungere ſuſcipit: nam multa vectoria graviaque navigia in Iſtro per ſuperiorem Pannoniam coëgit, quæ hominibus armatis & remigibus inſtruxit: ita per Sirmianam inſulam cum omnibus Abarorum pedeſtribus copiis curſum tenuit, & ad Saum pervenit. „ Hoc conſpecto ap-
„ paratu Romani, qui in urbibus in ea parte ſitis habitabant,
„ quum ſuis rebus a proditione timerent, vehementer ſunt per-
„ turbati. Erat Sethus Singidone Præfectus. Is ad Chaganum
„ miſit, qui ex ipſo quæreret, quoniam pax & amicitia illi cum
„ Romanis eſſet, quid ſibi vellet, quod ad Saum veniſſet. Ille
„ non ut quicquam mali machinaretur, pontem ſtruere ait, ſed
„ ut contra Sclavinos expeditionem ſuſciperet; ſe, tranſmiſſo
„ Savo, Romam iturum: (*fœderatis ſcilicet Langobardis opem*
„ *laturus:*) inde ſibi in animo eſſe, multis ad trajectionem ab
„ Imperatore Romanorum impetratis navibus, rurſus Iſtrum
„ trajicere. Ille quidem antea in gratiam Romanorum Impera-
„ toris hæc fecerat, & multa Romanorum millia, qui ſervitutem
„ apud Sclavinos ſerviebant, libertate donata Romanis reſtitue-
„ rat: *id quod Menander lib.* 8. *pag.* 164. *narrat in hæc verba*.
„ Vaſtata a Sclavinis Græcia, quum undique alia ex aliis pericula
„ imminerent, & exorirentur, neque Tiberius ſatis copiarum
„ haberet, quibus cum una parte hoſtium, nedum cum toto ho-
„ ſtili agmine, manus confereret, neque in ejus poteſtate eſſet
„ hoſtibus obviam ire, propterea quod Romanorum vires ad
„ Orientis bellum converſæ erant; legatum miſit ad Bajanum
„ Abarorum Ducem. Is tunc temporis non erat erga Romanos
„ male animatus, imo quo tempore primum Tiberius Imperium
„ ſuſcepit (*anno ſcilicet* 578.) jure Reipublicæ noſtræ frui cu-
„ piebat. Mittebat autem ad illum, ut ſuaderet cum Sclavinis,
„ *κατὰ σκλαβηνῶν*, bellum facere, quo illos ſi forte deſiderium
„ caperet Romanorum terras invadere, ad ſua defendenda pro-
„ priis

a *Ponte*. Paulus Diac. lib 4. cap. 21. ſcribit, Agilulfum Langobardorum Regem Chagano Abarorum miſiſſe artifices ad faciendas naves, cum quibus idem Chaganus inſulam quandam in Thracia expugnavit. At id factum contigit anno 587. nimirum ſex fere annis poſt iſtam, de qua ſermo eſt, Sirmianam obſidionem. Cæterum de Ponte ab Abaribus extructo ſub Tiberio, hæc Zonaras pag. 73. *Chaganus Abarum Dux a Tiberio fabros petiit, qui ſibi balneas ædificarent: iis miſſis Pontem in Danubio ſtruere coegit artifices, ut flumen citra periculum trajicere, & Romanas provincias populari poſſet.*

Digitized by Google

,, priis malis revocaret, & quum patriæ ſuæ opitulari Sclavini
,, potius ducerent, rapinas agere ex Romanæ ditionis terris ceſ-
,, ſarent. Hac igitur legatione ad Bajanum a Cæſare decreta, ei
,, nequaquam non obtemperavit. Ad ea procuranda Joannes mit-
,, titur. Huic tunc inſularum, quæ in eo tractu erant, præfectura,
,, & Illyricarum urbium adminiſtratio erat demandata. Is quum
,, Pannoniam (ἐν παιονίᾳ τῇ χώρᾳ) acceſſiſſet, Bajanum & Aba-
,, rorum copias in Romanorum ditionis terras tranſtulit, & ol-
,, cadibus quæ longæ appellantur, barbarorum exercitum tradu-
,, xit. Erant, ut fertur, fere ad quindecim equitum armatorum
,, millia, quæ ubi tunc tranſmiſit, rurſus per Illyrium duxit, &
,, Scythiam verſus iter tendens cis Iſtrum navigiis, quæ utrinque
,, puppim habebant, reportare inſtituit. Bajanus in ulteriorem
,, fluminis ripam tranſgreſſus, vicos & pagos Sclavinorum igni
,, ferroque vaſtavit: & quum nemo barbarorum auderet cum il-
,, lo manus conſerere (etenim in ſilvas & cavernas aufugerant)
,, omnia quæ potuit rapuit. Atque huic Abarorum in Sclavinos
,, eruptioni non ſola Cæſaris legatio cauſam dedit, aut quod Ba-
,, janus Romanis gratiam referre vellet, quod eum Cæſar libe-
,, raliter proſequutus fuerat, ſed etiam cum privatæ inimicitiæ
,, movebant, quia Bajanus erat Sclavinis privatim infenſus. Mi-
,, ſerat enim Abarum Dux πρὸς Λαυρέντιον, ad Laurentium
,, Sclavinorum Ducem, & eos qui apud gentem auctoritatem
,, habebant, ut Abaris dicto audientes eſſent, & eorum numero
,, ſe adſcribi ſinerent, qui tributa illis pendebant. Λαυρίτας δὲ,
,, at Laurentius, & gentis Principes: quis hominum, inquiunt,
,, eſt, qui Solis radiis tepeſcit, qui noſtram potentiam poſſit ſibi
,, ſubigere & domare? Aliorum enim regionis dominatum acqui-
,, rere ſolemus, non alii noſtræ: qui dominatus nos certo manet,
,, donec erunt bella & enſes. Ad hunc modum ſuperbe & arro-
,, ganter loquentibus Sclavinis, non minori ſuperbia & arrogan-
,, tia erga eos Abari ſunt uſi. Hinc in proba & convicia itum, &
,, ut barbarorum eſt ferox & impotens ingenium, in rixas & con-
,, tentiones inter ſe præcipites ferri. Sclavini quum iræ mode-
,, rari nequirent, Legatos qui ad ſe venerant, occiderunt. Hæc
,, audita nimirum Bajanum abalienarunt. Accedebat, quod
,, multum auri ſe in eorum regione reperturum ſperabat, quia
,, vicinas Romanorum terras, quas nunquam ulla alia gens atti-
,, gerat, deprædati fuerant. ,, Hæc igitur Bajanus Abarorum

Dux

Digitized by Google

Dux in gratiam Romanorum antea contra Sclavinos egerat, multaque captivorum millia, libertate donata, Romanis reſtituerat. *Nunc vero* (ut ad id, quod ſupra ex Menandro pag. 127. exſcribebam, redeam:) „ dicebat Bajanus, ſe a Sclavinis injuria affe- „ ctum, quia nollent tributum quotannis conventum, & per „ eas partes indictum ſibi ſolvi, tum etiam quia Abarorum Le- „ gatos a ſe miſſos ſuſtuliſſent: & eam eſſe cauſam, cur ad Saum „ conſediſſet. Itaque Sethum excipere juſſit Legatos, quos ad „ Imperatorem mittebat, qui peterent, ut ſibi in Sclavinos tra- „ jecturo naves per Iſtrum præpararet. Adjecit ſe per ea, quæ „ & apud Romanos & Abaros ſanctiſſima habentur, paratum ju- „ rare, nullum damnum cogitare aut Romanis, aut oppido Sir- „ mio inferre; ſed tantum, quo ſibi aditum ad Sclavinos pate- „ faciat, pontem facere inſtituiſſe „. Pergit Menander longas Bajanum inter & Romanos rixas deſcribens quoad ſtructum ab Abaris pontem, & Sirmium obſidione cinctum: ajebat enim Bajanus „ ſe neque donis, neque denunciationibus, neque ulla alia „ re moveri poſſe, ut deſiſtat ab incepto neque quieturum, „ donec urbem ceperit, & omnem Sirmianam inſulam, in ea „ habitatoribus & colonis collocatis, propriam ſibi fecerit: ſe- „ que jure id facere, quia Gepidarum prius hæc inſula fuit, quo- „ rum res & urbes juſtius Abari ſibi vindicare poſſunt, qui eos de- „ vicerunt, quam Romani „. Tandem poſt arctam Sirmii obſidionem, eo res devenit, ut Tiberius Imperator ſatius duxerit, urbem Bajano tradere. *Romani & Abari*, inquit Menander lib. 8. pag. 174., *per tres dies in expectatione decertandi fuerunt; ſed quum Romanorum copiæ longe imbecilliores eſſent, neque ullæ apparerent, quæ pontem, qua itur in Dalmatiam, tametſi parum munitus eſſet, oppugnarent, Apſichus & qui cum eo erant Abari, qui illic prius ad pontis cuſtodiam conſederant, tam parvi Romanos facere demonſtrarunt, ut ad alium pontem ſe conferrent, per quem alias copias copiis Bajani adjicerent. At qui in Sirmio erant, ingenti fame oppreſſi, cibis nefandis ſe ſuſtentabant, propterea quod hoſtes pontem in Sao fecerant, & trajectionem impediebant. Præterea Salomon, qui tunc temporis Sirmio præerat, parum diligenter res adminiſtrabat, neque ſe ullum rei militaris uſum habere oſtendebat. Itaque cives & urbis incolæ minime duris rebus aſſueti, ejulare, & quum ad extremas ſpes redacti eſſent, omnium iſtorum malorum cauſam in Duces Romanos rejiciebant. Poſtremo*

Theo-

Digitized by Google

Theognis paucitate militum laborabat. Hæc ubi Tiberius didicit, potius eſſe duxit urbis deditionem facere, quam civium multitudinem in captivitatem & ſervitutem unacam urbis amiſſione abduci ſinere: itaque per literas juſſit, Theognidem bellum conventionibus ſolvere, ut liceret omnibus, qui in urbe habitabant, ſalvis & incolumibus ea exire, neque quicquam ſuarum rerum inde aſportare, præter victum & indultum indumentum unum. Itaque in has conventiones conſenſerunt, & bellum his conditionibus deſiit: Ut Romani Abaris Urbem dederunt, & Abari Romanis omnem, quæ in ea erat multitudinem, abſque his quæ unuſquiſque eorum in bonis habebat, concederent. Exigit etiam Chaganus trium præteritorum annorum aurum, quod non acceperat, & illi Romani ſolvere ſolebant, ut armis abſtineret. Erant vero pecuniæ, quæ pro pace unoquoque anno pendebantur, ad mille octoginta nummi aurei. Præterea (a) unus ex his, qui ſub eo militabant, in Romanorum regiones fugerat, quia dicebatur adulterium cum Bajani uxore commiſiſſe. Hoc ſignificavit Theognidi, & ſibi transfugam reddi poſtulavit, ſeque cum non aliter paſſurum fœderum conditionibus frui. Theognis reſpondit, Romani Imperatoris ditionem longe lateque patere, in qua, propterea quod ampliſſima & vaſtiſſima eſſet, res difficilis inventu foret vir exul in ea errans, qui fortaſſe etiam jam periit. Ad ea Bajanus dixit: Jurent igitur Romani proceres, ſe perquiſituros, &, ſi transfugam repererint, non occultaturos, ſed omnino eum in manus Abarorum Monarchæ tradituros, niſi fato functus ſit, quod illi ſignificabunt. Sirmii deditio contigit paulo ante Tiberii mortem, uti teſtatur Theophylactus lib. 1. cap. 3. ideſt, anno 580. quemadmodum ex Menandro conſtat; qui ſirmio tradito ſcribit fœdus Romanos inter & Abares non ultra duos annos tenuiſſe: ruptum autem fuiſſe certum eſt primo Mauricii anno, ut ex dicendis patebit. Pagius ad ann. 581. num. 15. *Hoc vel ſuperiori anno Sirmium poſt longam obſidionem Abaris a Romanis traditum.* Abbas Biclarienſis ad annum 3. Tiberii Imperatoris, ideſt Chriſt 580. *Abares a finibus Thraciæ pelluntur, & partes Græciæ atque Panoniæ occupant.* Sirmium enim Pannoniæ oppidum fuit: Gepidæ autem illud olim obtinuerant, poſt Attilæ ſcilicet interitum.

Hæc

a Is Bolocalabra dicebatur, qui cum una e Chagani pellicibus congreſſus, timenque ne gravis pœnas lueret, ad Turcos confugere ſtatuerat. Sed in itinere captus a Romano Duce, ad Mauricium Imp. tranſmiſſus eſt, ut refert Theophylactus cap. 8. lib. 1.

Digitized by Google

IV. Abaricum bellum ſubMauricio Imp. in ſuos annos diſtributum. Anno Chr. 582.

Hæc Abares ſub Tiberio. Quæ vero Mauricio imperante contingere, fuſe narrant Menander & Theophylactus Simocatta, ex quibus cæteri Scriptores Græci ſua hauſerunt. Ac Theophanes quidem ad annum 1. Mauricii, qui erat Christi 582. *Eodem menſe* (Majo) *Abares, qui non multo ante Sirmium nobilem Europæ urbem occupaverant, decreta ad Mauricium legatione petiverunt, ut octoginta millibus annuæ diſtributionis, quæ ſibi a Romanis pendebatur, alia adhuc auri viginti millia adderentur: quam pecuniarum ſummam Imperator pacis conſervandæ ſtudio ſolvere non detrectavit. Elephantem etiam animal ex India adductum, ſibi ad ſpectaculum mitti poſtulavit eorum Princeps: & imperator maximum eorum quos habebat, ad eum miſit: qui ubi ipſum vidit, ſtatim ad Imperatorem remiſit. Præterea lectum aureum petiit: quem quum Imperator ad eum miſiſſet, ipſe donum parvi faciens, remiſit. Alia vero viginti millia centenis illis adjici poſtulavit: quod quum Imperator recuſaret; Chaganus expeditione ſuſcepta, Singidonem evertit, multaſque alias urbes Illyrici Præfecturæ ſubditas expugnavit, cepitque Anchialum: quin etiam Longum Murum evertere minatus eſt. Quamobrem Imperator Elpidium Patricium cum Commentiolo Legatos ad Chaganum deſtinavit: tum Barbarus pacem ex pactorum conditionibus ſe ſervaturum pollicetur.* Eadem verba apud Cedrenum ad annum 1. Mauricii: & ante utrumque apud Menandrum in excerptis (*a*) de Abaribus lib. 1. pag. 117. *Poſtquam in manus Hunnorum Sirmium oppidum devenit, ad fœdera ventum eſt, ut ab omni hoſtilitate ceſſaretur, quo facilius a ſolitudine & vaſtitate, quam bella fecerant, ſe reficerent. Fœderum vero conditiones Romanis turpes & probroſæ. Ad tantum enim malorum colophona res redactæ erant, ut Romani ſedentes, tamquam certaminum judices, pretioſa munera pro præmio cladis allatæ barbaris largirentur, & octoginta mille auri libras in emptionem argenti, & variæ veſtis, ſe illis ſingulis annis præſtaturos ſponderent. Non ultra duos annos fœdera tenuerunt. Etenim incredibili audacia in Romanos inſurrexit ab Hunnis dictus Chaganus. Etenim antequam fœdera dirimeret, fama ad eum perve-*

a Hæc Menandri narratio de Abarum Chagano, in excerptis ponitur loco non ſuo, nimirum ſub finem Imperii Juſtini junioris. Verum Henricus Valeſius Not. in hæc ipſa excerpta jam monuit, quæ ad nos pervenerunt hujus Auctoris fragmenta, eſſe confuſa ac perturbata: eo quod ex duobus manuſ. Codicibus a Davide Hoeſchelio eſt concinnata editio, Boico ſcilicet, & Andreæ Scotti: quorum alter altero integrior fuit: duæ proinde horum excerptorum collectiones fuerunt.

nerat, animalia portentoſa corporis magnitudine a Romanis nutriri. Itaque ab Imperatore petiit, ut eorum conſpitiendorum ſibi poteſtatem faceret. Lætus Imperator, quod Chaganum hujuſmodi animalia videndi cupido inceſſiſſet, Elephantos ejus conſpectui exhibet, & ex his, qui apud ſe alebantur, quem cæteri omnibus magnitudine præſtare vidit, ad eum mittit. Ut Chaganus oculos conjecit in animal Indicum, ſtatim ſpectaculo miſſo facto averſatus, ad Cæſarem reportari jubet. An perterrefactus, an deridens, quod antea admiratione dignum duxerat, non habeo dicere, nec enim reticerem. Is quoque uſque eo Cæſari moleſtus fuit, ut ad ſe lectum ex auro artificioſe elaboratum mittere impelleret. Ad eam inſolentiam Chaganum extulerat præſentis fortunæ faſtigium. Imperator vero qui donum ad regalem magnificentiam excoluerat, æque regio apparatu & magnificentia ad eum deferri curaverat. At ille vultum contrahens, ultra modum ſuperbiit, & munus veluti parum ſe dignum, per contumeliam deriſit, & aureum lectum, tamquam illiberale & parum magnificum, faſtidiit, & ad Imperatorem remiſit. Quin & ad octoginta mille libras, alias viginti quotannis ſibi a Romanis pendi poſtulavit. Quæ quum Imperator graviter & iniquo animo pateretur, fœdera neglectui habuit, & jusjurandum ventis ferre tradidit, & frequentem tubam bellis amicam ſumens, exercitum (a) comparavit. Chaganus Targitium cum Elpidio Romanorum Legato ad Mauricium Imperatorem miſit, & viginti mille libras auri, ad octoginta ſibi quotannis addi petiit. Qui quum ambo ad Imperatorem veniſſent, decreto ſancitum eſt, ut ad octoginta mille auri libras, viginti penſionis annuæ quotannis adjicerentur, quandoquidem bellum nolebant & aſpernabantur. Itaque fœdera viſa ſunt revireſcere, & bellum ceſſationem accipere. Sed poſt breve temporis momentum pacis conſtitutio eſt abolita, & rurſus Abarorum gens bello, non tamen indicto, Romanos adorta eſt. Sed iſta Targitii cum Elpidio ad Mauricium legatio, non anno primo Mauricii contigit; ſed ſecundo anno, poſtquam Chaganus initium cum Mauricio fœdus violavit. Sic enim in *Excerptis Theophylacti de Legatis Romanorum ad gentes* pag. 176. legitur de prima legatione: *Quod Mauricio imperan-*

a Theophylactus lib. 1. cap. 3. & 4. eadem ex Menandro narrat de Chagano: qui quum fœdus rupiſſet, in Thraciam irrumpens, urbes Singidonem, Auguſtam, Viminacium, & Anchialum expugnavit. Tribus autem elapſis menſibus Romani ad Chaganum miſerunt oratores Elpidium & Commentiolum: cujus oratione (quæ cap. 5. refertur) excandeſcens Chaganus, eum in vincula conjecit, & cætera.

rante Legatos miſerunt Romani ad Chaganum, & bellum deprecaturi, Elpidium mittunt virum ſenatorium, Siciliæque Præfectus tunc, & Prætoris tribunal aſcendentem, quod officii genus apud Romanos non inhonoratum eſt, & Commentiolum, qui illo tum munere fungebatur, quod inter corporis cuſtodes a Latinis nuncupatur Scribæ. Iverunt igitur ambo ad Chaganum ad urbem Anchialum, ac de induciis tractaverunt, ut erant juſſi. Ejus legationis hic fuit finis: quod quum Commentiolus Romana libertate coram præcipuis barbarorum, Chaganum redargueret, is ira inflammatus, violata legatorum religione, Commentiolum in vincula conjecit, mortem quoque ei comminatus. Sed poſteriori die quum jam ſedatior eſſet, idoneis ad eam rem ſermonibus adhortati Chaganum barbarorum potentiſſimi, perſuaſerunt, ne quid ſibi proponeret de morte Commentioli, neve ultra vincula quid amplius contra legatos tentaretur; conſentiens ita Chaganus legatos, largitus eiſdem non expectatam ſalutem, violatos ad Imperatorem remittit. De ſecunda autem legatione pagin. 177. „ Quod relapſo anno iterum Elpidius ad eandem legationem omnium ſuffragiis electus, miſſus eſt. Is, quum eſſet apud Chaganum, Legatum poſtulavit, qui una ſecum ad Imperatorem proficiſceretur, ut ſic induciis reſtauratis, viginti aliæ auri chiliades adjicerentur plus, quam ante pactum erat. Chaganus autem admiſſis hiſce, Targium (*alibi Targitius & Targites dicitur*) illuſtrem apud populum Abarorum virum, ad Cæſarem cum Elpidio miſit „. Cauſa rupti fœderis dicitur ibid. pagin. 177. hæc fuiſſe, nimirum quia Bolocalabra quidam Scytha ſive Hunnus, quem Chaganus in pace Sirmiana ſibi tradita poſtulaverat, apud Romanos ſecurus degeret, idque Chagano nunciatum eſſet a Targitio, qui legati munere apud Imperatorem fungebatur. Itaque Mauricius propter ruptum a Chagano fœdus iratus, Targitium quidem in inſulam Chalcitidem ad menſes ſex deportari juſſit, morte quoque in eum animadverſurum ſe comminatus; milites vero Chagani & Scythiæ, finitimos omnes perdiderunt, ceperuntque plurimas urbes, Terateridam, Bononiam, Acyſum, Doroſtolum, Salpada, Pannaſa, Marcianopolim, ac Trophæum.

Sed hæc Abarum impreſſio poſtea contigit. Quæ autem anno Mauricii ſecundo facta eſt, deſcribitur a Theopeane, his verbis. Anno Mauricii ſecundo, Chr. 583.

Digitized by Google

bis. *Interea Chaganus pacem perfidia ſolvere ſtudebat. Sclavinorum ſiquidem gentem ad Thraciam invadendum armis inſtruxit: quæ quidem vel uſque ad Murum Longum progreſſa, magnam ſtragem captivitatemque ſubditis induxit. Imperator igitur Prætorianos milites, populique factiones Urbe eductas, Longum Murum juſſit propugnare. Commentiolum vero Ducem creavit, & cum armata manu contra barbaros ſummiſit: qui ipſos ex improviſo adortus, magna multitudine cæſa, eos demum abegit. Quum autem Adrianopolim perveniſſet, in Andragaſtum incidit, qui magnam Sclavinorum aciem cum ingenti præda ducebat; eumque adortus, prædam recepit, inſigni potitus victoria.* Huc revocanda eſt Menandri in fine libri primi narratio de Slavis in Romanam ditionem graſſantibus. *At Sclavorum gens ignota, improbior, & verſutior, Romanos eſt aggreſſa, & ſolitudinem per eorum ditionis terras fecit, & uſque ad Longos Muros (ſic locus ille appellatur) omnia longe lateque deformata oculis conſpicienda præbuit.* Zonaras pag.74. poſt pacem cum Mauricio factam, motum iſtud a Chagano bellum deſcribit: *Sed Chaganus, ut inſatiabilis & perfidus, dolo Romanos aggreſſus, ipſo quievit. Sclavorum vero gentes quaſdam ad povincias concitavit, quæ uſque ad Longum Murum ſunt progreſſæ. Quapropter Imperator, Commentiolo Duce creato, barbaros improviſo adventu Romanis finibus expulit, multis cæſis, & præda omni captiviſque receptis.* Cedrenus ad annum 2. Mauricii, pro Slavis, Chaganum ipſum, perperam ſcribit ad Longum uſque Murum fuiſſe progreſſum: *Quum autem Chaganus pace violata, ad Longum Murum prædando excurreret, Commentiolus Dux Romani exercitus de improviſo barbaros adortus, magna multitudine cæſa eos abegit. Inde quum ad Adrianopolim veniſſet, in Andragaſtum incidit, Sclavinorum Ducem, qui prædam agebat. In hunc facto impetu, prædam recepit, inſigni potitus victoria.* Verum Theophylactus non Chaganum, ſed a Chagano ſubmiſſos Sclavinos eam impreſſionem feciſſe ſcribit lib. 1. cap. 7. *Nam Sclvini ab ipſis ſubmiſſi ac ſubornati, impreſſione facta, Romanæ telluris partem latiſſimam occupant, & uſque ad Murum Longum, ut vocatur, confertim proſilientes, graſſanteſque, funera multa faciunt. Quare etiam timens Imperator, murum cuſtodit: quas apud ſe habebat cohortes ex urbe educit: & circum Chriſtopolim (a) tumultuarie veluti val-*

a Græc. text. περὶ τὸ ἄστυ, *circum urbem* nimirum, *Chryſopolim* dictam, non *Chriſtopolim*.

vallum ac tutamentum in primis eximium molitur: Commentiolo-tum præfectura militaris honeſtum ſane munus, injungitur, qui Sclavis per Thraciam inſtans, eo pellit. Devenit autem ad fluvium, τὸν Ἐργινίαν, Erginum vocabulo: ibi de improviſo in illos facto impetu, complures extemplo mactat. Qua de cauſa ab Auguſto, ςρατηγὸς, Imperator dictus, rurſus in hoſtes mittitur, Romaniſque dignitatibus illuſtratur, & quam Romani Præſentis nominant (is honor eſt Ducum militiæ) ea condecoratur. Deinde reliqua æſtate, congregatis Romanorum copiis, Adrianopolim contendit, atque in Adragaſtum incidit, quem ingens Sclavorum caterva cum opima præda captivorumque ſelectiſſimorum numero ſequebatur. Exacta illic nocte, mane ad caſtellum Euſinum graditur, cum barbaris prælio generoſe dimicat. Illi paulatim cedunt, & Aſtice tota expelluntur, fuitque captivis dies ille ob virtutem Romanorum candidus.

Pergit Theophylactus enarrans fœdus a Chagano ruptum *autumno ineunte*, ideſt tertio Mauricii anno: nam Mauricius imperium iniit die 15. Auguſti anni 582. *Autumno*, inquit, *ineunte, barbari fœdus de integro temerant, belliqne ſocietatem aperte abjiciunt & aſpernantur*. Cauſam hujus rei explanans Theophylactus, eam fuiſſe ſcribit, ob Scytham quendam (cujus ſupra ex Menandro facta eſt mentio) *Bocolabram* (a) *vulgo dictum, qui cum una amicarum Chagani ſtuprum fecerat, metuenſque ne reſcitum flagitium crudele ſibi ſupplicium pareret, perſuaſis ſeptem de ſubjectis ſibi Gepidis, cum iis in fugam ad gentem avitam ſeſe tradidit. Sunt autem Hunni habitantes in Oriente, Perſarum vicini, quos multi uſitatiore vocabulo Turcos nuncupant. Iſtrum ergo trajiciens, & in urbem Libidinum delatus, atque a quodam e Ducibus Romanorum ad Iſtri cuſtodiam conſtitutis interceptus, genus & vetus ſtudium ſuum, voluptatemque, ob quam fugeret, indicavit. Quum autem de infortunio ſuo narrare probabilia videretur, a Duce ad Imperatorem tranſmittitur. Atque hinc exiſtimatum eſt fœdus Romanorum turbari, & bellum aperiri cœptum, quum interim Targitius in urbem Imperatoriam pro Legato veniens, pecuniam anniverſariam ex fœdere Chagano pendendam exigeret: id quod Imperatorem non immerito ad iram ſub-*

Anno Mauricii 3. Chr. 584.

a Cujus vocabuli ſignificationem ſiquis requirit, ſciat id Græca lingua *Sacerdotem magnum* ſonare. Theophylactus lib. 1. cap. 8. Igitur *Velo calabra*, non *Bolocalabra*, neque *Bocolabra*, nomen ei fuit; *Velo* Slave eſt magnus: *Calabra*, vox corrupta ex *Calogeros*, quod nomen eſt Monachorum, ſeu Presbyterorum uxoribus carentium.

Digitized by Google

ſubexſtimulabat, qui ſe Abaris manifeſtiſſimo eſſe ludibrio cerneret: hoc (Targitio ſcilicet) penſionem annuam pacaleſque reditus poſcente illo (Chagano videlicet) non quieſcente, ſed Europam lacerante & urbes evertente. Relegatur itaque in Chalcitidem inſulam Targitius, & ad menſes omnino ſex durius tractatur. Eo uſque Imperatoris ira fervebat in Legatum, cui pœnam capitalem erat comminatus. Videtur Theophylactus loco non ſuo iſtam Bocolabræ fugam narraſſe. Nam (ut ſupra ex Menandro lib. 8. pag. 174. vidimus) ad Bocolabræ factum ante Sirmii deditionem, adeoque antequam Mauricius Imperium iniiſſet, acciderat: & inter fœderis conditiones tunc temporis inter Tiberium & Abaros pactas hæc erat, ut Romani jurarent, transfugam illum ſe perquiſituros Abarumque Monarchæ tradituros. Mauricius igitur promiſſis non ſtetit, dum Bocolabram in Regia urbe detinuit. Præterea Targitius ad Mauricium a Chagano miſsus, quam pecuniam anniverſariam ex fœdere pendendam exegit, non ipſe rumpendi fœderis cauſam dedit, qui exigebat, ſed Mauricius, qui pecuniam exactam dare negavit. Hinc culpa omnis rupti Romanos inter & Abaros fœderis in Mauritium a Chagano conjecta eſt, quum ait: *Judices Deus inter Mauricium & Chaganum, inter Romanos & Abares.* Sed de his poſtea. Nunc vero de bello a Chagano Romanis indicto. Hoc Theophylactus autumno ineunte, ad annum 3. Mauricii refert, his verbis, lib. 1. cap. 8. *Chaganus porro Scytharum Moeſorumque finitimos omnes circumquaque vexabat, multaſque urbes, Rhateriam* (a), *Bononiam, Acys, Doroſtolum, Saldapa, Pannaſa, Marcianopolim, Tropæum ſubigebat.* Et cætera. At vero Theophanes id bellum motum ſcribit anno Mauricii quinto: *Hoc anno* (b) *Abarum Chaganus ruptis fœderibus, Myſiam & Scythiam acri bello vexabat: urbes vero Rattarnam, Cononiam* (c), *Acys, Doroſtolum, Zandapa, & Marcianopolim evertit. Commentiolus autem Anchialum profectus, milites roboris ac virtutis expertes a fortioribus ſegregavit,*

---

a *Rhateriam*: al. *Terateridam*. Ratiaria Moeſiæ urbs. Cellar. lib. 2. cap. 8 p. 576 *Bononia* Pannoniæ ibid. & pag. 560. *Acincum* Pannoniæ, pro Acys, idem Cellar. pagin. 559. *Doroſtorum* & *Duroſtorum*, Moeſiæ, pag. 585. *Paniſſum*, Moeſiæ 593. *Marcianopolis*, Moeſiæ 591. *Sucidava*, vel *Sucidaba*, Saldapa, Moeſiæ, 585. *Droſmis*, fort. Tropæum, ibid.

b *Hoc anno*. Pagius refert ad ann. 587. num. 4. Ita & Baſnagius ad eund. ann. 587. num. 1.

c Lege, *Bononiam*, & *Saldapa*, Baſnagius ann. 587, num. 1. *Zandapa*, & *Aquas*, pro *Acis*.

vit, & inutiles quidem copias ad quadraginta hominum millia caſtra juſſit defendere; delectos vero ad ſex millium ſummam ſecum abducens, bis mille quidem Caſto, totidem Martino tradidit, reſidua duo millia ipſe aſſumpſit, & adverſus barbaros perrexit. Cætera, uti apud Theophylactum lib. 1. a cap. 10. uſque ad capit. 18.

Anno Mauricii IX. (Chriſti 590.) Theophanes narrat, tres Sclavinos ad Imperatorem adductos, & ab eo examinatos, ſignificaſſe, legationem a Chagano ad ipſorum gentem fuiſſe directam, ut auxiliarii adverſus Romanos eſſent. *Poſtera luce viri tres Sclavinorum genere orti, nullo ferro vel gladio accincti, ſed cytharis tantummodo inſtructi, a Romanis capti ſunt. Unde traherent ortum, vel moram facerent, Imperator rogare. Illi, ſe genere Sclavinos, & ad Oceani limites habitare, reſponderunt. Chaganum autem Legatos ad ſe miſiſſe, & tribuum ſuarum præfectos muneribus ſollicitaſſe, ut ſibi ſuppetias adverſus Romanos ferrent: ſe vero ab familiarum capitibus miſſos, qui eos apud Chaganum excuſarent, quod ob viarum remota intervalla manum auxiliarem ei præbere nequeant. Octodecim vero menſium iter confeciſſe, ac ita demum in Romanorum manus ſe prolapſos aſſeverabant: cytharas autem circumduxiſſe; in regione quippe ferri neſcia natos, armis non aſſuetos ſe tegere. Imperator hominum ſtaturam miratus, laudata corporis eorum proceritate, ipſos Heracliam miſit.* Hoc ipſum ex Theophylacto lib. 6. cap. 2. exſcriptum a nobis eſt ſupra cap. 5. pag. 302. Ex quo colligitur a Chagano Abarum exſtimulatos fuiſſe in Romanorum perniciem non modo Sclavos in Scythia degentes, ſed etiam eos, qui ad Oceani limites habitabant. Anno Mauricii IX. Chr. 590.

Theophanes ad annum X. Mauricii: *Hoc anno* (a) *Chaganus ad pactam ſibi pecuniarum ſummam augmentum dari poſtulabat. Imperator vero barbari ſermones reſpuit. Quare bellum renovare Chaganus conſtituit: mox Singidonem obtinet, & ad Sirmium caſtrametatur. Imperator autem Priſcum Europæ Ducem inſtituit. Priſcus Salvianum ſub ſe Legatum elegit, & præcurrere ante exercitum jubet. In barbaros itaque irruptione facta, acrique conſerto prælio, penes Romanos ſtetit victoria. Cladis accepto nuncio, alium exercitum inſtruit Chaganus, & ad pugnam egreditur. Salvianus armatorum ingenti multitudine conſpecta, de-* Anno Mauricii X. Chr. 591.

a Eadem apud Theophylactum lib. 6. cap. 3. 4. 5. 6. ubi de æde S. Martyris Alexandri apud Anchialum ejuſque monumento violato, uti ſupra diximus.

deterretur, & ad Priſcum revertitur. Receſſu Romanorum cognito, verſus Anchialum Chaganus procedit, Sanctum Alexandrum intellige: & vaſto incendio locum omnem depopulatur. Inde Drizepera (a) divertit, & obſidionalibus machinis comparatis, oppidum expugnare molitur. Drizeperorum incolæ pectus audaciſſime oppoſuere: reſeratis enim portis, cum barbaris ſe fortiter congreſſuros, alioquin de deditione ſermonibus, minabantur. Tunc ſane divina illis adfuit virtus: manifeſta quippe meridiei luce Romanorum copias urbe egredientes cernere barbari ſibi viſi ſunt, & incundum armorum minitantes congreſſum: ex quo conturbati, in præcipitem fugam ſe projicientes, Perinthum ſe contulere. Priſcus autem ſolius barbaricæ aciei conſpectum ferre non ſuſtinens, in Tzurulum caſtrum ingreſſus, diligenti cuſtodia vitam tutabatur: exinde ad obſidendum Priſcum animus barbaro Principi factus. Quod quum ad Mauricium perlatum, quid ageret, dubius hæſit. Bono tandem conſilio adverſus innumeram barbarorum multitudinem armatur, & prudentia oppugnat. De Excubitorum igitur numero unum ad caſtra profectum, in barbarorum poteſtate ſponte prolabi donis ingentibus & pollicitis amplioribus ſuadet: ac una ſimul ad Priſcum literas ei committit, quibus Priſcum hortabatur, ne reformidaret nefarium barbarorum conatum; ſe enim copioſam claſſem mari tranſmiſſurum, eorumque familias in captivitatem abducturum. Chaganus interceptis literis, metu conſternitur; pactiſque cum Priſco conditionibus, levium & nullius momenti munerum acceſſione contentus, compoſuit pacem, & maxima qua potuit fuga ſe ſurripuit.

Anno Mauricii XI. Chr. 592. Anno Mauricii XI. Imperator (b) Mauricius Priſcum Romanorum cum copiis omnibus ad Iſtrum flumen ablegat, ut Sclavinorum gentes amnem trajicere molientes impediret. Quum vero Doroſtolum veniſſet, Chaganus de ejus adventu certior factus, legatos miſit, qui Romanos bello initium atque occaſionem dare queſti ſunt. Reſpondit Priſcus, ὅτι οὐ πρὸς τοὺς Ἀβάρους τὸν πόλεμον ποιῆσαι παραγέγονα: *Bellum in Abaros (c) moturus minime miſſus ſum*: ſolas Sclavinorum gentes a me coërcendas

---

a *Drizepera*. Cedreno *Drize*. al. *Druſipara*, *Drizipara*, *Druſiparum*. Cellar. lib. 2. cap. 15. pag. 1327. urbs Thraciæ *Anchialus* urbs Moeſiæ, ad Pontum Euxinum. *Perinthus*, al. *Heraclea*, Metropolis Thraciæ.

b Theophanes ad ann. XI. Mauricii.

c *Abaros*. Sic legendum omnino; non, πρὸς τοὺς Βαρβάρους, *in barbaros*, uti in impreſſis habetur.

Digitized by Google

das juſſit Imperator: Priſcus autem Sclavinorum populum ab Ardagaſto Duce ſparſim per Romanam Provinciam effuſum quum reſciſſet, Iſtro trajecto, noctis ſub medium ex improviſo Ardagaſtum adoritur, & cum eo manus conſerit. Ardagaſtus cognito periculo, nudo equo inſiliens, vix ſalutem fuga conſequitur. Romani multis Sclavinorum copiis cæſis, atque univerſa Ardagaſti regione devaſtata, captiſque innumeris, multos ex eis Byzantium per Tatemerem tranſmiſere. Porro Priſcus ſucceſſu audentior factus, interiores Sclavinorum partes penetrat. Tum vero Gepæs vir Chriſtianorum religioni addictus, in Romanorum partes tranſiens, ingreſſum Romanis indicat: quo nullo labore barbarorum regionem obtinent. Muſigium autem barbarorum Regem ad trigeſimum lapidem morari referebat. Priſcus itaque, Gepædis proditione uſus, profunda jam nocte Muſugium vino plane obrutum comperit (funebrem etenim ſolemnitatem proprio fratri ſacraverat:) eo igitur vivo comprehenſo, horrendam omnino barbarorum ſtragem edidit. Hinc ubere præda potiti Romani, in crapulas & voluptates reſolvuntur. Quare barbari in unum agmen denuo collecti, impetum in victores faciunt.

Anno Mauricii XII. quum Priſcus iterum Danubium occupaſſet, & Sclavinorum ditionem depopulatus, magnam inde prædam & captivorum numerum ad Imperatorem ſubmiſiſſet; Imperator Tatemere ad Priſcum miſſo, Romanorum exercitum iis in locis hybernare jubet. Ann. Mauricii XII. Chr. 593.

Anno Mauricii XIII. Imperator Priſco a ſumma exercituum Præfectura remoto, Petrum proprium fratrem Romanarum copiarum Ducem inſtituit. De ſua exauctoratione Priſcus certior factus, eductis ſecum ante Petri adventum omnibus copiis, amnem trajicit. Ut Romanas acies ulteriorem ripam ſuo tranſitu obtinuiſſe Chaganus intellexit, id ſatis miratus, miſit ad Priſcum, cauſam nimirum percontaturus, ac ſimul prædæ partem conſequi apud ſe conſiliatus; atque ita demum amnem ipſe tranſveheretur. Ad Chaganum itaque legationem de his Priſcus inſtituit, Theodorum videlicet medicum, qui quum barbaricam hominis inſolentiam feſtiva narratione demulſiſſet, Chaganus pacis fœdera ſervaturum ſe promiſit; in poteſtare vero Priſci ſtare ait, qua parte ſpoliorum vellet, ſe donatum relinqueret. In tranſitus itaque conceſsi mercedem, captivos omnes Priſcus Chagano reſtituit: ipſe retentis ſibi ſpoliis, amnem iterum ſine periculo trajecit. Ann. Mauricii XIII. Chr. 594.

Ann. Mauricii XIV. Chr. 595.

Anno Mauricii XIV. Petrus in exercitus ducendi munere Priſco ſubſtitutus, Marcianopolim accedens, milites mille qui præcurrerent, miſit. Iſti vero in Sclavinos, qui magnam e Romanorum finibus prædam avexerant, incidentes, in fugam barbaros verterunt. At barbari captivis interfectis, cæteram prædam, quæ maxima fuit, ſecum abducentes, in Romanorum fines regreſſi ſunt. Cedrenus: *Hoc anno XIV. Slavinos adortus eſt, qui captivos ex Romanorum ditione abigebant. Ii captivis necatis, fugæ ſe dederunt. Et Romani paucis eorum captivis, ad ſua redierunt*. Sigebertus Gemblacenſis ad ann. 595. *Thaſſilo a Childeberto ordinatus Rex Bajoariorum, devictis Sclavis obtinuit triumphum*. Eadem apud Paulum Diaconum lib. 4. de Geſt. Langobard. cap. 7. qui addit eod. lib. 4. cap. 41 *Mortuo Thaſſilone Duce Bajoariorum, filius ejus Garibaldus, in Agunto a Sclavis devictus eſt, & Bajoariorum termini deprædantur. Reſumptis tamen Bajoarii viribus, & prædas ab hoſtibus excutiunt, & hoſtes de ſuis finibus pepulerunt*. Paulo ſuperius cap. XI. ſcripſerat: *Bajoarii uſque ad 2. millia virorum ſuper Sclavos irruunt: ſuperveniente Chacano omnes interficiuntur*.

Anno Mauricii XVI. Chr. 596.

Anno Mauricii XV. quum Petrus Sclavinos Byzantium verſus adventare reſciviſſet. Nobas (*a*) ſe contulit. Quum vero mille homines ſpeculatum præmiſiſſet, hi in Bulgarorum turmam numeri ejuſdem inciderunt. At Bulgari, paci, quæ cum Chagano intercedebat, confiſi, ſecuri citra ullam ſuſpicionem progrediebantur. Quum autem Romani eos adorirentur, Bulgari viros ſeptem delegavere, qui Romanis pacem haud ita ſolvendam eſſe perſuaderent. Quæ ubi Præcurſores audiverunt, Duci confeſtim retulere. Dux vero; neque ſi Imperator ipſe advenerit, inquit, eis parcam. Conſertaque pugna, Romani in fugam vertuntur; nec tamen eos inſequuti ſunt barbari, ne victoriam ardentius amplexati, in inſidias inciderent. Quod quum ad Chaganum renunciatum fuiſſet, legatos ad Petrum decrevit, qui hoſtilem hanc aggreſſionem incuſantes, Romanos nulla juſta de cauſa pacem ſolvere quererentur. Sed Petrus hanc ſuorum incurſionem ſe plane ignoraſſe blandis ac fraudulentis verbis adſtruxit: duplicata ſe nihilominus ipſis ſpolia dare omnia: atque ita barbari ſpoliis, quæ amiſerunt, dupla ſorte receptis, pacem ſervavere. Cæterum Petrus contra Peregaſtum Sclavinorum præfectum,

xanti

a *Novæ*; urbs Mœſiæ ſuperioris.

κατὰ Πειραγάςυ τῦ ἐξάρχυ τῶν σκλαβίνων, expeditionem ſuſcepit. At barbari ſecundum fluminis ripam Romanis obviam facti, eos amnem trajicere prohibebant. Romani contra e vectotibus navibus tela mittentes, barbaros averterunt. Dumque in fugam vertuntur, Peragaſtus ilio ſauciatus moritur. Romani ergo flumen tranſgreſſi, præda maxima coacta, in propria loca ſe recepere. Sed ductores recta via aberrantes, iter noctu peragentes, ab Ilbacium amnem diverterunt. Barbari vero in inſidiis, quas trans flumen collocaverant, deliteſcentes, in Romanos inſurgentes, eos in fugam verterunt: Mauricius his auditis, Petrum officio privavit, & Priſcum iterum Thraciæ Ducem delegavit.

Anno Mauricii XVI. Dux Priſcus in Thraciam profectus, eductis copiis ad prædas circa Iſtrum abigendas ſe contulit. Quibus cognitis Chaganus legatos profectionis cauſam ſciſcitaturos miſit. Priſcus venandi gratia ſe acceſſiſſe prætexere. Ad quem Chaganus: nefas, ait, alieno in ſolo te venatum exercere. Priſcus contra, proprium aſſerere fundum, & Chaganum ex Oriente transfugam affirmare, & exprobrare. Eapropter barbarus everſis Singidonis mœnibus in Romanam ditionem penetravit. Eo comperto ad Iſtri inſulam confert ſe Priſcus, & conſcenſis agitatiſque dromonibus, Chaganum alloquuturus Conſtantiolam proficiſcitur. Ad fluminis autem ripam conſiſtenti Chagano, Priſcus e navigio colloquium habebat. Tum Chaganus ad Priſcum: quid tibi, amabo, Priſce, cum ditione mea? ut quid eam dolis occupare moliris, & e manibus meis eripere? Judicabit Deus inter me, & Imperatorem Mauricium; & ex ejus manibus, mei Romanorumque exercitus ſanguinem repoſcet. Ad (a) hæc Priſcus: injuria Singidonem lædis; abſtine ab urbe, quam toties ipſe depopulatus es. Subinfert Chaganus: Non urbem unam a nobis repetere conſilium eſt? Scito, quinquaginta alias Romani Imperii urbes, Abarorum virtute (b) ſubigendas te brevi conſpecturum. Priſcus vero navibus ad Singidonem applicatis, urbem depopulatus, Bulgaros ex ea ejecit, & murum exædificare cœpit. At Chaganus legatis ad eum miſſis, Deorum ſuorum fidem obteſtatus, de iis quæ commiſerat, apud ipſum graviter

Anno Mauricii XVI. Chr. 597.

a Deſunt apud Theophanem, ſed ex Theophylacto ſupplentur lib. 7. cap. XI.
b Δυλωμένας Βαρβάροις, Leg. Ἀβάροις.

conqueſtus (*a*) eſt. Ingruente porro hieme, uterque patrios lares reviſit.

Anno Mauricii XVII. Chr. 598.

Anno Mauricii XVII. Chaganus collectis omnibus copiis in Dalmatiam ſuſcepit expeditionem: Balben vero, τὴν Βάλβην, καὶ τὰς περὶ αὐτὴν μητροπόλεις πᾶσας, & circumpoſitas metropoles omnes devaſtavit. Rei fama excitus Priſcus, Gunduem, quæ ab hoſtibus admiſſa fuerant, exploratum miſit. Ille locis plane imperviis iter agens, barbaros duos vino graves offendit, eoſque de barbarorum conſiliis interrogat: Reſpondet illi: millibus hominum duobus bene armatis Chaganum prædam commendaſſe, eamque omnem ad Bulgaris domeſticos lares agi. Eo comperto Gundues in anguſta valle occultatur, & hoſtes a tergo ſummo diluculo adortus, ex improviſo cunctos confertim occidit: & recuperatam prædam ad Priſcum reduxit. Chaganus clade cognita, propriam repetit regionem, & Priſcus pariter domum revertitur. Hæc Theophanes. Verum, præterquamquod in Latina verſione, *prædam omnem ad Bulgaris domeſticos lares a Chagano agi*, dicitur, quod neque Græcus ipſius textus habet, neque in aliis Scriptoribus legitur, ſed, πρὸς τὰ οἰκεῖα, *domum*, ſeu, *ad proprios lares adducendam* tantummodo; error etiam eſt in Dalmatiæ civitatibus a Chagano vaſtatis: non enim legendum eſt, τὴν Βάλβην, καὶ τὰς περὶ αὐτὴν μητροπόλεις πᾶσαι, *Balben, & circumpoſitas metropoles omnes*: (quot enim, & quantæ metropoles in Dalmatia, præter Balben?) ſed, καὶ τὰς περὶ αὐτὴν μ. πόλεις πᾶσας, *& circumpoſitas* XL. *civitates omnes*: quemadmodum legitur & apud Cedrenum ad annum XVII. Mauricii: *contractis ſuis copiis Chaganus, in Dalmatiam profectus*, καὶ καταλαβὼν τὴν Βάλβην, καὶ τὰς περὶ αὐτὴν τεσσαράκοντα πόλεις, πάντας ἐπόρθησεν, *Balbam & vicinas circum* XL. *urbes occupat, ac diripit*. Theophylactus lib. 7. cap. 12. pro Balba habet Βάγκεις, *Banches*, ſic: *Multis igitur caſtris barbarus*, εἰς τὰς λεγομένας Βάγκεις, *Banges ut dicuntur, venit, oppidoque operibus admotis in poteſtatem accepto, quadraginta inſuper caſtella vaſtavit*.

Anno Mauricii XVIII. Chr. 599.

Anno (*b*) Mauricii XVIII. Priſcus educto exercitu, Singido-

---

a Theophylactus lib. 1. cap. XI. *Chaganus* miſſis ad Priſcum nunciis, fœdus palam renunciat, ac luce decima coacto exercitu ſuo, in ſinum Jonium ducit. Prope hoſce locos poſita eſt Dalmatia regio. &c.

b Theophylactus lib. 7. cap. 12. circa finem. *Ad menſes igitur decem & octo atque etiam*

Digitized by Google

gidonem verſus proficiſcitur. Chaganus ex adverſo collectis viribus, ex inopinato in Myſiam irrumpit, & Tomoſiam (*a*) urbem occupare molitur. Quare Singidone relicta Priſcus ad eum proximus acceſſit. Imminente vero Paſchali celebritate, Romanis fame tabeſcentibus, Chaganus currus quadringentos cibis onuſtos ad Priſcum mittit, ut proprium ſibi feſtum Romani cum epulorum gaudio peragerent. Priſcus viciſſim ſpecies Indicas, piper nimirum, folium Indicum, coſtum, caſſiam, & alia poſtulata, miſit ad Chaganum, qui tum ad Thermium ſedem poſuerat. Ea ſolemnitate finita, induciæ quoque diſſolverunt. Porro Mauricius ſuppetiis Priſco ferendis cum pedeſtri militum manu Commentiolum miſit. Chaganus nuncio accepto, Commentiolum expeditione ſuſcepta, & Romanos in fugam vertit, cunctoſque trucidat. Commentiolus turpi fuga ad Drizipera ſalutem quærens, a civibus urbe expellitur. Tum vero Abares Drizipera profecti, civitate direpta, in Sancti Alexandri templum incendio graſſantur; quumque ſepulcri thecam argento ornatam reperiſſent, illuſis prius Martyris reliquiis, ornamentum omne ſacrilege ſpoliant. Inde coacta per totam Thraciam præda, collectiſque captivis, ipſi multitudine armis, ordine, neceſſariis bene inſtructa, in Romanos inſultant. Commentiolo Byzantium reverſo, ingens ex timore perturbatio toti urbi incubuit; adeo ut de relinquenda Europa, & tranſmigratione in Aſiæ Chalcedonem conſilium aperte iniretur. Imperator autem excubitorum ſatellitio ſtipatus, collecto armatorum militum globo, Longum Murum tutabatur: urbem vero populi factiones cuſtodiebant; Senatu legationem ad Chaganum decernendam ſuadente. Porro Deus injurias Martyri Alexandro irrogatas ulturus, morbum peſtilentem in barbaros immiſit, qui uno ſolo die febre ex bubone

---

etiam amplius, Romanis ac Barbaris apud Iſtrum verſantibus, nihil ſcriptione dignum eſt actum. Anno decimonono Imperatori futura prænunciantur. Et cætera. Goarus in not. ad Theophanem oſtendit hæc quæ ad ann. Mauricii XVIII. narrantur, contigiſſe anno ejus XIX. ex ante relatis Simocattæ verbis. Nam Simocatta cap 13. refert ea quæ hic ex Theophane deſcribuntur, poſtquam ea quæ Mauricio anno 19. futura prænunciata ſunt, expoſuiſſet. Verum aut error manifeſtus eſt in numero annorum, aut quæ hic de anno XIX. Mauricii prædicuntur, non ſunt loco ſuo poſita. Nam idem Simocatta poſt commiſſum iſtud Romanos inter & Abares bellum, pacemque initam, necnon poſt alterum rupto fœdere bellum, quod lib. 8. a cap. 1. ad 4. narratur, ſic ſcribit cap. 4. pag. 201. *Anno Imperii Mauricii decimonono, nihil inter Romanos & Barbaros geſtum eſt. Vigeſimo Petrum Prætorem Europæ declaravit.* Mendum igitur in numeris annorum Mauricii irrepſerit, neceſſe eſt: adeoque non eſt recedendum a Chronologia Theophanis, quæ ex Cedreno etiam confirmatur.

a *Tomea* Simocattæ.

ne orta, ſeptem Chagani liberos cum innumera populi multitudine extinxit. Senatus itaque Legatos ad Chaganum Drizipera a Cæſare deſtinandos ſuadet: qui accito Harmatoni eas partes mandat. Harmaton multis cum muneribus Drizipera venit. Chaganus præſentes fortunas lamentans, amiſſionem filiorum, peſtiferumque copiarum exitium, immenſo dolore proſequitur. Decem diebus ibi poſitis, Harmaton conveniendi copiam impetrare non potuit. Die duodecimo tabernaculum introducitur, barbarumque leni ac placida oratione demulcet. Chaganus Imperatoria dona ſuſcipere gravatur. Tandem multis verbis eum legatus permovet, ut ſe donis coli patiatur. Poſtridie pace firmata, domum redit, hæc ad verbum eo ſuccinente: Judica Deus inter Mauritium & Chaganum, inter Abaros & Romanos. Accuſabat enim Imperatorem ruptæ pacis, nec mentiebatur. Revera namque Romani pace male conſervata, & bello irritato, prædictas ſibi clades accerſebant. Ex pacto autem Iſter ad Romanorum Abarumque fines dirimendos conſtituitur, & poteſtas eidem contra Sclavos trajiciendi conceditur. Præterea denuo vicena aureorum millia antea pactis adduntur. Atque hoc ſane modo bellum inter Abaros & Romanos profligatum eſt. Hactenus Theophylactus lib. 7. cap. 15. cui Theophanes hæc addit de captivis, Chagani verba: *Captivos tamen omnes ei reddam, accepto in ſingula capita nummo uno. Mauricius eam pecuniæ ſummam depromere non tulit: quare dimidium nummum pro ſingulorum capite redimendo rurſum poſtulat Chaganus. Sed neque dimidiatum nummum, neque etiam ceratia quatuor, quæ tandem pro ſingulis petierat Chaganus, Mauricius ſolvere admiſit. Eapropter Chaganus cunctos ad unum interfecit, & in propriam regionem regreſſus, tributo, quod ex antiquis conditionibus Romani pendebant, quinquaginta millia de novo addidit. Iſtrum vero fluvium ſe non amplius trajecturos utrinque Romani* (a)*, & Abares convenere. Ex iſtis odium ingens in Mauricium conflatum, unde & conviciis injuriiſque eum aperte proſcindere; ſimiliter & populus per Thraciam ſparſus, ad ludibria diraſque in eum expuendas moveri*. Eadem apud Cedrenum ad annum item Mauricii XVIII. *Tum Chaganus in Mauricium cædis populi culpam con-*

a In Græco textu, καὶ τὸν Ἴστρον ποταμὸν μὴ διαβαίνειν ὡμολόγησαν, quod de Romanis & Abaribus intelligitur. Itaque Latinus Theophanis Interpres perperam reddit, *Romani & Bulgari convenere*. Nam de Bulgaris in eo fœdere nulla mentio.

Digitized by Google

conferens, paratum ſe ait captivos, accepto in ſingula capita nummo, rurſuſque binos uno nummo, denique ſingulos quatuor ceratiis acceptis, dimittere. Quum ne ſic quidem eos redimere vellet Mauricius, iratus Chaganus omnes occidit. Fuere autem XII. *millia, qui æſtimabantur, ſupputatis in ſingulos duobus miliariis,* 2933. *Chaganus interfectis, ut dixi, captivis, Romanorumque tributo adjectis inſuper quinquaginta millibus, domum rediit.* Ita & Zonaras in Annal. Par. 2. pag. 77. *Chaganus Romanas provincias rurſus aggreſſus, miſſas contra ſe legiones, alias vincebat, alias vincebatur. Ejus filii ſeptem uno die partim febri, partim peſte ſunt mortui. Imperator miſſo Commentiolo cum numeroſiſſimo exercitu mandaſſe fertur, ut legiones, quibus ob ſeditiones quaſdam & tumultus infenſus erat, proderet hoſtibus. Itaque temere cum barbaris congreſſus Commentiolus, ipſe cum ſuis fugam, cui ſe ante pararat, capeſſit: cæteris partim cæſis, partim captis ad numerum* XII. *millium. Ea victoria Chaganus elatus, uſque ad Longum Murum proceſſit. Verum Imperator delectu habito, milites ad ejus defenſionem miſit. Neque vero Chagani dumtaxat filii peſte, ut dictum eſt, obierunt, ſed & barbarorum ingens multitudo. Qua de cauſa barbarus animo æger, domum properans, Mauricio ſignificat, ſi captivos redimere velit, ut in ſingulos nummum unum pendat. Recuſante Mauricio, medium nummum poſtulat. Quum vero ille nec tanti milites redimere vellet, partim ex tenacitate (erat enim ſordidus) partim militum odio, Barbarus furore correptus, iis omnibus obtruncatis, domum rediit. Hinc omnium odia in Imperatorem nata, ut nec a conviciis temperarent.* Itaque videtur Theophylactus (*a*) in gratiam Mauricii ea reticuiſſe, quæ alii de captivis non redemtis narrant.

Anno Mauricii XIX. Pace rupta, rurſus Chaganus fines Romanorum intravit, & quatuor ſuis filiis exercitus tribuit, quibus tranſitum Iſtri cuſtodirent. Sed Romani ratibus confectis fluvium tranſmiſerunt: prælioque congreſſus cum Chagani filio Priſcus, quatuor barbarorum millia occidit, tercentum ſuorum deſideratis. Poſtridie ejus diei, rurſus VIII. millia barbarorum interfecit. An. Mauricii 19. Chr. 600.

a Theophanes ad ann. 18. Mauricii. *Mauricium ſane Commentiolo ut Romanum exercitum a tumultibus concitandis deinceps compeſcendum, adverſariis proderet; quorundam rumor extitit;* Inde exortas, ut puto, quod Imperator latas a Thracicis copiis adverſus Commentiolum accuſationes, nihil fecerit, quinimo ipſum anno ſequenti numero pſis verſus Iſtrum miſerit, ut ad Singidonem Priſco adiungeretur.

cit. Tertia die Romani de ſuperiore loco in barbaros irruerunt, eoſque fuſos in paludem compulerunt, multoſque ibi ſuffocarunt, inter quos fuere etiam Chagani filii. Tum Chaganus contracto magno exercitu, adverſus eos proficiſcitur: quem Priſcus congreſſus pugna fudit. Idem Priſcus IV. millia inſtruxit, ac Tiſſum amnem tranſire juſſit, tentoria barbarorum ſpeculatum. Barbari tum eorum quæ geſta erant ignari, feſtos dies agebant, & compotabant. Itaque eos inopinantes adorti Romani, ingenti clade affecerunt; cæſis enim (*a*) XXX. millibus Gepidarum aliorumque barbarorum, magna cum præda ad Priſcum ſunt reverſi. Chaganus denuo reparatis copiis, ad Iſtrum quum accederet, pugna victus eſt: barbarique in fluvio ſubmerſi, & cum his magna Slavinorum multitudo. Vivi in poteſtatem Romanorum venerunt 3200. Abares, Barbari 2000. Chaganus quum legatos repetundorum captivorum cauſa miſiſſet, Mauricius nondum accepto tam illuſtris victoriæ nuncio, reddi eos juſſit. Sic Cedrenus. Theophanes vero: *Chaganus legatos ad Mauricium miſit ad captivos redimendos. Mauricius nondum accepto tam præclaræ victoriæ nuncio, Priſco ſcribit*, ἀποδοῦναι τῷ Χαγάνῳ τοὺς Βαρβάρος μόνον, *ut ſolos barbaros redderet*. Haud dubie pro, τοὺς Βαρβάρους, legendum, τοὺς Ἀβάρους, *Abaros ſolos*. Ita enim Theophylactus, qui quum lib. 8. cap. 3. ſcripſiſſet, *vigeſima luce denuo barbarus ad hunice fluvium (Tiſſum ſcil.) copias congregat, quo in loco atrociſſimo & in primis memorabili prælio decertatur, in quo barbari, ut paucis dicam, magna virtute victi, & aquis ſubmerſi ſunt, cum quibus etiam Sclavorum pars maxima interiit: ſervati & capti, obtenta victoria, Abarum tria millia, aliorum barbarorum* (*b*) *ſena millia ducenti, Sclavorum octo millia. Omnibus injecta vincula, & in urbem Tomeam a Duce miſſi*: Subjungit initio capitis 4. *Chaganus, priuſquam Imperator quippiam actorum reſciſceret, per legatos recuperare captivos ſtudet. Mauricius barbari minis territus, & verbis in fraudem inductus, Priſco mandat, ut captivos Abares reddat. Sic barbari Tomea educti, Chagano vivi reſtituuntur.*

a Cedren. XXX. *mill. Gepidarum aliorumque*. Simocata ſic. *Tranſierunt Tiſſum fluvium, & offendunt Gepidarum villas tres, qui rerum pridie geſtarum ignari penitus, & compotantes; feſtum patrium magna frequentia celebrabant. Romani crepuſculo noctis, ante exortum ſcilicet ſolis, barbaros adhuc crapulantes opprimunt, & ſtragem edunt maximam, tricenorum videlicet millium*, χιλιάδες τριάκοντα.

b Simocatta lib. 8. cap. 5. *Chaganus Romanorum impreſſione intellecta, Apſichum ad Artos Romanorum ſocios delendos mittit*, τὸ τῶν Ἄρτων ἔθνος.

Anno Mauricii XX. Mauricius Petrum fratrem ſuum, Thraciæ Ducem iterum renunciatum, illuc tranſmittit. Audierat enim, Abarum multitudinem, Apſech Duce, ad Cataractas congregari. Petrus miſſo ad Apſech legato, de pace tractavit. Apſech ex adverſo, Chataractarum locum Romanis eripere ſtudebat, Chagano contra Conſtantinopolim expeditionem ſuſcipiente. Verum ubi Chaganum Byzantium accedere cognovit Imperator, Petro, ut ad Iſtrum redeat, ſcribit: Bonoſum etiam ſcribonem cum navigiis militem trans flumen Devendo mittit. Petrus miſſo Gundue legato exercitus trans Iſtrum, prædam captivoſque innumeros coëgit. Quod ubi Chaganus reſcivit, Apſech cum copiis miſit ad nautarum (*a*) turbam illic conficiendam, utpote qui Romanis auxiliati fuiſſent. Hæc dum fiunt, non pauci Abarum deficientes, ad partes Imperatoris ſe adjungere maturant. Conturbatus ea re Chaganus, orare vehementer, & varias ſecum rationes meditari, quibus deſertores ab ſe reduceret. Autumno adventante quum Mauricius Petro moleſtiam exhiberet ſuper copiis in Sclavorum regione per hiemem retinendis, ipſeque Dux in Imperatoris juſſu omnia poneret, ſeditio magna orta eſt. Mauricius crebris literis Petrum urget, ut ita fiat. Romani acerrime recuſant. Quocirca flumen ultro trajiciunt, Palaſtolum veniunt ira inflammati; prætereunteſque Aſema caſtellum, Cariſcam veniunt, unde in barbarorum domicilia irrupturi erant: paululum enim de ferocia remiſerant. Per illos igitur dies naves compinguntur. Interea cum imbribus maximis frigus ingruit. Tali impedimento objecto, nolentes trajicere, ad Petrum legatos mittunt octo, e quibus etiam erat Phocas Petebant autem ut liceret in hyberna domum redire. At Imperator Petrum per tabellarium extimulat, ut trajectis copiis, per barbarorum regionem incurſet. Petrus legatis accerſitis, Impertoris ad ſe literas demonſtrat. Illi, milites nolle Iſtrum trajicere affirment, & cauſas exponunt. Quoniam autem Petrus in ſententia permanens, nihilominus ſe multitudini opponebat, atrox irarum procella in exercitum incubuit. Quamobrem caſtris excedentes, ſeorſum in concilium coëunt, & Phocam Centurionem ſibi exarchum præficiunt, eumque ſupra ſcutum alte ſublatum, fauſtis gratulationibus proſequuntur. Hinc orta Mauricii filiorum-

Anno Mauricii XX. Chri. 601.

a *Barbarorum*: nimirum, *Gepidarum* qui Abarorum Regi ſerviebant. Baſnagius ad ann. 602. num. 2. ſic ſcribit de captivorum numero. *Victorum in poteſtatem venere Avarum tria millia, Gepidarum amplius Slavinorum octigenti*: contra fidem Simocattæ, Theophanis, & Cedreni;

que cædes, & arrepta a Phoca tyrannis. Hactenus Theophylactus Simocatta, ex quo Theophanes, Cedrenus, aliique ſua omnia mutuati ſunt. Pagius ad ann. 593. num. 12. de hoc Romanos inter & Abares bello, quod ab anno I. Mauricii ad XX. geſtum eſt; *Theophanes*, inquit, *in Chronico quæcumque ad hoc bellum pertinentia narravit, ex Theophylacto collegit. Sed illud anno uno tardius inchoavit; & quæ is in pauciores, ipſe diſtribuit in plures; & aliquando in unum eundemque confert quæ in plures diſpergenda erant. Qua de re legendus Goar in notis ad illud Chronicon.* Verum uterque deceptus eſt ex vitioſo Simocattæ codice, uti ſupra notavi.

V. Abarum res geſtæ ſub Phoca & Heraclio.

Mauricius cæſus eſt die 27. Nov. anno 602. Phocas autem coronatus a Cyriaco Patriarcha die 23. ejuſdem menſis & anni. Anno vero ejus Imperii ſecundo, ut ſcribit Theophanes, Phocas auctis ex fœderis pacto faciendis Chagano donis, barbaros ea ratione quietem ac pacem ſervaturos ſperabat. Verum quo anno Heraclius, cæſo Phoca, Imperium iniit, nimirum Chriſti 610. *Res Romanas*, ut Cedrenus ſcribit, *labefactatas offendit, quum & Europam Abares vaſtaſſent, & Aſiam Perſæ ſubegiſſent.* Anno autem Heraclii nono (qui erat Chriſti 619.) *Abares in Thraciam arma moverunt. Heraclius autem miſſis ad eos Legatis, pacem firmari expoſcebat. Quumque Chaganus eam ſe compoſiturum pollicitus fuiſſet, Imperator cum ſatellitio propriam dignitatem decente ad Longum uſque Murum longe ab Urbe progreſſus, ampla magnorum munerum copia Chaganum excepit, fidem ab eo accepturus, pacem inter ſe mutuo inviolatam firmatum iri. At barbarus ille, ſpreto jurejurando atque fœdere, ex improviſo Heracleam infeſtis armis adortus eſt. Imperator vero tam inſperatæ rei molimine perterritus, fuga arrepta in Urbem revertit. Barbarus univerſo Imperatoris apparatu, ſatellitioque capto, cum omnibus aliis quæ comprehendere potuit, retro ceſſit: multaque Thraciæ oppida ſpe pacis deluſa, ac nil tale ſuſpicantia deprædatus eſt.* Id Chagani facinus paulo aliter narrat Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus in Breviario hiſtorico de rebus geſtis poſt imperium Mauricii pag.8. edit. Pariſ. *Poſthac Abarum Princeps Legatos de pace ad Heracleam miſit: quibus magnopere gaviſus, donis illum remuneratus eſt, ad eumque viciſſim Legatos deſtinat Athanaſium Patricium, & Coſmam Quæſtorem, qui voluntatem ſuam renunciarent. At Abarus amicitiam ſimulans, mul-*

ta blande & humane cum iis loquutus, Romanorum ſe amicum eſſe perſuaſit, & ad Imperatorem ineundi fœderis gratia venturum eſſe promiſit. Legati igitur ad Imperatorem reverſi, de illius in Romanos benevolentia certiorem eum faciunt. Quibus plurimum delectatus, ad Heracleam urbem, quemadmodum inter eos convenerat, Regi Abarum occurrere decrevit. Præmiſſoque ſcenico apparatu, quum equeſtre certamen ad eum ſuſcipiendum pararet, ac ſplendidam ei veſtem & ipſius comitibus ferret, Selymbriam pervenit, ibique commoratus eſt. Triduo deinde Chaganus cum Abarorum ingenti multitudine Heracleam contendit. Ibi parte ſuorum delecta, quidquid roboris erat, per ſaltus ac ſilvas, quæ longis muris imminent, clam diſſipari, ac per condenſa montium pergere jubet, ut Imperatore a tergo circumvento, medium ipſum ejuſque comitatum omnem in poteſtatem haberent. Senſit hæc Heraclius, & inopinata re nec mediocriter perculſus, purpuram exuit; ac vili detritoque habitu, quo privatus eſſe videretur, indutus, & coronam regiam cubito alligans, ſtatim indecore ſe in fugam conjicit: vixque fuga Byzantium eſt elapſus. Abari fugientes animoſius inſequuti, ad campum uſque, qui ex adverſo urbis eſt, nomine Septimus, ibi caſtra poſuerunt. Inde ad Barnyſſi fluminis pontem uſque diſperſi, circumjecta loca populari, & per Romanorum cædes impune graſſari. Inter cætera Imperatoria veſtis in poteſtatem hoſtium redacta, cæterique illi quos paraverant amictus, cum ſcenico omni inſtrumento, & iis qui ea perferebant. Tandem cum infinita captivorum multitudine ad ſuos limites regreſſi ſunt. Compertum eſt ex captivorum quorumdam, qui furtim aufugerant, conſtanti relatione, ad ducenda ſeptuaginta millia captorum utriuſque ſexus numerum perveniſſe. In Chronico Paſchali hoc factum ad annum Heraclii IX. Indict. VII. (hoc eſt Chriſti 619.) refertur his verbis. *Hoc anno menſe Deſio, ſecundum Romanos Junii* V. *feria prima, quum Imperator Heraclius in Thraciæ partibus verſaretur uno cum proceribus & civibus atque clericis, atque adeo cum opificibus, plurimis etiam ex utraque factione ac plebe, Abarum Chagano ad Longum Murum cum innumera mulitudine etiam accedente, quod, ut rumor increbuerat, Romanos inter, ac Abares pax eſſet conficienda; tum etiam quod Heracleæ Ludi circenſes celebrandi eſſent; hac fama excita multitudo infinita, ex felice urbe egreſſa eſt. Et circa horam* IV. *ipſius Dominicæ, Abarum Chaganus flagello ſuo ſignum dedit, ſtatimque omnes qui cum*

illo erant, longum murum impetu facto ingreſſi ſunt, ipſo extra murum cum aliquot familiaribus manente; quum, ut dixiſſe fertur, ſimul atque murum ingreſsus eſſet, urbem ſe facile occupaturum ſibi perſuaderet; quod ſane accidiſſet, niſi illum prohibuiſſet Deus. Illius tamen copiæ, ipſa Dominica, ingreſſæ circa veſperam uſque ad Auream portam, quotquot extra urbem repererunt, vel in ſuburbanis, & quidquid hominum vel animalium inventum fuit, in prædam rapuere. Ingreſſi ſunt etiam ſacram ædem Sanctorum Coſmæ & Damiani in Blachernis, & Eccleſiam Sancti Archangeli trans urbem in Promoti ſuburbano: in iiſque non ciboria duntaxat, & alia cimelia abſtulerunt, ſed ipſam etiam ſacram menſam Eccleſiæ S. Archangeli confregerunt; omneſque cum præda captivos trans Danubium, obſiſtente nemine, abduxerunt. Anno tamen ſequenti, ut refert Thophanes, Heraclius miſſis iterum ad Chaganum literis, de iis quæ violatis fœderibus ab eo admiſſa erant, cauſabatur, & ad ſervandam pacem invitabat. In Perſidem quippe arma convertere meditatus, cum Chagano pacem habere conſiliabatur. *Chaganus humanitatem Imperatoris cum reverentiæ ſenſu ſuſcipiens, priſtina ſe reparaturum, & cultorum ſe pacis futurum promiſit: renovatiſque iterum pactis, & probe firmatis* (a) *fœderibus, legati reverſi ſunt.* Non diuturna tamen hæc pax fuit. Nam Abares (ut barbarorum mos eſt, quacumque captata occaſione in Romanos impreſſionem faciendi:) a Chofroë Perſarum Rege extimulati, ad urbem uſque Regiam, anno Heraclii 16. progreſſi ſunt. Theophanes. *Choſroës Perſarum Rex Sarbarum Ducem cum quinquaginta millibus militum, Conſtantinopolim verſus, mittit, ut initis pactis cum Hunnis (Abaros vocant) Bulgaris, Sclavis, & Gæpedibus, urbem impreſſione facta obſiderent. Eo conſilio cognito Heraclius in tres acies exercitum univerſum diſtribuit: & primam quidem ad Urbis defenſionem: aliam Theodoro proprio fratri traditam, ſecum aggredi juſſit: cum tertia ſecum educta, ipſe in Lazicam regionem ſeceſſit, ibique mora aliquandiu protracta, Turcos Orientales, quos Chazaros vocant, ad belli ſocietatem allexit. Interim Sarbarus Chalcedonem adoritur; Abares etiam e Thracia profecti, ad urbem applicantes, eam vi obtinere nitebantur. Multis itaque machinis ad*

a Pagius ad ann. 621. num. 4. pacem inter Heraclium & Chaganum ſancitam hoc anno 621. ſcribit, & Chagani irruptionem in urbem CP anno præcedenti. Verum Theophanes expreſſe repugnat, qui bellum Chagani anno 619. & pacem anno 620. collocat.

Digitized by Google

ad eam admotis, & copiarum multitudine innumera, ut quæ numerum omnem vere ſuperaret, per Iſtrum flumen ſcaphis uno trunco excavatis advecta, τὸν κόλπον τοῦ Κέρατος, *cornu ſinum omnem, quaqua late patet, oppleverunt. Dies demum decem urbem obſidentes terra & mari, Dei tandem virtute & ope, & Immaculatæ Deique Matris Virginis precibus, profligati ſunt; multiſque ſuorum copiis terra & mari amiſſis, cum magno rubore & dedecore domos repetierunt. Sarbarus autem obſidione ad Chalcedonem poſita non deſtitit; quinimo mari piraticam, terra prædatoriam exercens, partes trans fretum poſitas & earum urbes devaſtavit, & hybernam eiſdem in locis egit tempeſtatem: ſed anno ſequenti, compoſitis cum Imperatore pacis fœderibus, Chalcedone abſcedentes, in patriam ſunt reverſi.*

Hæc fuſius narrantur in chronico Paſchali ad annum Heraclii XVI. Indict. XIV. Chriſti 626. in hæc verba. „ Operæ pretium „ porro videtur exponere, quemadmodum & nunc ſolus miſeri„ cors ac clementia plenus Deus per acceptiſſimam intemeratæ „ Matris ipſius & vere Dominæ noſtræ Dei Genitricis & ſemper „ Virginis Mariæ interceſſionem, humilem hanc ſuam urbem ex „ impiis hoſtibus, inita invicem conjuratione hanc obſidentibus „ & cingentibus, potenti ſua manu, & qui tum in ea erat popu„ lum, ab imminenti gladio, captivitate, & acerbiſſima ſervitu„ te liberaverit. Quæ quidem omnia nemo ſatis poterit expone„ re. Etenim execrandus ille Salbaras (*a*) Perſici exercitus Dux „ & exarchus quum exſpectaret, ut vero ſimile eſt, Deo inviſi „ Abarum Chagani adventum, interim complures ante dies ca„ ſtris ad Chalcedonem poſitis, ſuburbana omnia & ſacras ædes „ incendio ſacrilege abſumſit: ibique menſit, illius adventum „ præſtolatus. Itaque XXIX. Junii menſis, præſentis XIV. Indi„ ctionis, die ſcilicet feſto Sanctorum & illuſtrium Coryphæorum „ Apoſtolorum Petri & Pauli, acceſſit prima acies Deo odioſi (*b*) „ Cha-

VI. Abares Conſtantinopolim obſident.

a *Sarbaras*, Theophani, Cedreno, & aliis.

b Nicephorus Patriarcha in Breviario pag. 12. & ſeq. *At Abari diſſoluta jam pace, etenim Heraclius priuſquam in Perſas exercitum duceret, muneribus ad eos miſſis illam firmaverat, atque inſuper ducenta bis nummorum millia promiſerat, obſideſque dederat Joannem cognomeno Athalaricum naturalem filium ex Concubinanatum, & Stephanum conſobrinum Mariæ ſororis filium, & Eutropium, necnon & Joannem alterum Boni Patricii filium, eundemque ſpurium & ex pellice ſuſceptum. Sed Barbari, expeditione facta, caſtra ad Conſtantinopolim admovent, ibique ſuburbana omnia incendio vaſtant. Ita diviſo inter ſe velut Thracio Boſphoro, Perſæ Aſiaticum limitem, Abares Thraciam infeſtabant. Iidem ad muros expugnandos machinas fabricaverant, turres ſcilicet ligneas, & teſtudines: quas quum manibus*

Digitized by Google

„ Chagani, triginta circiter hominum millium, per nuncios pro-
„ mulgantis ſe quamprimum Longum murum occupaturum, &
„ quidquid intra illum eſt: ita ut quotquot ex equitibus ac for-
„ tiſſimis militibus qui hactenus extra urbem erant, hoc ipſo die,
„ qui in Dominicam incidit, intra novum Theodoſianum mu-
„ rum hujus urbium Reginæ ſe confeſtim reciperent. Manſitque
„ prima iſta acies circa Melantiadem, paucis ex iis uſque ad mu-
„ ros per intervalla excurrentibus, & quemquam exire, vel ad
„ equorum pabulationem quidquam colligere prohibentibus.
„ Elapſis interea diebus decem, nemine ex hoſtibus ad mœnia
„ apparente, egreſſi milites cum calonibus & civibus, uti ad de-
„ cimum ab urbe lapidem meterent exiguam ſegetem, in hoſtes
„ incidere, aliquot ex iis cæſis, quibuſdam etiam ex militum ca-
„ lonibus & ex civibus qui cum iis egreſſi fuerant, captis. Niſi
„ tamen milites in calonibus ſuis defendendis fuiſſent, occupati,
„ magnum ſatis ex hoſtibus numerum eo die interfeciſſent. Cæ-
„ terum non multo poſt circiter mille ex hoſtibus, hoc ipſo die,
„ juxta venerandam ædem Sanctorum Maccabæorum ultra ſinum
„ in Sycis, accedentibus, ac ſeſe Perſis viſendos præbentibus,
„ qui verſus Chryſopolim caſtra poſuerant, ſuam inter ſe per
„ ignes præſentiam ſignificantibus. Interim execrandus Chaganus
„ Atha-

nibus admoviſſent, repente divina virtute diſſolutæ ſunt, obtritis qui in illis erant Abarum propugnatoribus. Erant in eorumdem exercitu Sclavinorum auxiliares copiæ bene multæ, quas illi ſecum adduxerant: quibus & ſignum dederant, ut quum accenſas faces ex Blachernarum munitione conſpexiſſent, quam Alam nuncupant, ſtatim actuariis lembis irrumperent, & remigio ad urbem ſubvecti, tumultum ac terrorem injicerent; per quem nullo prohibente ipſe de muris ſubito impetu facto urbem invaderent. Quibus ad Bonum Patricium perlatis, mox biremibus ac triremibus inſtructis armiſque diſpoſitis, ad eum locum, unde ſignum attollendum erat, claſſem dirigit, eodemque tempore biremes contrarium ad litus applicat. Inde facibus erectis ſignum dari jubet. Hoc ubi Sclavi conſpicati ſunt, e fluvio quem Barnyſſum vocant, recta ad urbem navigiis feruntur. At noſtri obviam progreſſi, in medium receptos, & circumventos opprimunt, tantaque cædes hoſtium facta eſt, ut mare ipſum purpureo colore tingeretur. Inter cæſorum cadavera Sclavinæ quoque mulieres inventæ ſunt. Quæ quum omnia barbari conſpexiſſent, obſidionis ac moræ pertæſi in patriam revertuntur. Tum Patriarcha cum Conſtantino Imperatore ad Divæ Virginis Templum, quod in Blachernis erat, progreſſi, ingentes Deo gratias perſolvunt, ibidemque murum ad hujus Templi præſidium ædificant. Hunc in modum ab Abaribus res ad Conſtantinopolim geſta eſt. Ab eo tempore populus Conſtantinopolitanus Sabbatum quintæ Hebdomadæ Quadrageſimalis feſtivum eſſe voluit Deiparæ, cujus auxilio tam eximium trophæum erectum fuit, ut in Triodio Græcorum legitur: Hymnum vero in laudem ejus dici ſolitum, *Acathiſtum* nominavit, *quod tunc & populus & clerus univerſus eodem ardore idem facerent, nemine ceſſante, nemine a divinis laudibus conquieſcente*, ut idem Triodium habet. Is autem Hymnus *Acathiſtus* appellatur, quia *ſtando*, non ſedendo canitur. Narratio in Feſtum τῆς Ἀκαθίστου, edita eſt a Combefiſio in Hiſtoria Monothelitarum. Ex eodem autem Triodio conſtat, Conſtantinopolim ter ab hoſtibus ope Deiparæ liberatam eſſe: primo, an. 626. ſub Heraclio: ſecundo ſub Conſtantino Pogonato a Saracenis anno 672. Tertio ſub Leone Iſauro iterum a Saracenis anno 718. Vide Greteſerum lib. 3. obſervat. in Codinum cap. 7.

Digitized by Google

» Athanaſium clariſſimum Patricium Adrianopoli cum his dictis
» amandavit : *Abi & vide, qua ratione velint cives me placare,*
» *quæque dona offerre, ut hinc recedam.* Veniente igitur ipſo glo-
» rioſiſſimo Athanaſio, hæcque Bono glorioſiſſimo Patricio & Ma-
» giſtro, cæteriſque Magiſtratibus exponente, iiſque Athanaſium
» objurgantibus, quod abominando Chagano ita ſe ſubdiderit,
» fueritque pollicitus, urbis cives quæ illi placitura eſſent exequu-
» turos; tum glorioſiſſimus Athanaſius hæc ſibi data eſſe in man-
» datis dixit a glorioſiſſimis Magiſtratibus, quo tempore legatus
» miſſus fuerat : cæterum neque ſcire ſe ita muros eſſe munitos,
» copiaſque hic adeſſe; nihilominus paratum ſe datum Chagano
» reſponſum iiſdem verbis referre. Deinde quum glorioſiſſimus
» Athanaſius priuſquam reverteretur, quantæ eſſent in urbe co-
» piæ videre vellet, luſtratione facta, reperta ſunt in urbe exi-
» ſtentium equitum circiter millia duodecim. Tum Magiſtratus
» juſſerunt ea reſpondere quæ execrandum Chaganum omnino
» perſuaderent ad exercitum a mœnibus ſeu urbe amovendum.
» Quum ergo glorioſiſſimus Athanaſius ad execrandum Chaga-
» num perveniſſet, ab eo minime exceptus eſt, illo dicente, ſibi
» omnia eſſe tradenda; ſin minus, urbem funditus everſurum
» ſe, & quotquot in ea erant abducturum. XXIX. Julii menſis
» die, Deo inviſus Chaganus acceſſit ad mœnia cum univerſis co-
» piis, ac ſeipſum civibus oſtendit. Poſt diem unum exactum,
» ſcilicet XXXI. ejuſd. menſis Julii, acceſſit ad prælium paratus, man-
» ſitque a prima luce ad horam XI., bellum fortiter ciens a por-
» ta Polyandrii uſque ad portam Quinti, atque adeo ulterius : ibi
» enim plurimum militem ſtatuit in ipſius urbis conſpectu; in re-
» liqua vero muri parte Sclavos, ac primam quidem eorum aciem
» pedeſtrem nudam, alteram pedeſtrem loricatam. Tum ſub ve-
» ſperam machinas aliquot, & teſtudines admovit a Brachialio
» uſque ad Brachialium. Rurſum poſtero die multa tormenta in
» illam partem, quæ ab ipſo oppugnabatur, ſtatuit inter ſe pro-
» xima, ut neceſſe fuerit obſeſſis quamplurimas machinas intra
» muros apponere, peditibus quotidie invicem pugnantibus, no-
» ſtriſque, Dei providentia, victoribus, ac hoſtes longe propu-
» gnantibus : confecit præterea machinas jaculatorias, quas ex-
» trorſum corio texit : ædificavit autem in eo ſpatio, quod inter
» portam Polyandrii & portam Sancti Romani interjacet, XII.
» turres caſtellis inſtructas, præaltas, & quæ ipſa fere propugna-
» cula

Digitized by Google

„ cula attingerent, quas & perinde corio munivit. Sed & nautæ, „ qui erant in urbe, egreſſi, civibus ſubſidio erant: unuſque ex „ iiſdem nautis]malum nauticum machinatus eſt, in cujus ſum- „ mitate navigiolum appendit, quo hoſtium turres caſtellis in- „ ſtructasincenderet: quem quidem nautam, qui hoſtes adeo per- „ culerat, collaudavit Bonus glorioſus Magiſter. Idem porro ce- „ lebratiſſimus Magiſter quoties ad mœnia acceſſit, non deſtitit „ hoſtem hortari, non ſolum ut tributa ſua acciperet, ſed & alia, „ quorum cauſa ad ipſa uſque mœnia venerat. Verum nihil ex „ his admiſit, dixitque: *Urbe cedite, veſtraſque fortunas mihi* „ *dimittite, ſervateque vos ipſos & familias veſtras*. Angebatur „ vero potiſſimum in trabariis, quas ſecum attulerat, in mare de- „ mittendis, quum a majoribus ſcaphis impediretur. Sed eas tan- „ dem in mare immittere decrevit verſus pontem Sancti Callini- „ nici, triduo poſtquam cœpit urbem oppugnare. Ideo vero „ hocce loco trabarias demittere ei viſum eſt, quod loca illa eſ- „ ſent vadoſa, & ubi majora navigia accedere minime poterant: „ manſerunt igitur eadem navigia in trabariarum conſpectu ab „ æde ſacra Sancti Cononis trans fretum uſque ad Fontes, quum „ tranſitum trabariis prohiberent. Sabato circa veſperam, ſecun- „ do ſcilicet Auguſti menſis die, Chaganus proceres ad colloquium „ evocavit. Et egreſſi ſunt cum ipſo colloquuturi Georgius cla- „ riſſimus Patricius, Theodorus clariſſimus Commerciarius Gla- „ ſti, Theodorus clariſſimus Patricius & Logotheta, Theodorus „ religioſiſſimus Syncellus, & Athanaſius clarisſimus Patricius. „ Hi quum profecti eſſent, adduci præcepit Chaganus in eorum „ conſpectum tres Perſas ſericeis veſtibus indutos, qui ad ipſum „ miſsi fuerant a Sarbara, quos ſibi aſsidere juſsit, noſtris interea „ legatis ſtantibus: tum hæc verba fecit. *Ecce ad me legationem* „ *miſerunt Perſæ, tria hominum millia in ſubſidium mihi dare* „ *parati. Si igitur quotquot in urbe eſtis cum ſago dumtaxat ac* „ *induſio ex ea excedere velitis, pacta ac fœdus cum Sarbaro inea-* „ *mus: amicus enim meus eſt, ad illumque tranſite, neque ulla is* „ *vos injuria afficiet. Mibi vero urbem, ac fortunas veſtras dimit-* „ *tite: nulla quippe vobis alia ſupereſt ſalutis expediendæ via:* „ *niſi forte vos fieri piſces contingat, quo per mare evadatis, vel* „ *aves, quo evoletis in aerem. En ecce, ut illi aſſerunt, ipſi Per-* „ *ſæ. Sed & neque Imperator veſter Perſidem eſt ingreſſus, neque* „ *ullus hic veſter adſtat exercitus*. Cui glorioſiſsimus Georgius:

„ *iſti*,

„ *iſti*, inquit, *impoſtores ſunt, nec quicquam veri dicunt. Noſter* „ *enim hic adeſt exercitus, ac piiſſimus Princeps noſter in eorum* „ *provinciis verſatur, haſque devaſtat omnino*. Tum hiſce dictis „ motùs unus ex Perſis, glorioſiſsimum Georgium Chagani no- „ mine conviciis impetiit. Cui ille: *minime*, ait, *tua ſunt in me* „ *convicia, ſed Chagani*. Illud etiam ingeſſerunt Chagano, qui „ ad eum miſsi fuerant Proceres: *Atqui licet tantæ ſint vires* „ *tuæ, Perſarum etiam auxilio indiges*. Tum Chaganus: *ſi ve-* „ *lim*, inquit, *ii mihi ſubſidio venient, amici enim mei ſunt*. „ Rurſum vero Proceres noſtri dixerunt: *nequaquam dimittemus* „ *urbem noſtram: ſed hic expectamus, dum tecum de his quæ ad* „ *præſentem conducunt colloquamur: ſi ergo de pace nobiſcum no-* „ *lis agere, nos dimitte*. Hoſque tum ille dimiſit. Eadem porro „ ipſa nocte, quæ Dominicam præcedit, ſingulari benigni ac mi- „ ſericordis Dei providentia ad Chaganum miſsi ii legati, dum „ per Chelas Chryſopolim trajiciunt, in noſtras naves incidunt, „ quæ quoſdam ex Orphanotrophio vehebant, unuſque ex illis „ Perſis deprehenſus eſt, ſeipſum in ſcapham, quam Scandalin vo- „ cant, pronum in faciem abjeciſſe, ſtranguliſque ſeſe operuiſſe, „ ita Chryſopolim trajicere conatum. At nauta qui in navi erat, „ eamque regebat, hoc animadverſo, iis qui ex Orphanotrophio „ erant, id dextra innuit, qui confeſtim reductis ac ſublevatis ſtra- „ gulis, Perſam ſanum ac incolumen in faciem jacentem inventum „ interfecerunt, illiuſque caput abſciderunt. Alios vero duos Per- „ ſas pariter in navi trajicientes, cum ipſo nauta captos, intra mœ- „ nia adduxerunt: ac alterum quidem ex ſuperſtitibus, truncata „ prius utraque manu, ejuſque collo alligata, una cum illius qui in „ navicula interfectus fuerat capite adChaganum noſtri tranſmiſe- „ re. Alterum autem in navim conjectum, vivumque Chalcedo- „ nem deductum, acPerſis oſtenſum, in ipſa navi capite truncarunt, „ eo in continentem ejecto, cum hocce ſcripto. *Chaganus, initis* „ *nobiſcum fœderibus, veſtros ad eum miſſos legatos ad nos tran-* „ *miſit, quorum duobus capita in urbe amputari juſſimus; alte-* „ *rius vero ecce habetote caput*. Abominandus deinde Chaganus „ hoc ipſo die Dominico ad Chelas abiit, & trabarias in mare de- „ miſit, qnibus in oppoſitam regionem trajiceret, ſecumque „ Perſas, ſecundum eorum pollicita, adduceret. Quo cognito, „ eodem ipſo die quidam ex noſtris ſolverunt naves cum ſuis „ ſcaphis verſus Chelas, vento licet contrario, quo trabarias a

Digitized by Google

„ trajectu in ulteriorem ripam prohiberent. Ac ſub veſperam „ reverſus eſt abominandus Chaganus proxime ad urbis muros, „ cui ex urbe eſculenta quædam & vina miſſa ſunt: Veniens por- „ ro Hermitzis Abarum exarchus ad portam: *Atrox*, inquit, „ *perpetraſti facinus, quum illos qui heri cum Chagano pranſi* „ *ſunt, occidiſtis: ac præterea ipſi unius caput, alterum vero* „ *manibus truncatum tranſmiſiſtis*. Cui noſtri: *nobis*, inquiunt, „ *ille minime curæ eſt*. Nocte ergo feriæ ſecundæ, ſub diluculum „ non potuere eorum trabariæ fallere noſtras excubias, ac ad „ Perſas trajicere, Sclavis omnibus, qui in trabariis inventi ſunt, „ vel in mare præcipitatis, vel a noſtris interfectis. Sed & Arme- „ nii ex Blachernarum muro egreſſi, ignem in Porticum quæ ædi „ Sancti Nicolai adjacet, immiſerunt. Quemque Sclavi, qui ex „ trabariis in mare natandi gratia ſe demiſerant, Abares eſſe, „ qui ad mare ſtationem haberent, ex igne conjicerent, huc ve- „ nere, ubi ab Armeniis ſunt interfecti. Pauci vero alii ex Scla- „ vis natatu evadentes, quum ad impii Chagani caſtra perveniſ- „ ſent, illius juſſu trucidati ſunt. Ac Deo poſtmodum ita volen- „ te, & interceſſionibus Dominæ noſtræ Deiparæ, uno momen- „ to illius in mari accidit ſtrages. Quippe univerſis trabariis in „ terram a noſtris ſubductis, execrandus Chaganus in ſua caſtra „ reverſus, reduci præcepit machinas omnes quas ante muros „ ſtatuerat, foſſamque quam fecerat diruit, turreſque caſtellis „ inſtructas, quas erexerat; ac vallis & ſudibus, ipſiſque tur- „ ribus caſtellatis ac teſtudinibus corio prius nudatis, incenſis; „ receſſit. Quidam ajunt, Sclavos, quum quod actum fuerat, „ vidiſſent, caſtris relictis receſſiſſe, eoque & execrandum Cha- „ ganum reverti illoſque ſequi coactum fuiſſe. Sed & illud dixit „ impius Chaganus, dum bellum flagraret: *Feminam ego conſpi-* „ *cio egregie veſtitam, abſque ullo comitatu per mœnia diſcurren-* „ *tem*. Quin etiam quum in procinctu eſſet ad recedendum, hæc „ noſtris nunciavit: *nolite exiſtimare præ metu me recedere, ſed* „ *inopia commeatus, & quod tempore minus idoneo vos fuerim* „ *aggreſſus. Proficiſcor igitur annonæ comparandæ operam da-* „ *turus, ac poſtmodum rediturus, ea vobis facturus quæ in me* „ *perpetraſti*. Manſerunt die Veneris extremi agminis cuſtodes „ equites circa loca proxima mœnibus, eodemque die in multa „ ſuburbana uſque ad horam ſeptimam immiſſo igne, receſſerunt „ incenſis præterea æde Sanctorum Coſmæ & Damiani, & Ec-

„ cle-

„ cleſia Sancti Nicolai, lociſque circumjacentibus, Eccleſiam vero Dominæ noſtræ Deiparæ, τὴν τὴν ἁγίαν σορὸν, & Sanctam Arcam, ingreſſi hoſtes, nihil omnino evertere vel labefactare potuerunt, Deo, intemeratæ illius Matris interceſſionibus, ita permittente. Expetierunt autem in illius colloquium glorioſiſſimum Commerciarium: quibus ſic nunciavit Bonus laudatiſsimus Magiſter: *Hactenus quidem data mihi fuit poteſtas ut tecum agerem, ac tractarem de pace: nunc vero piiſſimi noſtri Domini frater una cum exercitu venit mox trajecturus, ac te in regionem tuam comitaturus, ubi invicem de pace tractabitis*. Hæc in Chronico Paſchali.

CAPUT XI.

Bulgarorum, Chrobatorum, & Serviorum initia ſub Heraclio Imperatore.

I. Quid Nicephorus Patriarcha CP. de Hunnis Abaris, & Hunnogunduris ſub Heraclio.

Quamquam Heraclius ab anno *626.* quo antedicta Abarum incurſio contigit, vitam uſque ad annum *641.* produxit, (obiit enim die XI. Febr. anno *641.* ex Pagio ad eund. ann. num. 2.) nulla tamen ſub eo fit amplius Slavorum aut Abarum mentio apud Græcos Scriptores, præter Conſtantinum Porphyrogenitum, & Nicephorum Patriarcham CP. Hic in Breviario hiſtorico, quod ab anno 602. quo Mauricius cæſus eſt, ad annum Chr. 769. perduxit, quo Conſtantinus Copronymus Leoni filio, Chazaro nuncupato, Irenem conjugem Indictione VIII. menſe Decembris dedit: poſtquam relatam ab Heraclio de Perſis victoriam, miſſumque ab ipſo adverſus Saracenos in Antiochenum agrum invadentes Theodorum Ducem narraſſet, ſubjungit; *eodem tempore* (h. e. circa ann. 634. *Maria Heraclii ſoror, pecuniis ad Abarorum Chaganum miſſis, Stephanum filium recepit. Quibus muneribus illectus Abarus, Antonianum Magiſtrum incitat, ut & ipſe ſimilibus donis reliquos, quos habebat obſides, recuperaret: quod & factum eſt*. Mox addit de Hunnogundurorum Principe contra Chaganum Abarum rebellante. *Sub idem fere tempus*, κέβρατος ὁ ἀνεψιὸς Ὀγαρανᾶ, ὁ τῶν οὐννογουνδούρων κύριος, *Cubratus Ogaranæ conſobrinus, Hunnogundorum Dominus, contra Abarorum Chaganum rebellat, populumque omnem, quem ab ipſo acceperat, contumelioſe habitum, patriis ſedibus ex-*

pellit. Inde legatione ad Heraclium miſſa, pacem cum eo componit, quam ad finem uſque vitæ ſuæ conſervarunt. Nam & munera ad ipſum Heraclius miſit, & Patriciatum detulit.

II. Hunnogunduri, iidem ac Hunni Oguri, ſeu Iguri.

Dionyſius Petavius not. in hunc Nicephori locum pagin. 72. edit. Pariſ. ſic ait. Ὁ τῶν Οὐννογουνδούρων. *Conſtantinus Porphyrogenitus lib. 2. de Them... Οὐννογουνδούρους ait vocatos fuiſſe Bulgaros*. Mentem Porphyrogeniti infra exponam. Ad nomen vero *Unnogundorum* quod ſpectat, id corruptum a Græcis, longe adhuc corruptius apud Latinos profertur. Vera nominis etymologia hæc eſt: *Hunni Oguri, Hunni Ogori, Hunni Iguri*, & *Hunni Iburi*. Gens enim Hunnica, ut ſupra diximus, multiplex fuit, & varia nomina a ſuis Ducibus ſortita. Sic Hunni *Abares*; Hunni *Cuturguri* qui corrupte Contragi: Hunni *Uturguri*: Hunni *Ultizuri* qui & *Aulziagri*: Hunni *Vari* qui & Varchonitæ: Hunni *Sabiri*: Hunni *Zali* qui & Sarſelt: Hunni *Saraguri*: Hunni *Agaziri*, qui & Acatiri: & alii. Dicti ſunt itaque *Hunni Oguri* ſive *Iguri*, ab *Ogor*, ſive eorum Principe, ſive provincia, quæ *Iguria* & *Jugaria* hactenus appellatur, Slavis vero dicitur *Jugra* & *Jurba*. Herberſteinius Rer. Moſcovitar. commentar. pag. 63. „ Jugariæ provinciæ ſitus ex ſupradictis patet. „ Rutheni per aſpirationem Jubra proferunt, & populos *Jubrici* vocant. Hæc eſt Juharia, ex qua olim Hungari progreſſi, „ Pannoniam occuparunt, Attilaque Duce, multas Europæ provincias debellarunt. Quo nomine Moſcovitæ multum gloriantur, quod eorum ſubditi magnam Europæ partem olim ſint „ depopulati. Referebat Georgius Parvus dictus, natione Græcus, in priori mea Legatione inter Tractatus volens jus Principis ſui deducere ad magnum Ducatum Lithuaniæ, Regnum „ Poloniæ, &c. Juharos ſubditos magni Ducis Moſcoviæ extitiſſe, & ad paludes Mæotides conſediſſe: deinde Pannoniam ad „ Danubium, & inde nomen Hungariæ accepiſſe: demum Moraviam, ex fluvio ſic nominatam: & Poloniam a Polle, quod „ eſt planities, occupaſſe: de fratris Attilæ nomine Budam nominaſſe. Relata ſaltem volui referre. Ajunt Juharos in hunc „ uſque diem eodem cum Hungaris idiomate uti: quod an verum ſit, neſcio. Nam etſi diligenter inquiſierim, neminem „ tamen ejus regionis hominem haberi potui, quocum famulus „ meus linguæ Hungaricæ peritus colloqui potuiſſet „. Hactenus Herberſteinius. Paulus Jovius in lib. de legatione Moſcovita-

tarum pag. 123. *Inugros* appellat, inquiens: „ In Dividuam influit Juga amnis: in ipſoque confluentium angulo celebre eſt „ emporium, nomine Uſtiuga, a Moſcha regia urbe ſexcentis „ milliaribus diſtans. In Uſtiugam a Permiis, Pecerris, Inugris, „ Ugulicis, Pinnagiſque ulterioribus populis pretioſæ pelles martarum &c. comportantur. *Et mox*. Permii & Pecerri paulo „ ante ætatem noſtram more gentilium idolis ſacrificabant: nunc „ vero Deum Chriſtum colunt. Ad Inugros Ugolicoſque per aſperos montes pervenitur, qui fortaſſe Hyperborei antiquitus „ fuerunt „. An *Ugorici* pro Ugolicis appellandi? Nam Græcis olim dicti ὀγὼρ, quæ vox *Ogur*, & *Ugor* reddi poteſt: quum *Inugri* iidem ſint, ac *Hunoguri*. Pergit Jovius pag. 124. de veterum Gothorum geſtis. „ Cæterum quum a Demetrio quærere„ mus, an apud ipſos ulla de Gotthis populis vel fama per ma„ nus a majoribus tradita, vel ex ipſis literarum monumentis „ memoria ſupereſſet, qui ante mille annos & Cæſarum impe„ rium, & urbem Romam omnibus injuriis deformatam evertiſ„ ſent: reſpondebat: & Gothicæ gentis, & Totilæ Regis nomen „ clarum eſſe atque illuſtre, in eamque expeditionem coiviſſe „ plures populos, & ante alios Moſcovitas: creviſſeque eum „ exercitum ex colluvie Livoniorum, & Circumvolganorum „ Tartarorum: ſed propterea omnes Gothos fuiſſe appellatos, „ quoniam Gothi, qui inſulam Islandiam ſive Scandaviam in„ colerent, auctores ejus expeditionis extitiſſent „. At fabulam narrat Demetrius. Eſto enim, Gothi e Scandavia olim eruperint, at qui ſub Attila & Totila in Romanum Imperium impreſſionem facere, in Pannonia habitabant, neque ſecum ad illam expeditionem populos e Livonia, aut Circumvolganis locis arceſſere potuerunt. Ea eſt autem Græcorum aliorumque recentiorum comminiſcendi libido, ut quum de propriæ gentis fama agitur, omnia ſus deque miſceantur.

Alexander Guagninus Veronenſis, peditum in arce Vitebska finitima Moſchoviæ Præfectus, in deſcriptione Moſchoviæ p.167. hæc de Jugra regione ſcribit. *Jugra ſive Jubra regio, cujus incolæ Jubri vel Jugrici appellantur, ad Oceanum Septentrionalem ſita eſt, ex ea Hungaros ſterilitate regionis cauſata olim prodiiſſe, & Pannoniam occupaſſe ferunt, ajuntque eos patriis locis egreſſos, primo ad paludes Mæotidis conſediſſe. Deinde ad Danubium fluvium Pannoniam verſus conceſſiſſe, a ſuique denominatio-* III. Quo anno Pannonia ab Jhuris, ſive Jugricis populis, qui & Ungari dicti, occupata? notantur Guagnini & Thwroczii allucinationes.

ne

ne Pannoniam Jubariam, deinde Ungariam nominaſſe, & Duce Attila multas provincias Aſiæ & Europæ debellaſſe. Hinc ergo Moſchovitæ plurimum gloriantur, dicentes, ſubditos ſuos quondam Germaniæ, Italiæ, Græciæque fines vaſtaſſe, totoque Mundo terribiles eſſe. Indigenæ hujus regionis vectigal magno Moſchorum Principi ſolvunt, eodemque idiomate cum Ungaris utuntur. Fallitur Guagninus, dum Attilæ temporibus, aſſerit Pannoniam ab Juhris ſive Jugricis populis *Jubariam* ſeu *Ungariam* fuiſſe appellatam. Poſt Attilam enim, Gothi Gepædes, & Langobardi, deinde Hunni Abares Pannoniam diu occuparunt, ideſt uſque ad annum Chr. 799. quo ſunt a Carolo Magno debellati: ut mox dicam: At Hungari Pannoniam non ſunt ante annum 889. ingreſſi. Annaliſta Metenſis: *Anno Dominicæ Incarn.* 889. *gens Hungarorum ferociſſima, & omni bellua crudelior, retro ante ſeculis inaudita, quia nec nominata, a Scythicis regnis, & a Paludibus, quas Tanais ſua refuſione in immenſum porrigit, effuſa eſt*. Et paulo poſt. *Ex ſupradictis igitur locis gens memorata a finitimis ſibi populis, qui Pecinaci* (Patzinacitæ) *vocantur, a propriis ſedibus expulſa eſt, eo quod numero & virtute præſtarent, & genitale rus exuberante multitudine non ſufficeret ad habitandum. Horum itaque violentia effugati, ad exquirendas, quas poſſent incolere terras ſedeſque ſtatuere, valedicentes patriæ, iter arripiunt. Et primo quidem Pannoniarum & Avarum ſolitudines pererrantes, venatu ac piſcatione victum quotidianum quæritant. Deinde Karantanorum, Marahenſium, ac Bulgarorum fines crebris impulſionum infeſtationibus irrumpunt: perpaucos gladio, multa millia ſagittis interimunt.* Itaque fallitur Joannes de Thwrocz, dum in Chronicis Hungarorum Par. 2. cap. 1. Hungaros in Pannoniam veniſſe ſcribit anno Chr. 744. his verbis. *Anno igitur ab Incarn. Domini noſtri Jeſu Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo quarto, a morte vero Attilæ Regis anno trecenteſimo primo, vulgariter Magyari ſive Huni, Latine vero Hungari, tempore Conſtantini Quinti Imperatoris & Zachariæ Papæ, denuo ingreſſi ſunt Pannoniam.* Fallitur, inquam, Thwroczius: nam primo ab anno 453. quo Attilam Hunnorum Regem interiiſſe, Caſſiodorus & Proſper in Chronicis ſcribunt, ad annum Chriſti 744. quo idem Thwroczius Hungaros in Pannoniam rediiſſe contendit, non anni ſunt 301. ſed 291. Deinde anno 744. Hunni Abares adhuc Pannoniam tenebant, quos Carolus Magnus poſt

poſt multa certamina non ante annum 799. ſubegit, Eginhardo teſte in vita ejuſdem Caroli his verbis. „ Maximum omnium, „ quæ a Carolo geſta ſunt bellorum, præter Saxonicum, bello „ contra Wilſos ſucceſſit illud, quod contra Avares ſive Hunos „ ſuſceptum eſt.... quod quum ab his ſtrenuiſſime fuiſſet admi„ niſtratum, octavo tandem anno completum eſt. Quot prælia „ in eo geſta, quantum ſanguinis effuſum ſit, teſtatur vacua „ omni habitatore Pannonia, & locus, in quo Regia Chagani „ erat, ita deſertus, ut ne veſtigium quidem in eo humanæ ha„ bitationis appareat. Tota in hoc bello Hunorum nobilitas pe„ riit, tota gloria decidit, omnis pecunia & congeſti ex longo „ tempore theſauri direpti ſunt &c.

IV. Thwroczii inconſtantia circa Hungarorum in Pannoniam adventum.

Non itaque Hungari anno 744. Pannoniam occuparunt: quum eos conſtet, longe poſt Abaros in Pannonia ſubactos, illuc advenisse. Quod & ipſe Thwroczius, ſui immemor, cap.23. a vero adhorrere novit, quum ait: Zwatopolugo per Hungaros necato, eos deſcendiſſe in Pannoniam: per ſex annos eorum arma & equos meliorare curaſſe: anno ſeptimo Moraviam & Bohemiam, in quibus eo tempore Dux Uratislaus regnare videbatur, crudeliter ſpoliaſſe: treugis cum præfato Duce ordinatis, uno anno quieviſſe: poſthæc Carinthiam hoſtiliter adeuntes, ultra caſtrum Leopach, bellum commiſiſſe cum Duce Moraviæ Gothfrido & Duce Carinthiæ Eberhardo, necnon Gregorio Aquilejæ Patriarcha: eoque in prælio ambos Duces cecidiſſe, Patriarcha tantum per fugam evadente: tum vero Carinthia, Carniola, & Stiria ſpoliatis, cum maxima præda fuiſſe reverſos: Cæſarem igitur Conradum audientem, quod Hungari imperii ſui confinia intraſſent, Duceſque memoratos occidiſſent, decreviſſe venire in Hungariam: ſed propter exortum inter Romanos inteſtinum bellum, id perficere nequiviſſe: anno demum decimo octavo (ex quo Hungari Pannoniam occuparunt) eodem Conrado primo per Alemaniam regnante, Hungaros egreſſos, quibuſdam partibus Theutoniæ vaſtatis, quum ad urbem Auguſtam perveniſſent eamque obſidione cinxiſſent. Ulrico Epiſcopo cum civibus & Sveviæ primatibus obſiſtentibus, nunciosque ad Conradum mittentibus, ab ejuſdem Conradi exercitu fuſos trucidatoſque fuiſſe. Quæ omnia oſcitantiam Thwroczii redarguunt: nam hæc, quam ipſe anno Hungarorum decimo octavo memorat, Conradi cum Hungaris pugna contigit anno Chr. 955. ſub Ottone Rege Ger-

Germaniæ, & Conrado non Alemaniæ Rege, ſed Franconiæ Duce, uti narrat Witichindus qui eo tempore vivebat, & ex Witichindo Pagius ad ann. 955. num. 2. & ſeqq. Qui igitur fieri poteſt, ut Hungari anno Chr. 744. in Pannoniam irruperint, quum octavus decimus annus, ex quo ii Pannoniam ingreſſi dicuntur, in annum Chriſti 955. inciderit? Thwroczius igitur ſibi ipſe repugnat.

V. Bonfinii & Cromeri allucinatio.

Nec meliora Bonfinius, de quo Pagius ad ann. 889. num. 2. *Hunni, & Hungari ejuſdem ſine dubio originis ſunt, recteque Bonfinius in ſua hiſtoria aſſerit, Hungaros trecentis poſt Attilam Hunnorum Regem annis in Pannoniam rediiſſe, ex qua quum a Carolo Magno expulſi fuiſſent, Hunni alii hoc tempore in eandem rediere.* *Hunnos* equidem & *Hungaros* ejuſdem originis eſſe, Pagio ultro concedimus. Sed *recte a Bonfinio aſſeri, Hungaros trecentis poſt Attilam annis in Pannoniam rediiſſe*, id a vero prorſus abhorret: nam quos Carolus Magnus anno 799. ſubegit, ii Abares fuere, Hunni quidem & ipſi, ſed qui Pannoniam a temporibus uſque Juſtini junioris tenuerant: adeoque nulli alii Hunni trecentis poſt Attilam annis in Pannoniam venerunt, niſi ii, quos Thwroczius comminiſcitur ad ann. 744. [aut potius, 754.] quos tamen ponere debuiſſet ad annum 889. uti ex Annaliſta Metenſi demonſtratum eſt, ac proinde poſt Attilam quadringenteſimo ac trigeſimo ſexto anno, non, *trecenteſimo primo*.

VI. Juhra ſeu Jugrà Hunnorum Igurorum, ſive Hungarorum, Regio.

Miror, Cromerum, virum cæteroqui diligentiſſimum, in hunc ipſum errorem impegiſſe, ut Hungaros dixerit in Pannoniam circa annum 760. veniſſe, his verbis, lib. 2. Rer. Polonicar. pag. 423. ubi de Premislo agit, Pannones & Moravos a Polonis repellente. „ Quinam autem hoſtes illi fuerint, Dlugoſſo quam Vincentio libentius aſentimur: niſi quod non explicat is, „ quinam ii Pannones fuerint: nos, Ungaros, qui e Sarmatia „ Aſiatica, ut ſuperiori libro indicavimus, egreſſi, Pannoniam „ tunc iterum occuparant, fuiſse exiſtimamus, eiſque Moravos, „ utpote victoribus victos, militaſse. In illa quidem tempora „ Premisli hujus Principatus incidere videtur, nempe poſt ſeptingenteſimum, & quinquageſimum, vel ſexageſimum an„ num a Chriſto nato „. Atqui eo Chriſti anno Hunni Abares Pannoniam adhuc poſſidebant. Præmislus itaque Pannones Abaros a Polonis repulit, non Hungaros, qui illuc nonniſi anno 889. advenere. Sed ad Jugros redeo. Matthias a Michovia de regionibus

Digitized by Google

nibus Scythiæ *Perm, Baskird, Juhra, & Corela*, per Ducem Mo-
ſchoviæ ſubjugatis, pag. 209. „ Poſt Moſchoviam ſunt gentes
„ & regiones inter Septentrionem & Orientem in fine Aſiæ Se-
„ ptentrionalis, quæ proprie Scythia dicitur, Principi Moſcho-
„ viæ ſubjectæ, per Ivan Ducem Moſcoviæ principaliter ſubju-
„ gatæ, ſcilicet Perm, Baskird, Czirmeiſsa, Juhra, Corela. *Et*
„ *mox*. In terra Perka proprium idioma; in terra Baskirdorum,
„ proprium: In Juhra, proprium: & in Corela, etiam proprium.
„ *Et poſt pauca*. Et memineris quod ſupra dixi, hanc eſse illam
„ Juhram regionem Scythiæ, de qua egreſſi ſunt Juhri, a po-
„ ſterioribus Huni & Hungari dicti, qui ad Gothiam aſcenden-
„ tes, vehementer multiplicati, tranſierunt maxima flumina cir-
„ ca paludes Mæotidas, intraveruntque in Pannoniam, & ſecun-
„ do regreſsu eam occupaverunt, poſſederunt, & in hunc diem
„ tenuerunt, ſuntque ejuſdem ſermonis & loquelæ præciſe, niſi
„ quod addiderunt noſtri Hungari aliqua vocabula ex Sclavoni-
„ co idiomate, earum rerum quæ in Scythia & Juhra non repe-
„ riuntur. Verum in Pannonia Juhri ſunt Chriſticolæ; in Juhra
„ vero patres eorum idololatræ, politiereſque & cultiores ſunt
„ Hungari in Pannonia, omnibus deliciis pleni „. Itaque (ut
ad id unde digreſſus ſum, redeam) iidem populi diverſis nominibus appellati: *Juhri* ſcilicet, *Jugri*, *Iguri*, *Oguri*, *Hunnoguri*, & *Hunuguri*, ſive diviſim *Hunni Iguri*, conjunctim *Hungari*. Porphyrogenitus lib. de admin. Imp. Hungaros proprie dictos, *Turcos* appellat: & Græci Byzantini, Arabes, & Perſæ, populos omnes, qui ad veterem uſque Tartariam extenduntur, ideſt, a Scythia intra & extra Imaum, *Turcos* etiam vocant. *Hunnoguros* Menander, & Theophylactus Simocatta eos nominat. Quamobrem pro Hunnogunduris, uti a Nicephoro ac Theophane dicuntur, reponendum puto, Οὐννογούρων κύριος, *Hunnogurorum Dominus*.

VII. Bulgari ab Hunnogunduris & Cuturguris ſive Cotragis diverſi, quamquam unus idemque Cubratus iis omnibus præfuerit.

An autem *Hunnoguri*, quorum hic apud Nicephorum mentio, ſint iidem cum *Bulgaris*, quemadmodum cl. Petavius exiſtimat loco ſupracitato, ex recitatis quidem Nicephori verbis id definiri nequit. Certe Nicephorus *de Crubato Hunnogurorum Domino* loquens, eundem poſtea ad ann. Chr. 679. ſub Conſtantino Pogonato pagin. 22. *Bulgaris* quoque præfuiſſe ſcribit, in hæc verba: *Nunc de Hunnorum, ut vocant, ac Bulgarorum primordiis dicendum eſt, & quo modo in iis ſedibus conſtituti ſunt*.

Digitized by Google

Theophanes quoque ad ann. Incarn. 671. Conſtantini XI. in eandem fere ſententiam inquit: *Sub id vero tempus Bulgarorum gens in Thraciam irrupit*. Et poſt pauca. *Crobatus quidam præfatæ Bulgariæ Cotragorumque Dominus, letho vicinus, filios quinque poſt ſe reliquens*. Cætera mox recitabo. Verum ex ipſis hiſce Nicephori ac Theophanis verbis colligimus potius, alios eſſe *Bulgaros*, & alios *Hunnoguros*, ſive *Cotragos*: quamquam utrique genti unus eidemque Crobatus præfuerit: Bulgari enim, Slavicæ gentis & linguæ ſunt; at Hunnoguri & Cotragi, Hunnicæ. Sermo autem Hunnicus a Slavico prorſus differt. Sicuti autem Bajanus Abarum ſimul Chaganus & Sclavinorum Dominus fuit, etſi Sclavini non eſſent Abares; ita Crobatus Bulgaris præfuit & Hunnoguris ſive Cuturguris, quamquam hi ab illis ſermone & gente differant. Id planum fit tum ex iis, quæ ſupra de Hunnoguris, & Cuturguris dicta ſunt; tum ex ipſo Theophane, qui loc. cit. de gentium iſtarum ſedibus hæc ptæfatur, ἀναγκαῖον δὲ εἰπεῖν καὶ περὶ τῆς ἀρχαιότητος τῶν οὐννοβουνδοβουλγάρων, καὶ κοτράγων. *Sane de Hunnobundobulgarorum & Cotragorum antiquitate nonnihil hic de libare operæ pretium* (*a*) *duco*. Goar not. in hunc Theophanis locum: *Separant*, inquit, *hanc dictionem alii codices apud varias Lectiones, quibus Anaſtaſius aſſentitur interpretans, Onogundurен-*

a Multa ſunt hac in Topographia, (Verba hæc ſunt Dion Petavii) perperam a Theophane deſcripta. Primum Atel ingentem fluvium aſſerit cum Tanai miſceri atque in Mæotidem decurrere. Atel idem eſt cum Rha Sarmatiæ Aſiaticæ ingenti ſane fluvio, quem Edel ab accolis Tartaris hodieque nominari referunt: ab aliis Volga. At is neque cum Tanai miſcet undas, neque in Mæotidem, ſed in Hyrcanum pelagus evolvitur. Hæc Petavius. At cum pace tanti viri, certum quidem eſt, Atel ſeu Rha fluvium in mare Hyrcanum devolvi; ſed æque certum eſt etiam, partem hujus fluminis cum Tanai miſceri, ut conſtat ex Charta Geographica nuper Turcice impreſſa anno Hegiræ 1142. Chr. 1729. quam penes me habeo. Idem confirmatur ex charta Herberſteinii, rerum Moſcovitarum Commentario præmiſſa. Quod antem ait Theophanes, Tanaim ab Ibericis Pylis ad Caucaſios montes fixis profluere, condonandum eſt Theophani, qui Caucaſios montes, ab Iberia rurſum verſus boream proteuſos, uſque ad locum ubi pars Atelis in Tanaim derivatur, Iberias portas appellat. Sed neque monſtri loco habendum eſt, quod idem addit, fluvium Cophinen dictum, ex divortio (imo ex conſortio & commiſtione) Tanais & Atelis exortum, in maris Pontici finem juxta Necrophylas ad Promontorium, quod Κριοῦ πρόσωπον dicitur. prorumpere: nam Tanais accepta Atelis portione, verſus Mæotidem procurrens, in eam paludem influit, & ex eadem palude per Cimmerium Boſporum exit verſus illud Promontorium, quemadmodum charta Mæotidis oſtendit apud Cellar. lib. 2. cap. 6. pag. 495. Id itaque ſolum in Theophanis editione reprehendendum quod pro Iberis *Hebræos* habet, his verbis. καὶ εἰς μὲν τὰ πρὸς ἀνατολὴν μέρη τῆς προκειμένης λίμνης ἐπὶ Φαναγουρίαν, καὶ τοὺς ἐκεῖσε οἰκοῦντας Ἑβραίους (lege Βήρους) παράκεινται ἔθνη πλεῖστα. *Et ad Orientalem quidem præjacentis Paludis plagam verſus Phanaguriam, Hebræos* (*lege*, Iaeres) *ibi degentes, hominum nationes plurimæ numerantur*, Res enim clara eſt, ibi de Iberis, non de Hebræis ſermonem eſſe.

Digitized by Google

renſium Vulgarorum. Verum dicit, ſed non totum. Tres enim, non duo hic populi recenſentur, *Hunnoguri* ſcilicet, *Bulgari*, & *Cotragi* ſive Cuturguri: adeoque legendum, τῶν οὐννογουνδούρων, Βουλγάρων, καὶ Κοτράγων, *Hunnogundurorum*, *Bulgarorum*, & *Cotragorum*. Non eſſe autem unos eoſdemque populos, idem Theophanes non obſcure indicat paulo infra, quum ait: ἡ παλαιὰ Βουλγαρία ἐστὶν ἡ μεγάλη καὶ οἱ λεγόμενοι κότραγοι ὁμόφυλοι αὐτῶν καὶ οὗτοι τυγχάνοντες: *ipſa antiqua magnaque Bulgaria ſita eſt, & quæ Cotragorum Bulgaris contribulium vocatur regio*: Et mox. Κροβάτου τοῦ κυρίου τῆς λεχθείσης Βουλγαρίας καὶ τῶν Κοτράγων τὸν βίον μεταλλάξαντος, *Crobatus quidam præfatæ Bulgariæ, Cotragorumque Dominus, letho vicinus*. Sed neque a Theophane diſſentit Nicephorus, qui loc. cit. non tres, ſed duos populos nominat, Hunnos ſcil. & Bulgaros. *nunc de Hunnorum, ut vocant, ac Bulgarorum primordiis dicendum eſt*. Et paulo poſt, quinam *Hunnorum* nomine intelligantur, exponit, inquiens: *Ad Mæotidem paludem juxta Cophinem fluvium ſita eſt*, ἡ πάλαι καλουμένη μεγάλη Βουλγαρία, καὶ οἱ λεγόμενοι κότραγοι ὁμόφυλοι αὐτῶν καὶ οὗτοι τυγχάνοντες; *magna Bulgaria, & quæ Catragorum gens dicitur ejuſdem cum illis generis*: Scythici nimirum, non Slavici: nam Scythæ omnes, Bulgari, Hunni, Slavi, & alii aliis nominibus appellati: non tamen Slavi omnes, ſed Bulgari, Crobati, Ruſſi, Servii, Slavi ſunt: Hunnoguri autem, Cotragi, & ſimiles, ſunt Hunni, ut ſæpe diximus.

VIII. Nicephori ac Theophanis locus de Bulgaris, & Hunnogunduris exponitur Pagii & Cangii, clarorum virorum, allucinatio

Verum, ut ad propoſitum ſcopum redeam, inquirendum hic nobis eſt, de quo Cobrato ſeu Crobato hic loquatur Nicephorus, dum ait, illum Hunnogurorum Dominum fuiſſe, ac contra Chaganum Abarum ſub Heraclio rebellaſſe Petavius in notis, ut modo ajebam, Bulgaros a Nicephoro deſignari affirmat, tam hic pag. 116. ubi de Cobrati rebellione agitur, quam infra pag. 22. quum ſermo eſt de Cobrato morti proximo, filioſque quinque monente, ne ſeorſim a ſe invicem habitarent, quo imperium communi concordia ſtabilirent. Quamquam enim in Greco Nicephori textu pag. 16. appelletur, κούβρατος ὁ τῶν οὐννογουνδούρων κύριος, & pag. 22. κουρατός τις κύριος γενόμενος τῶν φύλων τούτων, ideſt, τῶν λεγομένων οὔννων, καὶ Βουλγάρων; unum tamen eundemque eſſe Petavius exiſtimat utrobique Cubratum Hunnorum, & Bulgarorum Regem. Pagius quoque ad annum Chriſti 558. num. 7. poſtquam ex Theophane & Agathia, eam *Hunnorum Scla-*

vorumque irruptionem deſcripſiſſet, quando *Zabergan Hunnorum Cuturgurorum Rex* agrum Conſtantinopolitanum depopulatus, a Beliſario ad proprias ſedes redire compulſus eſt, *Bulgaros* fuiſſe cenſet eos, qui apud Theophanem quidem ad ann. Incarn. 551. dicuntur *Hunni*, & *Sclavi*; ab Agathia vero lib. 5. a pag. 155. *Hunni Cuturguri* vocantur. Sic enim ſcribit: *Porro Unni iſti, ſive Hunni, diverſi non ſunt a Bulgaris, ut liquet ex Theophane ad annum* XI. *Conſtantini Pogonati, ubi & eos Hunnogundo Bulgares, & Contragos etiam appellat, & ex Nicephoro in Breviario pag.* 22. *ex quo Theophanes deſumpſit quæ de illis narrat. Agathias loco laudato, ubi eorum cladem refert*, Hunnos Cotriguros *vocat; ſed quum eadem de illis narret, ac Theophanes ſub Hunnorum & Sclavorum nomine, non dubium quin Hunni iſti iidem cum Bulgaris fuerint, & hæc varia nomina eandem gentem ſignificent. Poſt hæc toto hoc ſeculo nulla ferme apud Scriptores Bulgarorum mentio occurrit*. Hæc quidem Pagius. Verum, cum pace tanti viri, duo hic peccare mihi videtur: primum, quum ait, Bulgarorum ab hoc anno 558. ad 600. nullam apud Scriptores occurrere mentionem: nam diſerta eorum mentio apud Theophanem ad annum Mauricii 16. Chr. 597. ubi *Priſcus* dicitur *navibus ad Singidonem applicatis, urbem depopulatus, Bulgaros ex ea ejeciſſe, & murum exædificare cœpiſſe*. Alterum, dum aſſerit Hunnos, Sclavos, Hunnos Cotriguros, & Bulgaros, varia quidem nomina eſſe, ſed unam eandemque gentem ſignificare. Quæ eſt etiam Cangii allucinatio cap. 6. de Familiis Dalmaticis, & Sclavonicis, ubi deſcriptum ex Agathia ac Theophane Hunnorum Cotrigurorum bellum, Bulgaris ipſe tribuit, inquiens pag. 306. *Agathias qui hujuſce Bulgarorum cladis meminit, Cotriguros vocat; Nicephorus CP. & Theophanes Contragos, qui iidem cum Bulgaris prorſus cenſentur*. Decepit doctos viros locus Conſtantini Porphyrogeniti non bene intellectus. Ait ſiquidem Porphyrogenitus lib. 2. de Themate primo. *Thraciæ Thema nuper in numerum ac ordinem Thematum poſitum fuit; ex quo nimirum tempore Bulgarorum gens Iſtrum fluvium trajecit; quandoquidem prius in duo Regna diviſa fuerat Thracia*. Et mox. *Etenim Bulgaria, & Iſter fluvius, & mons percelebris Hæmus nuncupatus, qui uſque ad Pontum pertinet, Thraciæ partes fuerunt; nunc autem alienæ ac ſejunctæ exiſtunt. Cæterum Thraciæ Thema ſub Imperatore Conſtantinopolitano conſtitutum, ad ejus jura & miniſteria redactum*

Digitized by Google

ctum erat; nec allus unqam Prætor in ea fuerat: at ex quo infenſa Deo Bulgarorum natio ad Iſtrum fluvium trajecit, tunc etiam Imperator ipſe coactus fuit, ob incurſus & impreſſiones τῶν σκυθῶν, καὶ αὐτῶν τῶν Βουλγάρων, *Scytharum, & ipſorum Bulgarorum, ad Thematis ordinem Thraciam reducere, & Prætorem in eo Themate creare. Barbarorum autem tranſitus ad Iſtrum fluvium circa finem Imperii Conſtantini Pogonati extitit; unde eorum nomen inclaruit, ac pervagatum eſt: antea quippe* ὀνογουνδούρους αὐτοὺς ἐκάλουν, *Onogunduros eos appellabant*. Ex his Porphyrogeniti verbis Cangius, Pagius, & Bandurius in not. ad laudatum de Thematibus teſtimonium, colligunt, eandem gentem eſſe Bulgaros, ac Hunnogunduros. Et Bandurius quidem addit Pauli Diaconi ſuffragium, inquiens: *Bulgaros Onogunduros quoque, & Contragos dictos fuiſſe ſcribit Diaconus: Onogundurenſes vero dicuntur in hiſtoria Miſcella* XIX. Verum Diaconus in libris de geſtis Langobardorum, *Bulgaros* quidem memorat lib. 1. cap. 16. & 17. & lib. 5. cap. 29. at illos *Onogunduros* vel *Contragos*, nuſquam nominat. Auctor vero Miſcellæ, nimirum idem ipſe Paulus Diaconus, allata Theophanis verba ad annum Conſtantini Pogonati XI. ſic Latine reddit: *hoc quoque anno Bulgaris gens ſupervenit in Thracem. Verum inter hæc neceſſe eſt dicere de antiquitate quoque Onogundurenſium Bulgarum, & Contragenſium*. Et poſt pauca. *Antiquitas Bulgaria eſt magna, & hi qui dicuntur Contragi, ejuſdem cujus & ipſi tribus exiſtunt. Temporibus autem Conſtantini, qui in Occidente regnavit, quum Orbatus Dominus jamdictæ legionis Bulgariæ ſeu Contragorum vitam commutaret*. Et cætera Multa hic notanda. Primum, pro, *Bulgaris gens ſupervenit in Thracem*, legendum omnino, *Bulgarorum gens*: ut ſupra ex Nicephoro ac Theophane. Deinde interpunctio ponenda inter Onogunduros & Bulgaros, ſic: *de antiquitate Onogundurenſium, Bulgarorum, & Contragenſium*. Bulgaros & Bulgares ſcribit Diaconus: ſic Contragos, & Contragenſes: Onogundurenſes & Onogunduros. Tertio, obſcurum eſt, quod dicitur, *Bulgaria magna, & hi qui dicuntur Contragi, ejuſdem cujus & ipſi tribus exiſtunt*; clarius exponendum ex Theophane, *& quæ Contragorum Bulgaris contribulium vocatur regio*. Quarto, pro *Orbato jam dictæ legionis Bulgariæ ſeu Contragorum Domino*, reſpondendum, *Chrabatus jam dictæ regionis Bulgariæ, & Contragorum Dominus*. Ita reſtituta Miſcellæ lectione, patet a Ban-

dū-

durio perperam inde colligi, eoſdem eſſe Bulgaros, ac Contragos, & Onogunduros. Nunc autem, ut ad Porphyrogenitum redeam, ejus quoque verba docti viri Cangius & Pagius non ſatis intellexerunt. Vult enim Porphyrogenitus, non propter ſolos Bulgaros, ſed propter alios etiam Barbaros Scythas Thema Thraciæ ab Imperatoribus inſtitutum: & hac præmiſſa Bulgarorum, aliorumque Scytharum mentione, ſubjungit, Barbarorum iſtorum tranſitum ſub Conſtantino Pogonato accidiſſe, eorumque deinceps nomen inclaruiſſe, quum antea *Onogunduri* appellarentur; ideſt, quum antea *Onogundurorum* nomen celebre eſſet, non autem *Bulgarorum*; factum eſt poſtea ut celebrior Bulgarici nominis fama evaderet. Cæterum Bulgaros ab Onogunduris ſeu Hunnoguris omnino differre, præter jam dicta teſtatur etiam Jornandes, qui de rebus Geticis cap. 5. quum Scythiæ ſitum, & varias Gothorum in ea ſedes deſcribit, diſertam facit Gothicarum, Hunnicarum, & Slavicarum gentium mentionem. *Scythia*, inquit, *longe ſe tendens lateque aperiens, habet ab Oriente Seres, in ipſo ſui principio ad litus Caſpii maris commanentes; ab Occidente Germanos & flumen Viſtulæ; ab Arctoo, ideſt Septentrione, circumdatur Oceano; a meridie, Perſide, Albania, Iberia, Ponto atque extremo alveo Iſtri, qui dicitur Danubius, ab oſtio ſuo uſque ad fontem*. Et mox. *In qua Scythia, prima ab Occidente gens ſedet Gepidarum, quæ magnis ambitur fluminibus.... Introrſus illi Dacia eſt, ad coronæ ſpeciem arduis alpibus emunita, juxta quorum ſiniſtrum latus, quod in aquilonem vergit, & ab ortu Viſtulæ fluminis per immenſa ſpatia venit, Winidarum natio populoſa conſedit: quorum nomina licet nunc per varias familias & loca mutentur, principaliter tamen Sclavini, & Antes nominantur. Ad litus autem Oceani, ubi tribus faucibus fluenta Viſtulæ fluminis ebibuntur, Vidioarii reſident, ex diverſis nationibus aggregati, poſt quos ripam Oceani Itemeſti tenent, peccatum hominum genus omnino. Quibus in auſtro ſedet gens Agazzirorum fortiſſima, frugum ignara, quæ pecoribus & venationinus victitat. Ultra quos diſtenduntur ſupra mare Ponticum BULGARORUM ſedes, quos notiſſimos peccatorum noſtrorum mala fecere. Hinc jam Hunni, quaſi fortiſſimarum gentium fœcundiſſimus ceſpes, in bifariam populorum rabiem pullularunt. Nam alii Aulziagri, alii Aviri nuncupantur, qui tamen ſedes habent diverſas. Juxta Cherſonem Aulziagri, quo Aſiæ bona avidus mercator importat, qui æſtate campos* *per-*

Digitized by Google

pervagantur effuſos, ſedes habentes, prout armentorum invitaverint pabula; hieme ſupra mare Ponticum ſe referentes. HUNUGARI autem hinc ſunt noti, quia ab ipſis pellium murinarum venit commercium, quos tantorum virorum formidavit audacia: quorum manſionem primam eſſe in Scythiæ ſolo juxta paludem Mæotidem, ſecundo in Mœſia, Thraciaque, & Dacia, tertio ſupra mare Ponticum, rurſus in Scythia legimus habitaſſe. En igitur populi Scythiæ, *Gepidæ*, nimirum, *Winidæ*, *Sclavini*, *Antæ*, *Vidioarii*, *Itemeſti*, *Agazziri*, *Bulgari*, *Hunni Aulziagri*, *Aviri*, & *Hunugari*: qui omnes ad triplicem gentem reducuntur, *Gothicam* ſcilicet, *Hunnicam*, & *Sclavicam*. Certe *Hunugari* apud Jornandem a *Bulgaris* diſtinguuntur.

IX. Cobrati Bulgarorum, Hunnogurorum, & Cuturgurorum Principis ejuſque filiorum ſub Heraclio & Conſtantino Pogonato res geſtæ.

Reſtat itaque, ut dicamus, tam Nicephorum, quam Theophanem de *Cobrato* ſive *Crobato* loqui, Rege Bulgarorum ſimul & Hunnorum Cuturgurorum, Igurorumque, qui circa annum Chr. 634. ſub Heraclio Imperatore ab Abarum Chagano Pannoniæ Rege, Sclavorumque ac Hunnorum Trans-Danubianorum tyranno deficiens, legatione ad Heraclium miſſa, pacem cum eo compoſuit, quam & ad finem uſque vitæ ſuæ ſervavit; Heraclio autem aliiſque poſt ipſum Imperatoribus defunctis, anno Chr. 679. Conſtantini Pogonati XI. id Bulgaris poſt ejuſdem Cobrati obitum accidiſſe, quod a Nicephoro narratur pag. 23. in hæc verba.

„ Porro Conſtantini tempore, qui in Occidente obiit, Curatus „ quidam „ (*nempe Cobratus* (a) *ſive Crobatus*, *de quo ſupra*:) „ gentium illarum Princeps (Bulgarorum ſcilicet, Cuturgurorum, & Hunnogurorum) ex hac vita diſcedens, quinque filios „ reliquit, quibus hoc teſtamento præcepit, ne ſeorſim a ſe invicem habitarent, quo imperium communi concordia ſtabilirent. At illi paternis mandatis neglectis, paulo poſt ſejuncti „ ſunt, adeo ut ſuam quiſque populi partem abduceret. Horum „ primus Baſianus, ex parentis præcepto, patrio in ſolo in hanc „ uſque diem conſtitit. Secundus Cotragus, tranſmiſſo Tanai, „ horum ex adverſo ſedes poſuit. Quartus trans Iſtrum penetrans, in Pannonia, quæ nunc ſub Abarorum poteſtate eſt, fœdere cum habitatoribus inito, domicilium collocavit. Quintus „ in Ravennatem Pentapolim delatus, ac Romanorum vectigalis „ factus eſt. Denique tertius, Aſparuch nomine, Danaprim &

„ Dana-

(a) In hiſt. Miſcella lib. XIX. perperam vocatur *Orbatus*. Et primus filius *Batbajas*. ſecundus *Contaragus*, tertius *Haſparuch*.

„ Danaſtrim flumina trajiciens, ad Danubium conſedit, ubi lo-
„ cum ad habitandum idoneum occupavit, quem ſua lingua (*a*)
„ Oglum appellant, acceſſu, difficilem, & hoſtibus inexpugna-
„ bilem: cujus anteriora ſitus aſperitate & paludibus munita ſunt;
„ poſteriora præruptis rupibus ac ſalubris tamquam muro vallan-
„ tur. Hoc modo diviſa gente ac diſſipata, Chazarorum natio
„ ex interiori (*b*) Berylia profecta, quæ Sarmatis vicina eſt,
„ excurſiones impune faciebat: atque ita graſſantes, trans-
„ ductis copiis ultra Euxinum mare perveniunt, ubi Bajanum
„ (*c*) in ſuam poteſtatem redigunt, ac ſtipendiarium fa-
„ ciunt „. Antequam reliqua Bulgarorum geſta perſequamur, expendenda ſunt recitata Nicephori verba. Primo ait *Conſtantini temporibus qui in Occidente obiit*: ita & Theophanes, ἐπὶ τῶν χρόνων Κωνσταντίνου τοῦ εἰς τὴν δύσιν *Conſtantini temporibus qui in Occidente*, ſupple lacunam, ἐτελεύτα, *obiit*: intelligunt autem non Conſtantinum Pogonatum, ſub quo ſequentia narrantur, ſed *Conſtantem*, Conſtantini filium, Heraclii nepotem, de quo idem Nicephorus pag. 21. Κωνσταντῖνος οὖν ἐν Σικελίᾳ ὑπὸ τῶν ἰδίων ὑπηρετῶν δόλῳ φονευθεὶς ἐν τῷ λουτρῷ, ἤδη ἐν τῇ βασιλείᾳ εἰκοστὸν ἕβδομον ἔτος ἐτελεύτα: *Igitur Conſtantinus in Sicilia a ſervis ſuis dolo in balneis interfectus anno expleto imperii ſui vigeſimo ſeptimo moritur*: nimirum Idibus Julii anno Chriſti 668. Quare Pagius ad annum 678. num. 4. de Bulgarorum exordiis recte ait: *Ad Mæotidem paludem juxta Cophinem fluvium ſita erat magna Bulgaria, cujus princeps, Conſtantis Conſtantini Pogonati patris tempore, relictis quinque filiis obiit*. Emendandum igitur quod in Miſcella hiſtora lib. XIX. dicitur: *temporibus Conſtantini qui in Occidente regnavit*. Conſtans enim, dictus Conſtantinus, non in Occidente regnavit, ſed obiit: Orientis autem Imperium tenebat, necnon eam Italiæ partem, quam Langobardi occupare nequiverant. Secundo, qui Baſianus primus Crobati filius Nicephoro dicitur, is Theophani vocatur Βατβαϊάς, ſeu Βατβεαγάν, *Batbajas*, ſive *Batbea-ghan*. Tertio, quod de quarto filio ſcribit, Iſtro trajecto, eum in Pannonia, *quæ nunc ſub Abarorum poteſtate eſt*, ſedes fixiſſe; idipſum confirmat Theophanes his verbis, *flu-*

a In Miſcell. hiſt. *Honglon*: & *Hoglon*, Theophan. *Onclum*.
b Miſcell. Gens magna Gazarorum ex interiori profundo Berziliæ primæ Sarmatiæ. Thophan. *Berzelia*.
c *Bajanum*, Nimirum, primum Crobati filium, qui Baſianus, Batbajaſque dicitur.

flumen Iſtrum prætervectus in Pannoniam Abaricam Chagano Abarum Principi poſtmodum ſubdendus, cum omnibus ſuis copiis tranſit: non quod tunc temporis Chaganus Abarum Pannoniam non poſſideret; (ex quo enim Langobardi inde in Italiam migrarunt, Abares ab anno 568. Pannoniam, ut ſæpe diximus, poſſederunt, uſque ad annum 889. quo a Carolo Magno devicti ſunt:) ſed ſignificant, eum maluiſſe, in Pannoniam Chagano Abarum ſubjectam ſubjiciendus & ipſe tranſire, quam alias ſibi ſedes bello quærere; ut recte exponit auctor Miſcellæ inquiens: *Quartus autem & quintus Iſtrum, ideſt Danubium, fluvium tranſmeantes, unus eorum in Avariæ Pannonia Chajano Avaro ſe ſubdens; manſit illic cum potentatu ſuo: alter vero haud procul ab urbe Ravenna in Pentapolim veniens ſub Chriſtianorum Imperio factus eſt*. Hinc quod ait Nicephorus quintum Chobati filium in Ravennatem Pentapolim delatum ac Romanorum vectigalem factum; optime exponitur a Theophane, eum nimirum Pentapolim ad Ravennam perveniſſe, & Chriſtianorum Imperio pariter ſubjectum remanſiſſe: nimirum, ſicut quartus, Abarorum infidelium in Pannonia; ſic quintus fuit Chriſtianorum Langobardorum vectigalis in Italia. Huic nomen Alzeconi fuiſſe teſtatur Paulus Diaconus de geſtis Langobardorum lib.5. cap.29. his verbis. *Per hæc tempora* (Conſtante ſcilicet Byzantii imperante, & Grimoaldo Ticini Langobardorum Rege) *Bulgarorum Dux, Alzeco* (*a*) *nomine, incertum quam ob cauſam, a ſua gente digreſſus, Italiam pacifice introiens, cum omni ſui Ducatus exercitu, ad Regem Grimoaldum venit; ei ſe ſerviturum, atque in ejus patria habitaturum promittens. Quem ille ad Romoaldum filium ſuum Beneventum dirigens, ut ei cum ſuo populo loca ad habitandum concedere deberet precedit. Quos Romoaldus gratanter excipiens, eiſdem ſpatioſa ad habitandum loca, quæ uſque ad illud tempus deſerta erant, contribuit, ſcilicet, Sepianum, Bovianum, & Iſerniam, & alias cum ſuis territoriis civitates; ipſumque Alzeconem mutato dignitatis nomine de Duce Gaſtaldum vocitari præcepit. Qui uſque hodie* (h. e. uſque ad annum circiter 790.)

a Alzeco. Ignotus Caſinenſis num.111. *Alzecus Vulgarius cum hominibus ad habitandum ſuſcipitur: Græcorum, Romanorumque Langobardi gentes ſuperantes, totam ſimul Beneventi poſſident patriam*: Suſpicatur Peregrinius, a Beneventano Duce atque illius patre Rege Grimoaldo, Alzeconem cum ſuis Bulgaris contra Græcos in ſubſidium acceſſitum fuiſſe, & a Ravennæ agris, in quibus primum hoſpitio accepti fuerant, ad novas ſedes abductos, quas Paulus Diaconus in Beneventano Ducatu memorat.

Digitized by Google

in iis, ut diximus, locis habitantes, quamquam & Latine loquantur, linguæ tamen propriæ uſum minime amiſerunt. Urbes a Paulo Diacono memoratas, Alzeconi & Bulgaris non temporarie, ſed perpetuo & proprie in feudum datas a Romoaldo Beneventano Duce, demonſtrat Peregrinius in diſſertat. *Ducatus Beneventanus in antiquas provincias an tributus*: ubi explicata civili Gaſtaldorum poteſtate, de militari diſſerens, Jacobum Cujacium urbes Alzeconi jure Gaſtaldiæ temporarie datas aſſerentem ita caſtigat: *Haud inquam viro ſane doctiſſimo conſentiam; nam minime ſimplex & una dumtaxat, ſed multiplex ac mixta; ut dictum eſt, fuit Gaſtaldorum prærogativa. Et inſuper nec Alzecus, ſicut Ducis dignitatem, & nomen depoſuerat; ita vel acceptas ad incolendum urbes & oppida, vel ſuæ gentis, tranſacto ſui Gaſtaldatus anno, dimiſiſſe videtur curam: quum Paulus aperte affirmet, Bulgaros ſuſceptas ſedes ad ſuam uſque ætatem incoluiſſe, qui in iis locis habitantes, quamquam etiam Latine loquerentur, linguæ tamen propriæ uſum minime amiſerunt: nec amiſerunt, ego addam, peculiarem habere ex propria gente Gaſtaldum. Renuit itaque, me arbitro, Rex Grimoaldus nomen Ducis permittere Alzeco, non quod perpetuum ei nollet dare Gaſtaldatum: ſed quod ille ſub Beneventano Duce conſtituendus, primitivam retinere non poſſet dignitatem, qui namque quum eſſet advena temporaneam in locis perpetuo ſibi ſuiſque inhabitandis accipere debuiſſet Dynaſtiam?* Muratorius Cujacium cum Peregrinio concilians, nihil commune ait Alzeconi fuiſſe cum cæteris Gaſtaldis præter nomen, eumque revera jure perpetuo feudum habuiſſe, depoſito tamen Ducis nomine, ne par Romoaldo Domino ſuo, quo beneficium acceperat, haberi poſſet.

X. Bulgarorum initia & progreſſus ab anno 678.

Redeo nunc ad tertium Crobati filium, qui Bulgaris ad Danubium habitantibus imperavit. Sic igitur Nicephorus pag. 33. „ Conſtantinus poſtquam comperit ab ea gente, quæ ad Danubium habitabat, Romani Imperii limitem vaſtari, militaribus „ copiis in Thraciam traductis, adornataque inſuper claſſe, ad „ retundendos illorum impetus progreditur. Bulgari vero equeſtrium ac navalium copiarum multitudinem conſpicati, ſubitaque re nec opinata perculſi, ad munimenta ſua confugiunt. In „ quibus quum quatriduo manſiſſent, neque ob locorum aſperitatem Romani prope manum conſerere poſſent, confirmati „ animis & alacriores facti ſunt. Inter hoc Imperator ex pedum

„ ægri-

„ ægritudine acriori dolore percitus, ad urbem Meſembriam cu-
„ randi corporis gratia delatus eſt, quum ante Ducibus ſuis atque
„ exercitibus mandaſſet, ut in munitionis obſidione pergerent,
„ & quæ ad gentem illam propulſandam pertinerent, omnia
„ perficerent. Verum quum fugere Imperatorem fama pervul-
„ gaſſet, conſternati noſtri paſſis manibus fugiunt. Quibus con-
„ ſpectis Bulgari vehementius fugientium terga premere, & quos
„ aſſequi poterant cædere, pleroſque vulnerare. Inde quum
„ Danubium tranſiiſſent, & ad Barnam, quæ prope Odyſſum, &
„ eminentiora illa mediterranea eſt, perveniſſent, quum eum
„ locum undique & a fluvio, & a regionis aſperitate munitum
„ animdverterent, ibidem caſtrametati ſunt. Sed & Sclavino-
„ rum gentem, quæ illic in propinquo degebat, in poteſtatem
„ redigunt, ac partem ſuorum in eo limite, qui Abares reſpicie-
„ bat, collocant: alios Romanorum finibus objiciunt. Quibus
„ rebus aucti atque confirmati, Thraciæ oppida locaque omnia
„ populantur. Quare Imperator annua penſitatione promiſſa,
„ pacem cum iis facere coactus eſt „. Theophanes fixas Bulga-
rorum ſedes clarius explicat his verbis. „ Tum vero flumine
„ trajecto, Barnam ita dictam, Odyſſo vicinam, & mediterra-
„ raneos agros perveniunt. Quumque locum omnem retrorſum
„ ab amne Danubio, ante vero & ab utroque latere cluſuris ſive
„ montium anguſtiis & mari Pontico probe munitum conſpexiſ-
„ ſent, & Sclavinorum illic degentium ſeptem generationes,
„ quæ dicuntur, in poteſtatem regediſsent; Seberenſes (*a*) qui-
„ dem, Σιβέρεις, ab anteriore Beregaborum cluſura ad Orien-
„ tales plagas; Meridiem vero & Occidentem verſus, ad Aba-
„ riam uſque, reliquas gentes ſeptem ſibi vectigales factas illuc
„ tranſtuleruut ac collocarunt. In hunc itaque modum dilatatis
„ & expanſis eorum terminis, Romanæ Reipublicæ urbes & op-
„ pida, animis in ſuperbiam elatis, diruere ac prædari cœperunt.
„ Ex quo Imperator coactus cum eis pacem agere, & exigente
„ delictorum noſtrorum numero, non ſine magno Romani nomi-
„ nis dedecore, pactam annuatim pecuniam eiſdem perſolvere.
„ Et ſane res auditu mirabilis tum noſtratibus extitit, tum exte-
„ ris, eos, qui univerſas gentes, qua ab Ortu ad Occaſum, rur-
„ ſuſque a Meridie (*b*) ad Septentrionem longe lateque excurri

 „ Or-

a *Seberienſes*. Miſcella, *Severos locaverunt ab anteriore clauſura Veregaborum*.
b Miſcell. *tam eos, qui ad Eoum & Occaſum, quam ad Arctum, & Neſembiam commorabantur*. Ubi *Meſembria* pro meridie.

„ Orbis, vectigales olim ſibi facere; nunc ab iſta abominanda & „ nuper enata gente eſse ſuperatos „. Id porro accidit ſecundum Sigebertum, anno Chriſti 680. Secundum Theophanem anno Conſtantini XI. h. e. Chr. 679. non vero 678. uti Pagius autumat: niſi dicamus, eum loqui de initio belli hujus Bulgarici, quod anno 678. a Conſtantino ſuſceptum, indicat ejuſdem Conſtantini Epiſtola, quam ad Donum Papam eodem anno ſcripſit, etſi Romam non pervenerit, niſi Dono jam mortuo: in qua Epiſtola num. XI. hæc Imperator: „ Spem habemus in coronatore „ Deo noſtro, quia dum prævideri ſuper hoc ferventem no„ ſtrum affectum (*in pace ſcilicet Eccleſiæ procuranda*) ejus beni„ gnitas etiam ingruentes nobis perturbationes gentium ſedabit: Ubi eum Bulgaros innuere recte vidit Baronius, & ex ipſo Pagius. Cedrenus de Bulgaris ſemel ad annum X. iterum ad XI. Conſtantini agit. „ Anno decimo, *inquit*, Bulgari in Thraciam invaſe„ runt: quumque adverſus eos Imperator duxiſſet, Romani vi„ cti ſunt, multique deſiderati. Cum iis Imperator pactum icit, „ omnia cupiens habere pacata: ejuſque ſtoliditate res Chriſtia„ na dedecus accepit „. Et poſtquam Synodum ſextam adverſus Monothelitas habitam ann. Conſtantini XIII. deſcripſiſſet, ruſſus redit ad Bulgaros, inquiens. „ Anno XI. Bulgari Danubio „ trajecto a ſuis popularibus ſeparati, in Barnis habitaverunt, in „ ſaltibus quibuſdam & montibus. Contra hos Imperator claſ„ ſem exercitumque duxit. Sed Bulgari primo Romanorum im„ petu ſua ſalute deſperata, in munitionem quamdam receſſe„ runt, ibique ſe in tuto collocarunt: quumque eos adoriri Ro„ mani ob iniquitatem locorum non poſſent, ferociores facti ſunt. „ Accidit autem (*deeſt aliquid:*) & ſparſo rumore Imperatorem „ fugiſſe, nemine argente fugam fecerunt. Hoc aimadverten„ tes Bulgari, a tergo eos inſequuti ſunt, multoſque occiderunt. „ Inde aucta fiducia univerſi in Romanas provincias effuſi, ma„ gnas prædas egerunt. Itaque Imperator coactus eſt cum iis „ pacem, uti diximus, componere. Pacatis rebus omnibus, „ Eccleſiarum concordiam conſtituit, dictumque Sacrum ſextum „ Concilium Conſtantinopolim cogens, Monothelitarum hære„ ſim damnavit „. Itaque Bulgaricum bellum ann. X. inchoatum, & anno XI. Conſtantini finitum. Hactenus de Abaribus & Bulgaris ex Nicephoro ac Theophane.

Conſtantinus Porphyrogenitus ſub Heraclio Imperatore nar-

Digitized by Google

narrat, non quidem Bulgarorum, uti ſupra ex Nicephoro vidimus, ſed Chrobatorum & Serviorum gentes in Dalmatia & Illyrico, pulſis Abaribus, conſediſſe: Et primo quidem præmittit, Abares tempore Heraclii Imperatoris ea Dalmatiæ loca occupaſſe, ubi Romani, ideſt, Latinæ Linguæ homines, inhabitabant, nimirum eas regiones, quæ poſtea Chrobatia & Servia ſunt appellatæ: Abares autem illos, quamvis Hunnici generis eſſent, ejuſdemque nationis ac alii Abares, qui ſub Bajano eorum Chagano Pannoniam occuparunt, Sclavos dictos teſtatur, ideſt, e Sclavorum regione prodeuntes. Verba Porphyrogeniti ſupra recitavi cap.6. num.5. pag.312. & num.9. pag.315. Secundo, unde Chrobati, & Servii in Dalmatiam & Illyricum advenerint declarat cap.31. his verbis: *Chrobati qui Dalmatiæ partes nunc inhabitant, a Chrobatis baptiſmi expertibus, qui & Albi*, ἄσπροι, *appellantur, originem ducunt: qui ſane ultra Turciam prope Franciam incolunt, & Sclavis contermini ſunt non baptizatis Serviis*. Et cap.32. *Sciendum eſt Servios oriundos eſſe a Serviis non baptizatis, qui etiam Albi cognominantur, & ulteriora Turciæ incolunt in loco ab illis*, Βοΐκοι, *Boici nuncupato, cui finitima Francia eſt, uti & magna Chrobatia baptiſmi expers, quæ etiam Alba cognominatur. Illic igitur initio Servii hi habitabant*. Et cap. 30. *Chrobati vero tunc habitabant ultra Bagibariam, ubi nunc ſunt Belo-Chrobati*. Hic deſcribit Porphyrogenitus regionem Chrobatorum & Serviorum, unde poſtea in Dalmatiæ loca advenerunt. Et de magna quidem Chrobatia, ex iis, quæ c.30. refert, *cæteri vero Chrobati verſus Franciam commorabantur, & appellantur hodie* Βελοχρωβάτοι, ἤγουν ἄσπροι Χρωβάτοι, *Belo-Chrobati, ſive Albi Chrobati*; Albos Chrobatos ex *Beli Chruati* apte deducit (auctore Bandurio) quum *Beli*, vel *Bili*, Slave *Albus* ſignificet: ita idem verbum *Beli*, B in V verſo, *Veli*, *magnos* ſignificat: quod clarius ſe explicando Porphyrogenitus ſubdit cap.31. in fine: *Magna autem Chrobatia, quæ etiam Alba cognominatur*: & cap. 32. in principio: *Magna Chrobatia baptiſmi expers, & Alba quoque nuncupata*. Sic *magnos Chruatos*, vel *magnam Chruatiam*, pro Sarmatia, quæ ampliſſima provincia eſt, ſumens, recte verbum *Veli* Slavum Græce interpretando, multas terras poſſidere Chrobatos Sarmatas ſcribit. Ob id ſupra cap.30. ait, *Chrobati vero tunc habitabant ultra* Βαγιβαρείας, *ubi nunc ſunt Belo-Chrobati*. Bagibarias enim vocabulum Slavum eſt,

XI. Chrobati, & Servii ſub Heraclio ſedes in Illyrico & Dalmatia figunt: ex Conſtantino. Porphyrogenito.

eſt, Græce detortum, ideſt, Βάβεια Ὄρεια, *Babia Oria*, ſeu *Babii Montes*: quo nomine Carpathii Montes, Poloniam ab Hungaria diſterminantes, ab aliquibus vocantur: & quum Porphyrogenitus *Franciam* pro hodierna Germania, & *Turciam* pro Hungaria ſumat, Chrobatos a Sarmatia, nunc Polonia dicta, vel Bohemia veniſſe, innuere videtur: cui opitulantur Scriptores rerum Bohemicarum & Polonicarum a Cromero relati. Hæc Bandurius de Chrobatia. Ad Servios vero quod ſpectat, idem ſubjungit: „ Probabilior videtur opinio ejuſdem Cromeri, qui Ser-
„ bos ex Sarmatia Aſiatica cum Bulgaris vicinis in Europam tran-
„ ſiiſſe narrat, eo magis quod Slavorum, qui Bohemiam, Polo-
„ niam, Lithuaniam, Carinthiam, Stiriam, & Carniolam habi-
„ tant, dialectus diverſa eſt ab iis, qui Slavoniam, Chroatiam,
„ Boſnam & Serviam incolunt, quorum ſermo Bulgaris, cæte-
„ riſque Orientalibus Slavis ſimilior eſt, & purior, præſertim Boſ-
„ nenſium „. Si quid hæc Bandurii ratio probat, probaret etiam probabiliorem videri opinionem eorum, qui Chrobatos quoque ex Aſiatica Sarmatia veniſſe ajunt: nam Chrobatorum æque ac Serviorum ſermo Bulgaris cæteriſque Orientalibus Slavis, Bandurio teſte, ſimilior eſt.

XII. Prima Bulgarorum Chrobatorum, & Serviorum regio.

Quam ob rem videntur tam Chrobati & Servii, quam Bulgari ex locis juxta Volgam poſitis, incerto tempore a Turcis ſeu Chazaris, ſupra Caſpium mare olim habitantibus, ejecti, primo Tanaim inter & Danubium ſupra Mæotidem & circa Carpathios montes ſibi ſedes quæſiviſſe; deinde eorum pars trajecto Danubio in eas regiones tranſiſſe, quæ poſtea de ipſorum nomine Bulgaria, Servia & Chrobatia dicta eſt. Hanc conjecturam confirmat Menander lib.8. de legationibus, a nobis ſupra laudatus, qui Valentini ſecundo Tiberii Cæſaris anno legationem ad Turcos narrans, Turxatho (ſive Turcchano) Turcorum Ducum primo, Valentinum hæc dixiſse ſcribit: „ Illuc ejus rei gratia ſe veniſſe,
„ ut Turcorum Tribubus (*a*) nunciaret, jam Tiberium ad Cæ-
„ ſarum potentiam evectum eſſe: ad hæc ut non minor inter eos
„ be-

a Omnis Turcorum dominatus in octo Tribus diviſus, & unicuique Tribui unus Dux præpoſitus *Menander* loc. cit. octo vero hæ Turcorum gentes principibus ſuis ſubjectæ non ſunt, ſed ſingulæ pro fluminibus, quibus diſtinguuntur, mutuo inter ſe contractu ſtatuerunt quamcumque partem bello infeſtari contigerit, ei communiter omni ſtudio & cura ſuppetias ferre. Habent autem primum Ducem exercitus Principem e proſapia Arpade . . . & habet unaquæque gens peculiarem Principem. *Porphyrog. de adm. Imper. cap.* 40.

Digitized by Google

„ benevolentia eſſet, & fœdere eadem conſtarent, quæ inter „ Dilzibulum & Juſtinum Imperatorem per Zemarchum, qui „ primus ad eos venerat, pacta conventaque fuerant. Hæc Le- „ gato dicente, confeſtim Turxathus: num, inquit, vos eſtis „ illi Romani, qui decem quidem linguis, ſed una fraude uti- „ mini? Qui apud vos regnat, mihi debitas perſolvet pœnas: „ dum enim mecum amica verba loquitur, factus eſt confœde- „ ratus Varchouitarum, qui a noſtris ſervis, eorum dominis „ indicabat autem Abaros,) defectionem moliti ſunt..... Sed ta- „ men ego eximie ſcio, qua Danapris fluvius, qua Iſter, qua „ Hebrus fluit & labitur, qua tranſierunt in Romanorum ditio- „ nem Varchonitæ ſervi noſtri, ut ipſam invaderent. Omnis „ terra, quæ a primis Solis radiis incipit, quæque ultimis Solis „ occidentis finibus terminatur, mihi paret, & ſubeſt. Vobis „ ob oculos ponite Alanorum gentem, atque adeo ipſas Unigu- „ rorum Tribus. Hi excellenti fortitudine & audacia præditi „ licet, & domeſticis copiis freti, contra invictam Turcorum „ gentem acie congreſſi, nihil quicquam eorum quæ ſperaverant „ conſequuti ſunt, & nobis parent noſtrorumque ſervorum nu- „ mero habentur „. Neque falſo hæc jactabat Turxathus: nam Hunnos Abaros, & Iguros, & Ephthalos, & Varchonitas ipſe debellavit, teſte Simocatta lib.7. cap.7: cujus verba ſupra ſunt relata. Id factum Mauricio imperante, ad quem Chaganus Turcorum ſcripſit Epiſtolam de victoriis ſuis ita inſcriptam: *Imperatori Romanorum Chaganus magnus Deſpota ſeptem gentium, & Dominus ſeptem mundi Climatum*. Tum vero devictæ ab ipſo gentes, tam Juſtiniani, quam Mauricii temporibus, e patriis ſedibus dicuntur in Europam migraſſe, ut idem Simocatta refert lib.7.cap.8. *Juſtiniano Auguſto imperium obtinente, ex hiſce gentibus Var, & Chunni exigua pars a primævo genere illo profugiens, in Europam ſe intulit, qui ſe Abares & Principem ſuum Chaganum honoris cauſa nominarunt*. Et mox de aliis, qui ſub Mauricio ad eoſdem Varchonitas, honoris cauſa Abaros dictos, profugerunt. *Harum victoriarum letitiam Chaganus Mauricio per Legatos ſignificavit. Per idem tempus & Tarniach, & Cotzageri (hi populi etiam ex Var, & Chunni gentibus erant) a Turcis profugi, Europam immigrant, & Abaribus* (imo Pſeudabaribus) *Chagano ſubjectis ſe admiſcent*. Turcis olim ſubjectos fuiſſe Abares ſive Hunnos, Var & Chunni dictos, præter Me-

Digitized by Google

Menandrum, & Theophylactum Simocattam, Corippus etiam Grammaticus tradit lib.3. de laudibus Juſtini minoris, qui Abarum Legatos ad Imperatoris præſentiam deductos, hac oratione uſos fingit:

Crudus & aſper Avar dictis ſic cœpit acerbis:
Rex Avarum Chagan debellans intima mundi,
Famoſos ſtravit magna virtute tyrannos,
Innumeros populos, & fortia regna ſubegit.

Cui inter cætera reſpondit Juſtinus, quæ oſtendant, a populis potentioribus victos fugatoſque, in alias oras commigraſſe.

Quid profugos laudas, famaque attollis inani
Extorrem populum? quæ fortia regna ſubegit?
Effera gens Avarum proprias defendere terras
Non potuit, ſedeſque ſuas fugitiva reliquit.
Tu velut ignarus falſis rumoribus audes
Vana loqui, turpique dolo nova ſomnia fingis.

Quo igitur tempore Var, & Chuni in Europam migrarunt, a Turcorum Chagano ejecti; eodem quoque videntur Bulgari, Chrobati, Servii, Oguri, e propriis ſedibus expulſi, in eam, quam Porphyrogenitus vocat, Chrobatiam magnam, & Serviam Albam abiiſſe.

XIII. Cur Bulgari, Chrobati, & Servii, ſub Heraclio Imp. ſedes ſibi in Romani Imperii terris quęſiverint.

Cur vero iidem Bulgari, Chrobati, & Servii ſub Heraclio alias ſibi ſedes in Romani Imperii terris quæſiverint, cauſam dediſſe exiſtimo, tum Chagani Abarum quam ſupra deſcripſi inſolentiam, tum etiam motum in Romanos a Choſroë Perſarum Rege bellum. Tunc enim, quemadmodum Theophanes ad annum Heraclii XVI. Divinæ Incarn. 617. hoc eſt, æræ vulgaris 626. narrat, Heraclio in Perſas movente „ Chazari Caſpiis portis diruptis „ in Perſidem irrumpunt, & Ziebelo Duce, cui a Chagano ſecunda dignitas inerat, Adroëgam (a) provinciam penetrant. „ Quocumque vero progrederentur, Perſas abducebant captivos, & urbes pagoſque igne devaſtabant. Interea Imperator „ e Lazica ſolvens, illis ſe adjungere & occurrere ſtuduit. Quum „ Ziebelus Imperatorem conſpexit, obviam progreſſus, ejus collum exoſculatus eſt, ipſumque adoravit, Perſis ex urbe Tiphili „ ſpectatoribus: Turcorum autem exercitus omnis in terram procidens & in faciem pronus, quaſi majeſtatis horrore concepto, „ in-

a Nicephor. *Aderyadigatum*. Elmacinus, *Aderbigianam*: ideſt, Mediam.

„ inſolito honoris genere, Gentilibus tamen ſolemni, Imperato-
„ rem proſequutus eſt: ac pariter exercitus Præfecti ſuper ſaxa
„ aſcendentes, eodem corporis habitu procubuerunt. Ad hæc
„ Ziebelus Imperatori, ejus quippe verbis delectabatur, & ejus
„ proſpectu ac prudentia plane ſtupefactus hærebat, filium ſuum,
„ cui lanugo primum e malis tunc oriebatur, obtulit. Selectos
„ tandem viros ſtrenuos ad quadraginta millia Ziebelus belli ſo-
„ cios Imperatori aſſignavit: & in propriam poſtmodum regio-
„ nem ſeceſſit „. Qui Chazari hic dicuntur, iidem tam a Theophanem quam ab aliis, vocantur *Turci*, & *Turci Orientalis*; quorum ſedes tunc erat juxta fluvium Etel ſive Volgam cum Boëbodo ſuo ac Duce Lebedia: poſtea a Patzinacitis inde pulſi, eorum quidem pars Orientem verſus ſeceſſit; altera vero pars Occidentem verſus ſedes poſuit in magna Moravia, incolis ejus expulſis. Vide Porphyrogenitum de adm. Imp. cap. 37. & ſeq. Itaque Heraclius fœdere cum Turcis illis Orientalibus inito, animo quoque reputans injurias a Chagano Abarum Romanis ſibique illatas, Chrobatis, Serviis, Bulgaris, ad infringendam Abarum potentiam, inhabitandas Romani Imperii terras conceſſit. Porphyrogenitus cap. 30. „ Abares itaque interfecerunt omnes cives „ (Romanos Dalmatiæ incolas) „ & ex eo tempore Dalmatiam univerſam oc-
„ cupàrunt, ſedemque illic ſuam collocarunt, excepitis oppidu-
„ lis mari adjacentibus, quæ ſeſe ipſis non tradiderunt, ſed in
„ Romanorum poteſtate permanebant, eo quod ex mari victita-
„ rent. Videntes itaque Abares pulcherrimam eſſe hanc terram,
„ ſedes illic poſuerunt. Chrobati vero tunc habitabant ultra Ba-
„ gibarem) ideſt, *Carpathios montes* (a) Belo-Chrobati. Una
„ autem generatio (hoc eſt, *una Chrobatorum Tribus*) nempe
„ quinque fratres, Clucas, Lobelus, Coſentzes, Muchlo, &
„ Chrobatus, duæque ſorores, Tuga, & Buga, una cum ſuis
„ populis diſcedens ab ipſis, in Dalmatiam venit, ubi Aba-
„ res incolas invenerunt, belloque per annos aliquot inter eos
„ geſto, vicerunt Chrobati; Abarumque alios quidem inter-
„ fecerunt, alios vero parere ſibi coëgerunt; atque ex illo
„ tempore a Chrobatis poſſeſſa hæc regio fuit, ſuntque
„ etiamnum in Chrobatia Abarum reliquiæ, & Abares eſſe co-

a Pagius ad ann. 630. num. 14. *Belo-Chrobati, ideſt Sarmatæ, Turciæ, Hungariæ hodierna, Francia, Germania.*

„ gnoſcuntur. Cæteri vero Chrobati verſus Franciam commorabantur, & appellantur hodie Belo Chrobati, ſive Chrobati albi qui proprio Principi ſubjecti ſunt. Parent autem Othoni Magno Regi Franciæ, quæ & Saxonia; baptiſmique expertes, affinitatem cum Turcis & amicitiam contrahunt. At a Chrobatis qui in Dalmatiam venerunt, pars quædam ſeceſsit, & Illyricum atque Pannoniam occupavit: habebantque etiam ipſi Principem ſupremum, qui ad Chrobatiæ tantum Principem, amicitiæ ergo, legationem mittebat. Per aliquot vero annos etiam Dalmatiam inſentes (*a*) Chrobati, Francis ſubjiciebantur, quemadmodum & antea, dum in ipſorum terra degerent. Tanta autem in eos crudelitate utebantur Franci, ut lactentes adhuc eorum pueros occidentes, canibus objicerent. Quæ res quum intollerabilis Chrobatis eſſet, facto diſſidio, Principes quos ex ipſis habebant, interemerunt; unde magnus contra eos exercitus movit e Francia; & poſt ſeptem annorum bellum, ægre tandem ſuperiores facti Chrobati, omnes Francos eorumque Principem Cotzilin e medio ſuſtulerunt. Et exinde liberi, ac ſui juris facti, ſacrum Baptiſma a Romano Pontifice petierunt; miſſique Epiſcopi, ipſos baptizarunt, Principatum tenente Porino. Diviſa autem eſt eorum regio (*b*) in Zupanias XI. quarum nomina (*c*). Chlebiana, Tzentzena, Emota, Pleba, Peſenta, Parathalaſſia, Brebera, Nona, Tnena, Sidragra, Nina; ipſorumque Banus tenet Cribaſam, Litzam, & Gutzecam.

XIV. Tres Chrobatorum Tribus.

Ex his colligitur, Chrobatos in tres Tribus fuiſſe diviſos: quarum prima in Chrobatia magna ſedes habebat, ubi Belo-Chrobati, verſus Franciam ſive Germaniam, qui proprium Principem habentes, ſubjecti erant Othoni Magno, Franciæ & Saxoniæ Regi; quumque eſſent baptiſmi expertes, affinitatem, & amicitiam contrahebant cum Turcis, ideſt Hungaris, qui ab anno 889. Pannoniam occupaverant. Altera Chrobatorum pars a Belo-Chrobatis diſſidens, Ducibus quinque fratribus duabuſque ſororibus in Dalmatiam venit, ejectiſque Abaribus, loca illa poſſedit, & hi

a Legendum: *Per aliquot vero annos iſti Chrobati*: uti mox dicam.

b *Zupanias* XI. Ita Cod. Porphyrogeniti. At Cangius de Famil. Dalmat. cap. 5. num. 4. pag. 297. Croatorum regionem aſſerit in XII. Jupanias ſeu præfecturas eſſe diviſam.

c Chlebiana hodie *Hliuno*. Tzentzena, *Cetina*. Emota, *Imota*. Pleba, *Plieva* in Boſna. Peſenta, & Tnena, *Knin*, Nona, *Nin*. Sidraga, in Diœc. Scardonen. Nina, an eadem ac Nona, & in duas Zupanias diviſa? Cribaſa, *Karbava*. Litza, *Lika*. Gutzeca, in Diœc. Signien. *Bandurius*.

Digitized by Google

hi quoque Chrobati per aliquot annos Francis ſubjecti erant: ſed poſtea, propter Francorum crudelitatem, jugo excuſſo, liberi ac ſui juris facti, baptiſmum a Romano Pontifice petierunt. Tertia demum pars, ab iſta ſecunda ſeceſſit, & Illyricum atque Pannoniam, quæ olim Savia ſive Interamnia dicebatur, inter flumina ſcilicet Savum & Dravum, occupavit: reliquas enim Pannonias uſque ad annum 799. Abares, tum ab anno 889. Hungari poſſederunt: & hæc quidem Chrobatorum tertia Tribus, etiam ipſa Principem ſupremum habebat, qui ad Crobatiæ magnæ Principem, amicitiæ ergo, legationem mittebat.

Quo vero tempore hæc geſta ſint, ex eodem Porphyrogenito tradit Cangius capit. 5. de Familiis Dalmaticis in hæc verba. *Croati, quos ita nuncupatos ajunt voce (a) Slavica, quæ* terram multam poſſidentes *ſonat, iſtam Dalmatiæ partem occupaverunt, imperante Heraclio. Nam quum Avares, ſeu Hungari (b) tranſmiſſo Danubio haſce invaſiſſent provincias, Croatis, qui tum in Romanorum partes conceſſerant, evocatis, eorumque opera exactis Avaribus, hanc Dalmatiæ partem incolendam conceſſit idem Auguſtus: qua quidem tempeſtate Porga (c) Croatis imperabat. Tum quippe quinque fratres, Clucas, Lobelus, & Coſentzus, Muchlo: & Chrovatus, cum Tuga, & Vuga ſororibus, & ingenti contribulium numero, finibus ſuis excedentes, has Dalmatiæ maritimas oras ingreſſi, Avaribus, commiſſo prælio, partim fuſis, partim in ſuas partes tranſire coactis, iſtius effecti provinciæ domini, principatum conſtituerunt diverſum ab eo, unde primo erant orti, electo Principe, qui ad ſummum Croatiæ Principem legatos in obſequii argumentum ſubinde mittere conſueverat, Imperatoribus Conſtantinopolitanis ratione clientelæ cæterum obnoxii. Iis igitur poſt debellatos Avares conceſſa hac provincia, Epiſcopos & Sacerdotes miſit Heraclius, a quibus Chriſtianos ritus edocerentur. Ex quo Croati deinceps baptizati appellati, ad Croatorum Alborum a quibus prodierant, diſcrimen, qui longe poſtea Chriſtianam Religionem amplexi ſunt. Minor porro fuit Croatorum Baptizatorum, quam*

XV. Cangii ſententia de Chrobatis expenditur.

a *Croati*. Voce Sclavica *Hruati*. Ita Porphyrogenitus, & ex eo cæteri Scriptores. Quid? Si Chrobati dicti a Chrobato, uno ex quinque illis fratribus? aut a Chrobato altero progenitore, a quo cæteri Chrobati albi? nam Slavi, & Hunni a Ducibus ſuis, ut plurimum, vel a locis, ſunt nomen ſortiti.

b *Avares* ſeu *Hungari*. Nondùm Hungari Pannoniam occupaverant, quum hæc ſub Heraclio ſunt geſta: ſed Hunni, Abares dicti, ibi ſedes fixerant.

c *Porga*. Imo Porgæ pater, teſte Porphyrogenito.

Digitized by Google

quam Alborum, potentia, propter aſſiduos Francorum, Turcorum & Patzinacitarum, quibus continuo divexabantur, incurſus. Hæc Cangius. Verum his contraria ſcribit Porphyrogenitus c.31. circa finem. Nam de Chrobatis quidem baptizatis: *Baptizatæ*, inquit, *Chrobatiæ urbes habitatæ iſtæ* (a) *ſunt: Nona, Belogradum, Belitzin, Scordona, Chelebena, Stolpum, Tenen, Cori, Claboca; exhibetque equitum ſexaginta millia, peditum centum millia, & ſagenas octoginta, conduras centum. Et ſagenæ quidem quadraginta viros habent; conduræ vero viginti; nempe quæ majores; nam minores, decem viros tantum habent. Atque hæc quidem Chribatiæ potentia & copiæ fuerunt uſque ad principatum Craſemere, quo mortuo, quum Miroſthlabus poſtquam quadriennium genti præfuiſſet, a Pribunia Bano interfectus eſſet, plurimis obortis diſſidiis ac factionibus, equitum peditumque numerus valde imminutus eſt, item ſagenarum ac condurarum. Et ſagenas quidem nunc* (Anno Chriſti 949. *triginta habet, conduras magnas parvaſque, & equitatum peditatumque. Magna autem Chrobatia, quæ etiam Alba cognominatur, in hodiernum uſque diem ſine baptiſmo eſt, quemadmodum & finitimi Servii: equitem peditemque non habet tam numeroſum, quam baptizata Chrobatia; quippe frequentibus incurſionibus infeſtata Francorum, Turcorum, Patzinacitarum: neque ſagenas, neque conduras item, aut navigia ad mercatum habet, utpote e mari remota: a quo quidem triginta dierum itinere diſtat: Mare autem a quo totidem dierum itinere diſtat, illud eſt quod Nigrum appellatur.*

XVI. Chrobati in Dalmatia ſub Heraclio: eorumque mores ex Porphyrogenito.

Cæterum Chrobatos Dalmatiam incoluiſſe Heraclii temporibus diſertis verbis ſcribit Porphyrogenitus eod. cap.31. „ Chrobati, qui Dalmatiæ partes nunc inhabitant, a Chrobatis baptiſmi expertibus, qui & Albi appellantur, originem ducunt; „ qui ſane ultra Turciam prope Franciam incolunt, & Slavis contermini ſunt non baptizatis Serviis.... Atque hi ipſi Chrobati ad Romanorum Imperatorem Heraclium confugerant, antequam Servii confugiſſent ad eundem Imperatorem Heraclium: quo tempore Abares (*b*) armis inde Romanos eje- „ ce-

a Nona, Slave *Nin*. Belogradum, *Alba maris*, ſeu *Zara vecchia*. Belizin, *Belina* in Bucoviza. Scordona, *Scardona*, Slave *Scradin*. Chlebena, *Hliuno*. Stolpum, *Stulpa* prope Biſtrizam flumen Hliuni. Tenen, *Knin*. Cori, *Karin*. Claboca, *Klapaz* prope fontes Unæ. *Bandurius*.

b Abares. Anno Mauricii 17. in Dalmatiam ſuſcepta expeditione, Balben, & circumpoſitas XL. civitates devaſtarunt. *Simocatta*, & *Theophanes*.

Digitized by Google

„ cerant, quos Roma adductos, Diocletianus Imperator illic ha-
„ bitare fecerat, unde & Romani nuncupati ſunt, quod Roma
„ venientes, ſedes poſuiſſent in illis regionibus, nempe Chro-
„ batia & Servia, uti nunc vocantur. Pulſis vero Romanis illis
„ ab Abaribus, tempore ejuſdem Romanorum Imperatores He-
„ raclii, deſolata eorum regio jacuit: quapropter juſſu hujus Im-
„ peratoris, iidem Chrobati armis arreptis, Abares ex illis locis
„ expulerunt, & in ipſorum terra, quam etiam hodie tenent,
„ ſedes collocarunt. Erat autem Chrobatis illis tunc temporis
„ Princeps Porgæ pater; Heracliuſque Imperator Roma per Le-
„ gatum Sacerdotibus accerſitis, conſtitutoque ex ipſis Archie-
„ piſcopo (*a*), Epiſcopo, Presbyteris & Diaconis, Chrobatos
„ baptizavit. Et tunc quidem temporis Chrobatorum Princeps
„ erat Porga. Regio autem hæc, quam incoluerunt Chrobati,
„ ab initio ſub poteſtate erat Romanorum Imperatoris. *Pergit*
„ *de eorum moribus*. Hi autem Chrobati baptizati extra limites
„ propriæ terræ non libenter aliis bellum inferunt; idque quia
„ oraculum quoddam ſive ſtatutum acceperunt a Romano Ponti-
„ fice, qui ſub Heraclio Romanorum Imperatore Sacerdotes mi-
„ ſit, eoſque baptizavit. Chrobati ſiquidem poſt acceptum bap-
„ tiſmum pepigerunt, & chirographis propriis datis Sancto Pe-
„ tro Apoſtolo juraverunt, nunquam ſe alienam terram armis in-
„ vaſuros, ſed pacem habituros cum omnibus volentibus; & im-
„ precationem viciſſim a Romano Pontifice acceperunt, ut ſi
„ quando aliæ gentes ipſorum Chrobatorum terram invaderent,
„ belloque infeſtarent, pro iis pugnaret vindexque eſſet eorum
„ Deus, victoriam conciliante Petro Chriſti diſcipulo. Multis
„ vero annis elapſis in diebus Principis Terpemere, qui pater
„ fuit Principis Craſemere, e Francia, quæ inter Chrobatiam &
„ Venetiam media eſt, veniens vir quidam (*b*) Martinus no-
„ mine, maxime quidem pius, ſed habitu ſeculari, quem iidem
„ quoque Chrobati miracula feciſſe plurima dicunt; hic porro
„ vir pius imbecillus admodum & pedibus mutilatus, ita ut a
„ qua-

(*a*) Pagius. *Heracliuſque Imperator Roma per Legatum Sacerdotibus accerſitis, conſtitutoque ex ipſis Archiepiſcopo, Presbyteris, & Diaconis, Chrobatos baptizavit*. Archiepiſcopus tantum, non Epiſcopus.

(*b*) *Martinus*. Joannes PP. IV. circa ann. 641. miſit per omnem Dalmatiam ſeu Iſtriam multas pecunias per ſanctiſſimum & fideliſſimum Martinum Abbatem propter redemptionem captivorum, qui deprædati erant a gentibus. *Anaſtaſius Bibliothecarius*. In margine, *Slavos intelligit*. Quid? Si Porphyrogenitum de hoc Martino loquentem, veram narrationem falſis rumoribus permiſtam tradere dicamus.

Digitized by Google

„ quatuor bajulis quocumque vellet deferretur, illud Sanctiſſi-
„ mi Pontificis mandatum Chrobatis ad ultimum vitæ finem ſer-
„ vandum eſſe itidem ſanxit, eadem etiam illis quæ antea Pon-
„ tifex, imprecatus. Quapropter neque ſagenæ ipſorum Chro-
„ batorum, neque conduræ, unquam ad aliquem bello infeſtan-
„ dum abeunt, niſi ſi quis eos adoriatur. Sed hujuſmodi navi-
„ giis Chrobati, qui mercatus frequentant, ad emporia profici-
„ ſcuntur, oppidatim circumeuntes Paganiam & ſinum Dalma-
„ tiæ Venetias uſque. Chrobatiæ autem Princeps ab initio, ideſt,
„ ab Heraclii Imperatoris temporibus, Romano Imperatori, non
„ Bulgariæ Principi ſubditus erat. Neque Bulgarus cum Chro-
„ batis bellum geſſit, præter Michaëlem (a) Boriſem Bulgariæ
„ Principem, qui ſumptis armis bellum ipſis intulit; ſed quum
„ nihil efficere, muneribus datis & acceptis, pacem fecit. Ne-
„ que Chrobati unquam Bulgaris tributum dederunt, ſed alteri
„ alteros ſæpe amicitiæ ergo donis cohoneſtarunt.

XVII. Pagius Chrobatorum in Dalmatiam adventum ponit ad annum 630. Incertum tamen, ait, quo primum tempore Archiepiſcopus Spalatenſibus, ſit datus? Verum id extremis Heraclii temporibus contigiſſe oſtenditur.

Pagius ad annum 630. num. XIV. id ſub Heraclio Imperatore factum ſcribit. *Conſtantinus*, inquit, *Porphyrogenitus lib. de Admin. Imper. cap.* 31. *prodit*, *Croatos*, *quos Chrobatos appellat*, *Heraclii Imperatoris temporibus Baptiſmum ſuſcepiſſe*: *quumque rei geſtæ annum non exprimat*, *hic de eorum adventu in Dalmatiam*, *& converſione ad Religionem Chriſtianam ejus verba referam*. Productis autem iis quæ ſupra recitavimus, addit. *Roma autem accerſitos Sacerdotes*, *qui Croatos baptizarunt*, *ut Porphyrogenitus docet*, *Latinus ritus ipſorum demonſtrat*, *& Archiepiſcopum ex ipſis conſtitutum fuiſſe teſtatur etiam Thomas Archidiaconus Spalatenſis cap.* XI. *ubi Joannem Legatum Summi Pontificis*, *patria Ravennatem*, *primum electum Spalati Archiepiſcopum tradit*: *qui olim Salonitanus totiuſque Croatiæ Primas*, *ad hodiernum uſque diem nuncupatur*, *ut tradit Joannes Lucius in Hiſt. de Regno Dalmatiæ & Croatiæ lib.* I. *cap.* XI. *Verum quo primum tempore Spalatenſibus Archiepiſcopus datus*, *a nemine proditur*. Hæc Pagius. Atqui proditur primum a Porphyrogenito loc. cit. qui id contigiſſe ſub Heraclio Imperatore ſcribit: deinde proditur a Thoma Archidiacono capite XI. Cod. Vat. manuſcr. 7019. pag. 11. his verbis: *Interea Summus Pontifex* (non alius certe ſub Heraclio Imperatore poſt bellum Perſicum, niſi Honorius Papa,

qui

(a) Michael Boroſis, al Vorizes, & Rurichius, Preſiami filius, Bulgariæ Rex ſub Baſilio Macedone. Cangius de Famil. Dalmat. cap. 6. pag. 311.

Digitized by Google

qui vitam produxit uſque ad Octobrem anni 638. eique poſt anni unius, & menſium ſeptem ac dierum ſeptemdecim interpontificium ſucceſſor datus Severinus quum anno 640. deceſſiſſet, Joannes IV. natione Dalmata die 24. Decembris anni 640. Summus Pontifex conſecratus eſt:) *Interea Summus Pontifex miſit quemdam Legatum Joannem nomine, patria Ravennatem, qui partes Dalmatiæ & Croatiæ peragrando, ſalutaribus monitis Chriſticolas informaret. In Eccleſia autem Salonitana, a tempore ſubverſionis, Præſul non fuerat ordinatus. Venerabilis ergo Joannes cœpit Clerum & populum exhortari, ut Archiepiſcopatum civitatis antiquæ intra ſe inſtaurare deberent: quod illis valde gratum extitit & acceptum. Tunc coadunato Clero, ut moris erat, electio in perſona dicti Joannis concorditer ab omnibus celebrata eſt. Qui per dominum Papam conſecratione ſuſcepta, tamquam bonus Paſtor ad proprias oves acceſſit, non animo cumulandi pecunias, quum Eccleſia tunc eſſet pauperrima, ſed caritatis ſtudio de animarum ſalute lucrum ſpirituale quærere ſatagebat. Ipſi conceſſum a Sede Apoſtolica, ut totius dignitatis privilegium, quod Salona antiquitus habuit, obtineret Eccleſia Spalatenſium. Tunc cœpit Eccleſiam, Clerumque componere, inſtare doctrinæ, prædicationi vacare, curamque Paſtoralis officii multum ſolicite exercere. Etenim per Dalmatiæ & Sclavoniæ regiones veniendo reſtaurabat Eccleſias, ordinabat Epiſcopos, Parochias diſponebat, & paulatim rudes populos ad informationem Catholicam attrahebat.* Cætera vide apud Joannem Lucium, qui Thomæ Archidiaconi hiſtoriamevulgavit.

XVIII. Bandurius & Lucius Chrobatos aſſerunt non ſub Heraclio, ſed ſub Juſtiniano Rhinotmeto Conſtantini Pogonati filio, in Dalmatiam advenisſe.

Quamquam clarum ſit Porphyrogeniti de Chrobatis ſub Heraclio Imp. Dalmatiam occupantibus & Chriſtiana ſacra amplexis teſtimonium; Bandurius tamen not. in hunc ipſius Porphyrogeniti locum num. 211. pag. 89. edit. Pariſ. Lucium ſequutus, non ſub Heraclio Seniore, ſed ſub Juſtiniano Rhinotmeto, quem Heraclium Juniorem vocat, hæc contigiſſe autumat. Sic enim ſcribit. „ Hæc Porphyrogenitus, *inquit Lucius*, de Croatis jugum „ Francorum excutientibus, & baptiſmum ſuſcipientibus, tem„ pore ejuſdem Heraclii Senioris, ſcripta reliquit; quum vero „ Francorum hiſtorici de Croatis mentionem non faciant, ſed „ quædam tantum de Slavis ſcribant tempore Heraclii geſta, „ ideo referenda ſunt. Dagobertum enim Francorum Regem „ Avares & Slavos ſuæ ditioni ſubegiſſe, regni ejus anno ſepti-

„ mo,

„ mo, geſtorum ejus Scriptor tradit. Sed ſicuti Avares tunc
„ Pannonias incoluiſſe conſtat; ita Slavos Francis in Germania a
„ Septentrione, in Illyrico vero ab Occidente conterminos fuiſ-
„ ſe patet. De quibus autem Slavis hec intelligi debeant, an de
„ Septentrionalibus, vel de Orientalibus, incompertum eſt. Si-
„ militer ea quæ idem auctor tradit, Langobardos ad ſolatium
„ Dagoberti, nono ejus anno, hoſtiliter in Slavos perrexiſſe,
„ & victoriam obtinuiſſe, ad quos Slavos referenda ſint, non
„ conſtat: tamen de Orientalibus, qui Langobardis proximi, Fo-
„ roſulienſique eorum Ducatui contermini erant, intelligi debere
„ videtur; qui nomine Carnuntum, ſive Carantanorum nuncu-
„ pati, nunc autem in Carnos, Stirios, & Carinthios diſtincti
„ ſunt, quos ſubditos fuiſſe Francorum Imperio, & in Regno Bo-
„ joariæ comprehenſos, Wolfangus Lazius poſt alios tradit: qui-
„ bus Croati addi poſſunt, quos ex Porphyrogenito tunc Francis
„ ſubditos fuiſſe argui poteſt; ſed ipſorum jugum excuſſiſſe, &
„ Baptiſmum ſuſcepiſſe imperante eodem Heraclio, temporibus
„ examinatis, evenire non potuit. At ſicuti Heraclium expedi-
„ tionibus Aſiaticis impeditum, in Illyrico aliquid egiſſe, nullus
„ præter Porphyrogenitum ſcribit; ita de Heraclio Juniore (*ideſt,*
„ *Juſtiniano Conſtantini Pogonati filio*) ante ejus expulſionem
„ Zonaras: „„ Cum Bulgaris fœdus rupit, neque tributum,
„ quod pater Conſtantinus Pogonatus ignominioſum nomini Ro-
„ mano pepigerat, ſolvit; ſed expeditione in plagas Occidenta-
„ les ſuſcepta, multas Slavicas gentes partim in deditionem ac-
„ cepit, partim bello domuit, unde novas legiones conſcripſit,
„ delectis fortiſſimorum juvenum circiter 30. millibus, quos po-
„ pulum acquiſitum appellavit„„ Paucis verbis multa comple-
„ ctitur Zonaras; ſed clarius Cedrenus„„ Anno ſecundo pro-
„ fectus in Armeniam, recepit Mardaitas in Libano degentes,
„ Æneum murum deſtruens: Pacem quoque cum Bulgaris fa-
„ ctam confudit, formam a patre præſcriptam perturbans, & eque-
„ ſtres exercitus in Thraciam traduxit. Anno tertio Juſtinianus
„ expeditionem in Slavinos & Bulgaros ſuſcepit; atque hos qui-
„ dem obviam ſibi factos quum pepuliſſet, excurſione ad Theſſa-
„ lonicam uſque facta, multas Slavinorum multitudines partim
„ ad ſe deficientes, partim bello ſuperatos ſubegit, inque Opſi-
„ cianam regionem deportavit, in reditu autem a Bulgaris intra
„ fauces anguſtiarum interceptus, multis ſuorum amiſſis, ægre
„ eva-

Digitized by Google

„ evaſit;„ „ Ideo ſi Heraclii Junioris tempore ſequutum pone-
„ retur Croatorum baptiſmum, rectius temporibus congruerent,
„ quæ idem Porphyrogenitus de Croatis Francorum jugum ex-
„ cutientibus, baptiſmumque ſuſcipientibus refert loc. cit. quæ
„ cum ſupra relatis ex Zonara & Cedreno convenire poſsunt:
„ Croatoſque & Serblos primos ex Slavis fidem Chriſtianam ſu-
„ ſcepiſse conjectari poteſt. Roma autem accerſitos Sacerdotes,
„ qui Croatos baptizarunt, ut Porphyrogenitus ait, Latinus ritus
„ ipſorum demonſtrat, & Archiepiſcopum ex ipſis conſtitutum
„ fuiſse, concordat Porphyrogenitus cum Archidiacono Spala-
„ tenſi, qui Joannem Legatum Summi Pontificis, patria Raven-
„ natem, primum electum Spalati Archiepiſcopum tradit cap. xi.
„ qui olim Salonitanus Dalmatiæ totiuſque Croariæ Primas, ad
„ hodiernum uſque diem nuncupatur, ut clarius poſtea patebit;
„ tempus autem non tradit; ideo ſi ad hæc tempora Archiepiſco-
„ pi electio poneretur, ſuppleretur quod Archidiacono ſimul &
„ Porphyrogenito deeſt. Sed ſicuti Roma accerſitum Archiepi-
„ ſcopum, ita e Dalmatia Epiſcopum & Presbyteros, jam gnaros
„ linguæ Slavæ, Croatis datos fuiſse, par eſt credere; Croatoſ-
„ que baptizatos inde mitiores redditos, ut Porphyrogenitus ait.
„ Ad hæcque tempora connubia inter Slavos & Dalmatas juncta
„ dicendum eſt, ut Archidiaconus aſserit de Spalato, quod ad
„ reliquas quoque Dalmatarum civitates extendi debere, aucto-
„ rum ſilentium ſuadet conjectari „. Hactenus Bandurius & Lucius.

XIX. Impugnatur Lucii ac Bandurii de Chrobatis ſententia, & primo oſtenditur Slavos ſub Dagoberto Francorū Rege a Chrobatis eſſe diverſos

Verum in hanc Bandurii & Lucii ſententiam concedere nequeo. Nam primo quod de Slavis ſub Dagoberto Francorum Rege refertur, id non de Slavis Dalmatiæ aut Illyrici intelligendum eſt, ſed de Slavis Septentrionalibus juxta Balticum mare habitantibus, qui Winidi ſeu Winuli & Wilzi appellantur: deque Hunnis Abaribus Pannoniæ incolis. Audiamus eundem ipſum Sandionyſianum Monachum, qui geſta (a) Dagoberti ſcripſit: Sic autem habet ad annum Dagoberti VII. Chr. 634. p. 579.
„ Timorem vero tam fortem ſua concuſſerat judicialis potentia,
„ ut etiam devotione concurrerent ejus ſe tradere ditioni; qua-
„ tenus gentes etiam, quæ circa limitem Avarorum & Sclavo-
„ rum conſiſtunt, eum prompte expeterent, ut ille poſt tergum

(a) Prodiit inter Francor. hiſtoriæ Scriptores tom. I. pag. 572.

„ eorum iret feliciter, in tantum ut Avari & Sclavi, cæterarumque gentium nationes manu publica ipſius ditioni ſe ſubjiciendas fiducialiter ſponderent. *Et ad annum* IX. *pag.* 580. Eo „ igitur anno Sclavi, cognomento Winidi, quorum regnum Samo „ tenebat, negociatores Francorum cum plurima multitudine „ interficiunt & rebus expoliant. Hæc autem res fuit initium „ ſcandali inter Dagobertum Regem Francorum, & Samonem „ Regem Sclavorum. *Et poſt pauca*. Igitur cum tribus turmis „ legionum ſuper Winidos exercitus ingreditur. Etiam & Langobardi ad ſolatium Dagoberti hoſtiliter in Sclavos perrexerunt. Sclavi autem his & aliis locis ſe e contrario reparantes, „ Alamannorum exercitus cum Redoberto Duce in parte qua „ ingreſſus eſt, victoriam obtinuit. Langobardi item cum Dagoberto victoriam obtinuerunt, & plurimum numerum captivorum de Sclavis Alamanni & Langobardi ſecum duxerunt. „ Rex vero terram illam devaſtans, ad proprium Regnum [*Auſtraſiorum ſcilicet*] reverſus eſt. *Eadem leguntur apud Regnonem*: Dagobertus Rex cum Sclavis congreditur, eoſque ſuperavit, quibus præerat tunc Dux nomine Samo. *Et Sigebertus Gemblacenſis ad ann. Chr.* 634 Dagobertus Rex Sclavos bello „ devicit. *Et ad ann.* 642. Dagobertus Saxonibus contra Winidos ſibi auxiliantibus, annum quingentarum vaccarum tributum eis indulget. *Fredegarius cap.* 68. *pag.* 759. Eo anno „ Sclavi, cognomento Winidi, in Regno Samonis, negotiantes „ Francorum quum interfeciſſent, & rebus expoliaſſent: *& cætera, ut ſupra. Chronicon Moiſſiacenſe*. Anno X. Dagoberti, „ quum ei nunciatum fuiſset exercitum Winidorum Toringa „ fuiſse ingreſsum, cum exercitu de Regno Auſtraſiorum de „ Metis urbe promovens, Mogontiam adgreditur, diſponens „ Rhenum tranſire. Saxones miſsos ad Dagobertum dirigunt, „ petentes ut eis tributa, quæ fiſci ditionibus diſsolvebant, indulgeret; Winidis reſiſtere ſpondent, & Francorum limites „ de illis partibus cuſtodire promittunt. Quod Dagobertus præſtitit. Exinde jam Saxones tributa quæ reddere conſueverant, „ per præceptionem Dagoberti habent indultum, quingentas „ vaccas inferendales annis ſingulis a Chlotario Seniore cenſiti „ ſolvebant „. Itaque de Sclavis hic ſermo eſt, qui Winidi vocantur, quippe Samoni ſubjecti erant, non de Sclavis Dalmatiæ incolis. Quis autem Samo fuerit, Sclavorum eorum Dux, quos

Da-

Dagobertus devicit, Fredegarius narrat cap. 47. pag. 754. in hæc verba: *Anno XL. regni Chlotarii, homo nomine Samo, natione Francus, de pago Sennonico, plures ſecum negotiantes adſcivit, & ad exercendum negotium in Sclavos, cognomento Winidos, perrexit. Sclavi jam contra Abares, cognomento Chunos, & Regem eorum Gaganum, cœperant rebellari. Winidi Beſulci Chunis fuerant jam ab antiquitus, ut quum Cuni in exercitu contra gentem quamlibet adgrediebant, Chuni pro caſtris adunato illorum ſtabant exercitu. Ideo Beſulci vocabantur a Chunis, eo quod duplici in congreſſione certaminis veſtita prælia facientes, ante Chunos præcederent. Chuni ad hiemandum annis ſingulis in Sclavos veniebant; uxores Sclavorum & filias eorum ſtratu ſumebant; tributa ſuper alias oppreſſiones Sclavi Chunis ſolvebant. Filii Chunorum, quos in uxoribus Winidorum & filiabus generaverant, tandem non ſufferentes malitiam ferre & oppreſſionem, Chunorum dominationem negantes, [ut ſupra memini] cœperunt rebellare. Quum in exercitu Winidi contra Chunos fuiſſent adgreſſi, Samo, negotians, (quomodo memoravi ſuperius) cum ipſis in exercitu perrexit, ibique tanta ejus fuit utilitas, ut de Chunis nimia multitudo gladio Winidorum tracidaretur. Vvinidi cernentes utilitatem Samonis, eum ſuper ſe eligunt Regem, ubi* XXXV. *annos regnavit felicior. Plurima prælia contra Chunos in ſuo regimine Vvinidi inierunt. Suo conſilio & utilitate Vvinidi ſemper ſuperarunt. Samo* XII. *uxores ex genere Vvinidorum habebat, de quibus* XXII. *filios &* XV. *filias habuit.* Talis ergo Samo fuit, taleſque Sclavi ejus ſubditi, contra quos Dagobertus bellum geſſit: Vvinidi nimirum, non Dalmatæ aut Illyrici, uti Bandurius & Lucius perperam autumant. In eundem errorem impegit vir cæteroquin eximius Joannes Bollandus in Actis Sanctorum Tom. I. Februarii ad diem V. ubi de B. Domitiano Carinthiæ Duce agit §. IV. pag. 697. Ibi enim recitatis Fredegarii verbis tam de Samone Vvinidorum Duce, quam de Dagoberto Francorum Rege, non diſtinguit Sclavos Vvinidos, ab iis, qui in Carinthia & Pannonia inferiore cum Hunnis conjuncti, vel Hunnis ſubjecti degebent.

XX. Slavini a Juſtiniano Rhin tmeto ſubacti, a Chrobatis diverſi.

Deinde quos Bandurius & Lucius ex Zonara & Cedreno narrat, a Juſtiniano Pogonati filio, anno ejus tertio, excurſione ad Theſſalonicam uſque facta, *Slavinos* plurimos partim ad ſe deficientes, partim bello ſuperatos, ſubactos fuiſſe, inque Opſicianam regionem deportatos; ii, inquam, Slavini non ſunt confun-

dendi cum Slavis Chrobatis Dalmatiam ſub Heraclio poſſidentibus; ſed ex eorum genere ut plurimum erant, quos ſupra cap.8. num. xv. pag. 390. ex Jornande retuli, ſub Theodemiro Gothorum Rege Naiſitana Illyrici urbe exeuntes, Theſſalonicam petiiſse; initoque cum Romanis fœdere, hæc loca quæ incolerent, ab Hilariano Patricio, qui ibi cum exercitu, a Leone Imp. directus, morabatur, accepiſse, videlicet, Cerapallas, Ecopam, Medianam, Petinam, Beream, & aliæ quæ *Svith* vocabantur: ubi [Jornande teſte] Gothi cum Rege ſuo armis depoſitis, compoſita pace quievere. Quod vero Gothi illi ſub Juſtiniano Pogonati filio *Slavini* dicti ſint, non eſt mirum: nam, ut ſæpe obſervavimus, hæc barbarorum gentium nomina miſceri & confundi ſolent, *Scythæ*, *Slavi*, *Hunni*, *Gothi*: eo quod e Scythia omnes prodierint.

XXI. A Chrobatis e Dalmatia, juſſu Heraclii, ejecti Hunni Abares, qui eam regionem ſub Mauricio occupaverāt.

Tertio, quod Bandurius ſcribit, Heraclium *Aſiaticis* expeditionibus impeditum, in Illyrico aliquid egiſſe, a nemine præter Porphyrogenitum prodi; falſum eſſe, ſupra demonſtravi ex Theophylacto, Theophane, & aliis, qui ad ann. Mauricii XVIII. tradunt, Chaganum Abarum in Dalmatiam irrupiſſe, & Balbem cum XL. caſtellis occupaſſe, ac diripuiſſe. Huc itaque reſpicit Porphyrogenitus, quum ait, Heraclium Chrobatos in Dalmatiam immiſiſſe, ut inde Abares ejicerent. Præterquam quod Heraclius reportata anno 628. de Perſis victoria, nullam aliam Aſiaticam expeditionem ab eo anno uſque ad obitum ſuſcepit.

XXII. Juſtinianus Rhinotmetus nuſquam Heraclius dictus: neque in Chrobatos Dalmatiam occupantes ullam ſuſce. it expeditionē.

Quarto, quod idem Bandurius ait de Croatis, ſub Juſtiniano Rinotmeto Conſtantini Pogonati filio, jugum Francorum excutientibus, Baptiſmumque ſuſcipientibus; id, inquam, nulla ratione probari poteſt. Primo, quia nullo auctore aſſeritur, imo contra expreſſum Porphyrogeniti, Zonara & Cedreno longe antiquioris ſcriptoris, teſtimonium. Secundo, quia Juſtinianus Imperator, Flavii quidem prænomen aſſumſit, nomen tamen *Heraclii* geſſiſſe non legitur: quamobrem non video, unde *Heraclii Junioris* nomen ei Imperatori Lucius & Bandurius arceſſant. Tertio, Juſtinianus in Slavinos & Bulgaros arma moviſſe dicitur apud Zonaram & Cedrenum; hoc eſt, in Bulgaros cis Danubium commorantes, & in Slavos in Macedoniæ thema invadentes; non autem in Slavos Dalmatiam occupantes, de quibus Porphyrogenitus loquitur; ac proinde allatum Zonaræ ac Cedreni teſtimonium ad rem propoſitam non facit; eoque magis, quia eodem

Ce-

Digitized by Google

Cedreno, ac Theophane teſtibus, Juſtinianus perhibetur excurſionibus ſubinde Theſſalonicam uſque habitis, immenſum Slavorum numerum e patria eductum, ad Opſicii partes, trajecto Abydi freto, habitare decreviſſe; a Bulgaris autem in reditu, intra compreſsos montes & cluſuræ anguſtias interceptus, multis ex exercitu cum cæſis, tum vulneratis, vix periculum ſuperare & in oppoſitam partem tranſire valuiſse: quæ omnia ad Slavos Dalmamatiæ, ſive Chrobatos referri nequeunt.

XXIII. Chrobati ſub Heraclio Dalmatiam occupantes, ſtatim baptiſmum ſuſceperunt, præter Arentanos. Quos vero ait Porphyrogenitus, Francorum jugum excuſſiſſe, non ii ſunt qui in Dalmatia permanſerunt, ſed qui in Pannoniam & Illyricum, ab iis ſecedentes, migraverant.

Poſtremo, quod Chrobatos a Francis rebellaſse ſcribit Porphyrogenitus, a Bandurio, & Lucio perperam conjungitur cum Baptiſmo ab iiſdem Chrobatis ſuſcepto. Nam Chrobati, qui e Chrobatia magna in Dalmatiam juſsu Heraclii migrarunt, ſtatim quidem ſub eodem Heraclio Baptiſmum ſuſceperunt, ut ſupra dictum eſt, præter eos, qui Arentanam incoluere, quæ proinde *Pagania* idcirco dicta fuit, eo quod Chrobati ibi degentes ab idolorum cultu non ſtatim revocati ſunt. An vero, ſicut Chrobati in Chrobatia magna degentes, Francis ſubjecti fuere, ſic etiam alii Chrobati Dalmatiam ſub Heraclio occupantes, ſub Francorum poteſtate fuerint, nec Baptiſmum ſuſceperint; niſi poſtquam ab iis deficientes, in libertatem ſeipſos aſſeruerunt, hoc non ita facile ex verbis Porphyrogeniti definiri poteſt; ſed neque ſi Porphyrogenitus id affirmaret, ullam veri ſimilitudinem haberet. Et capite quidem 31. Porphyrogenitus, nulla Francorum facta mentione, diſertis verbis teſtatur, Chrobatos, ejectis Abaribus Dalmatiam occupaſſe, ſimulque evocatis Roma Sacerdotibus, Baptiſmum accepiſſe: quin imo hæc ſubjungit: „ Regio autem „ hæc, quam incoluerunt Chrobati (*ideſt Dalmatia*) ab initio „ ſub poteſtate erat Romanorum Imperatoris; unde etiam in „ hodiernum uſque diem Palatia ac Hippodromus Diocletiani „ Imperatoris ſuperſunt in regione Chrobatorum in urbe Salo„ na, quæ eſt proxima urbi Aſpalato „. Quibus verbis clare oſtendit, Dalmatiam a Chrobatis juſſu Heraclii occupatam nequaquam ſub poteſtate Francorum fuiſſe, ſed olim quidem Romanorum Imperatoribus Byzantii degentibus paruiſſe, poſtea vero ad Abarum ditionem tranſiiſſe, nimirum anno XVII. Mauricii, uti ſupra diximus: idque confirmat idem Porphyrogenitus cap.30. ubi aſſerit, quum Maritimarum Dalmatiæ urbium Latini incolæ Slavis permiſti, *ex quo dicti Slavi*, ideſt Chrobati, *inhabitarunt) continentem colere vellent, nec poſſent*, (*a Chrobatis*

tis enim prohibebantur, *quum nondum illis tributa penderent: nam ea quæ hodie Sclavis*, ideſt Chrobatis, *pendunt*, *tunc Prætori exhibebant*:) iis Baſilium Macedonem Imperatorem auctorem fuiſse: „ ut ea omnia, quæ Prætori ſolvebant, Sclavis, pacis „ cauſa, darent, & Prætori exiguum aliquid penderent, ad „ oſtendendam dumtaxat Romanis Imperatoribus & ipſorum „ Prætori debitam ſubjectionem ac ſervitutem „. Quod indicio eſt, & Dalmatas maritimos Romanis Imperatoribus, non Francis, ſubjectos fuiſse; & Chrobatos ipſos mediterranea poſſidentes, ſui juris ac liberos ab initio extitiſse, Romanorum tamen Fœderatos, uti erant Bulgari, de quibus ſupra ex Nicephoro: „ Cubratus Ogaranæ conſobrinus, Hunnogundorum Do„ minus, contra Abarorum Chaganum rebellat, populumque „ omnem quem ab ipſo acceperat, contumelioſe habitum, pa„ triis ſedibus expellit; inde Legatione ad Heraclium miſsa, „ pacem cum eo componi, quam ad finem uſque vitæ ſuæ con„ ſervarunt.

XXIV. Locus Porphyrogeniti de Chrobatis exponitur.

Itaque, ut idem Porphyrogenitus ſibi conſtet, dicendum eſt, quum Chrobatos dicit Francis olim fuiſſe ſubjectos, ab iis autem propter crudelitatem ipſorum defeciſſe, & exinde liberos factos, ſacrum Baptiſma a Romano Pontifice petiiſſe; quum id, inquam, de Chrobatis dicit, non eos Chrobatos deſignaſſe, qui in Dalmatia ſedes fixerant, ſed alios, qui ab iſtis ſeceſsione facta, Illyricum & Pannoniam occuparant: ac proinde e textu Porphyrogeniti expungenda hæc verba, καὶ οἱ ἐν Δελματίᾳ ὄντες Χρωβάτοι *etiam Dalmatiam incolentes Chrobati*, & ſic legendum cap. 30. „ pag. 95. Chrobati tunc habitabat ultra Bagibaream, ubi nunc „ ſunt Belochrobati. Una autem generatio, nempe quinque fra„ tres duæque ſorores, una cum ſuis populis diſcedens ab ipſis, „ in Dalmatiam venit (*ſub Heraclio*) ubi Abares incolas invene„ runt (*a tempore Mauricii*) belloque per annos aliquot inter „ eos geſto, vicerunt Chrobati, Abarumque alios quidem inter„ fecerunt, alios vero parere ſibi coëgerunt: atque ex illo tem„ pore a Chrobatis poſſeſſa hæc regio fuit „ (ſub clientela tamen Heraclii Imp. qui Roma per Legatum Sacerdotibus accerſitis, conſtitutoque Archiepiſcopo, Præsbyteris & Diaconis, Chrobatos illos baptizavit, exceptis iis, qui Arentanam regionem incoluere, qui diu poſtea, nimirum ſub Baſilio Macedone, baptizati ſunt:) „ Sunt etiamnum in Chrobatia Abarum reliquiæ & Abares eſſe

„ co-

„ cognoſcuntur. Cæteri vero Chrobati verſus Franciam commorabantur, & appellantur hodie Belochrobati, ſive Chrobati Albi, qui proprio principi ſubjecti ſunt. Parent autem Othoni magno Regi Franciæ ſeu Saxoniæ; baptiſmique expertes, affinitatem cum Turcis & amicitiam contrahunt. (*Hi in Moravia ſedes habebant, ut ex charta Bandurii conſtat*:) At a Chrobatis, qui in Dalmatiam venerunt, (*de quibus ſupra facta eſt mentio*) pars quædam ſeceſſit, & Illyricum atque Pannoniam occupavit; habebantque etiam ipſi Principem ſupremum, qui ad Chrobatiæ (*Albæ*) tantum Principem, amicitiæ ergo, legationem mittebat. Per aliquot vero annos iſti Chrobati (*a*) Francis ſubjiciebantur, quemadmodum & antea, dum in ipſorum terra [*nimirum in Chrobatia Alba*] degerent. Tanta autem in eos crudelitate utebantur Franci, ut lactentes adhuc eorum pueros occidentes, canibus objicerent. Quæ res quum intolerabilis Chrobatis eſſet, facto diſſidio, Principes quos ex ipſis habebant, interemerunt; unde magnus contra eos exercitus movit e Francia, & poſt ſeptem annorum bellum ægre tandem ſuperiores facti Chrobati, omnes Francos, eorumque Principem Cotzilin e medio ſuſtulerunt. Et exinde liberi ac ſui juris facti, ſacrum baptiſma a Romano Pontifice petierunt; miſſique Epiſcopi, ipſos baptizarunt, principatum tenente Porino „. Tres igitur diſtinguendæ Chrobatorum gentes, ut ſupra monui: nimirum, prima eorum, qui in magna ſeu Alba Chrobatia ſunt, hoc eſt in Moravia, qui Francis ſubjiciebantur, & quo Porphyrogenitus tempore ſcribebat, Othoni Germaniæ Regi. Altera eorum, qui Dalmatiam, pulſis Abaribus, occuparunt, qui ſub Heraclio baptizati ſunt. Tertia eorum, qui a Chrobatis Dalmatiæ incolis ſecedentes, in Illyricum & Pannoniam abierunt, Francis ſubjecti. Hi demum a Francis deficientes, baptiſmum ſuſceperunt, non quidem ſub Heraclio, aut Juſtiniano Rinotmeto, ſed ſub Baſilio Macedone, quemadmodum ſcribit Porphyrogenitus in Avi vita cap. 54. aut ſub Michaële ac Theodora, uti ex Chronico Andreæ Danduli colligitur, ubi de Svetopolco hæc habentur: „ Hujus autem B. Cyrilli prædicatione Svetopolis Rex Dalmatiæ, qui ab Odrillo germano Totilæ Regis Gothorum originem duxerat, cum toto ſuo populo Fidem Catholicam ſuſcepit.

Cæ-

---

a Sic legendum, pro, *etiam Dalmatiam incolentes Chrobati*. Nimirum iſti Chrobati, qui e Dalmatiæ incolis ſeceſſerant.

Cæterum, quæ cauſa Chrobatos impulerit, ut e Dalmatia in Illyricum & Pannoniam ſecederent, & a quo Francorum Principe admiſſi fuerint, quove tempore ea, quam Porphyrogenitus deſcribit, defectio ipſorum contigerit, quamquam nec ipſe Porphyrogenitus explicat, neque apud Græcos alios ſcriptores id expreſſum legitur; ex iis tamen, quæ de Sclavis & Abaris a Francicæ Hiſtoriæ ſcriptoribus narrantur, quæque nos ad Tertiam hujus Libri Partem rejicimus, planum compertumque fiet.

FINIS TOMI PRIMI.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM
TOMI PRIMI.

LIBER PRIMUS.
Kalendarium Eccleſiæ Slavicæ, ſive Græco-Moſchæ.

PARS I.
De Tabulis Capponianis.

CAPUT I. Tabularum Græco-Moſcharum Capponianarum Hiſtoria. Pag 1.

I. Geraſimus Phocas Tabulas Græco-Moſchas a magno Ruſſorum Imperatore dono accipit. Marinus Geraſimi frater eaſdem Marchioni Capponio vendit.

II. Tabularum Capponianarum materia, & forma.

III. Pictorum nomina, quantum ii præſtent Pictoribus Menologii Baſiliani.

IV. Tabulæ quinque Capponianæ, quibus Kalendarium Ruthenorum, pictis Sanctorum, ac præcipuarum anni ſolemnitatum Imaginibus, adjunctiſque Sclavonico ſeu Ruthenico charactere nominibus, ac titulis, continetur.

CAP. II. Tabularum Capponianarum cum Ruthenicis Ephemeridibus a Papebrochio editis comparatio. 6

I. Capponianæ Tabulæ quantum Bollandianis præſtent, ac primum quidem Antiquitate, nam Bollandianæ pictæ ſunt ann. Chr. 1628. Capponianæ circa ann. 1300.

II. Deinde Bollandianæ Tabulæ & Ephemerides Culcinianæ, Sanctos Ruthenos tum veteres, tum recentes exhibent. At Capponianæ, præter S. Cyrillum, & S. Sabam, nullum alium commemorant qui non ſit in Calendario Eccleſiæ Græcæ olim deſcriptus.

III. Orthodoxus Græcorum Ruſſorumque Ritus per ea tempora, quibus Tabulæ noſtræ ſunt depictæ, oſtenditur.

IV. Secus dicendum de Papebrochianis Ephemeridibus, quæ nonnullos in Sanctorum numero exhibent, aut dubiæ fidei, aut certe Schiſmaticos.

V. Tabulæ Capponianæ depictæ videntur in aliquo ex Monaſteriis Montis Atho, quæ a Joanne Comneno deſcribuntur.

CAP. III. Diverſæ Picturarum ſpecies apud antiquos Orientales Chriſtianos. 11.

I. Imaginum cultus, & multiplex picturarum genus ex Sanctis Patribus in Concilio Nicæno II. laudatis.

II. S. Joannes Chryſoſtomus.

III. S. Gregorius Nyſſenus.
IV. S. Cyrillus Alexandrinus.
V. S. Nilus.
VI. S. Sophronius Patriarcha Hieroſol.
VII. De Miraculis SS. Coſmæ & Damiani.
VIII. De S. Neania ſeu Procopio.
IX. Aſterius Amaſeæ Epiſcopus.
X. Diverſæ Picturarum ſpecies in auro, argento, veſtibus, & vaſis ſacris.
XI. Ex Nicephoro Patriarcha Conſtantinopolitano.
XII. Veſtes pictæ ex veterum teſtimoniis.

CAP. IV. Sacræ Imagines, quæ in Eccleſiis, & Monaſteriis Montis Atho viſuntur. 19.
I. Monaſterium S. Athanaſii.
II. Monaſterium Sanctæ Annæ.
III. Monaſterium Batopedii.
IV. Monaſterium Chilantarii.
V. Monaſterium Iberorum.
VI. Monaſterium Dionyſii.
VII. Monaſterium Pantocratoris.
VIII. Monaſterium Xeropotami.
IX. Monaſterium Cutlumuſæ.
X. Monaſterium Protati.
XI. Monaſterium Simonis Petræ.
XII. Monaſterium Zographi.
XIII. Monaſterium Dochiarii.
XIV. Monaſterium Pauli.
XV. Monaſterium Xenophontis.
XVI. Monaſterium Simeni.
XVII. Monaſterium Philotei.
XVIII. Monaſterium Caſtamoniti.
XIX. Monaſterium Stauronicetæ.

CAP. V. In Eccleſiis Græcorum Imagines non ſolum pictæ, ſed etiam ſculptæ & extantes: nec tantum Chriſti Domini, Deiparæ Virginis, Angelorum, & Sanctorum; verum etiam Dei Patris & Spiritus Sancti. Præterea Regum, Principum, & Benefactorum, & Biblicarum Hiſtoriarum. 26.
I. In Templis & Monaſteriis Græcorum, præter Sanctorum Imagines, etiam Principum, & Benefactorum, & Biblicarum hiſtoriarum depictæ conſpiciuntur.
II. Imagines tam pictæ, quam ſculptæ & extantes, a Græcis coluntur.
III. Allatii teſtimonium de cultu Imaginum ſculptarum apud Græcos.
IV. Kieslingii calumniæ de Græcis, & Latinis Imaginibus referuntur, & refelluntur.
V. Eccleſia Græca a Romana non turbata, uti Kieslingius calumniatur, ſed erudita, & ab erroribus revocata.
VI. Sacræ Imagines per calumniam a Kieslingo *ſimulacra* vocantur. Quid ſit Imago, Idolum, Simulacrum.
VII. Alia Kieslingii calumnia de Imaginibus Sanctorum, qui vere exſtite-

Digitized by Google

ſtiterunt apud Græcos, ſculptis.
VIII. Imagines Dei, & apud Latinos, & apud Græcos.
IX. A Græcis non pictas ſolum, ſed & ſculptas Imagines coli.
X. Diſcrimen inter cultum, qui Deo, & cultum qui Sanctis impenditur tam apud Græcos, quam apud Latinos.
XI. Miracula a Deo patrata per ſacras Imagines non minus apud Græcos, quam apud Latinos.
CAP. VI. Tabularum Capponianarum cum Athoniticis Imaginibus comparatio. 73.
I. Bulgari, Servi, Iberi, & Ruſſi, præter Græcos, ſua habent in Monte Atho Monaſteria.
II. Moſcoviticæ ſacræ Imagines noſtris Tabulis ſimiles in Athoniticis Monaſteriis.
III. Aut a Græco pictore, aut certe a Bulgaro ſeu Serviano ſunt noſtræ Tabulæ elaboratæ.
CAP. VII. De Diptychis, Faſtis, Kalendariis, Menologiis, & Ephemeridibus, effigiatis, & non effigiatis. 76.
I. Ephemerides effigiatæ Græco-Moſchæ Papebrochii.
II. Eaſdem Ephemerides Papebrochius *Menæa* & *Menologia* appellat.
III. Quid ſint apud Græcos *Menæa*, quid *Synaxaria*?
IV. Kalendaria, Faſti, Laterculi, Album, & Matricula, differunt a Græcorum Mæneis, & Synaxariis.
V. De ſacris & profanis Diptychis.
VI. Diptychorum Eccleſiaſticorum tria genera. Primum genus Epiſcoporum, ſeu Sanctorum.
VII. Alterum Diptychorum genus, Fidelium vivorum.
VIII. Tertium Diptychorum genus, Fidelium Defunctorum.
IX. Tabulæ noſtræ Græco-Moſchæ referri quidem poſſunt ad primum genus Diptychorum: ab iis tamen differunt.
X. Græca Tabularum noſtrarum nomina, εἰκόνες, εἰκονισμοί, & εἰκονίσματα, hoc eſt, Imagines.
XI. Non tamen Diptycorum nomine a Græcis appellantur.
XII. Kalendarium Sanctorum a Græcis vocatur Μηνολόγιον, hoc eſt *Menologium*: quod a *Menæis* eſt diverſum.
XIII. Kalendaria Romana Ethnicæ vetuſtatis, tum marmorea.
XIV. Tum membranacea.
XV. Alia Kalendaria Romana recentiora.
XVI. Antiqua & recentia Romana Chriſtianorum Kalendaria.
XVII. Kalendarium Neapolitanum Latinum marmoreum.
XVIII. Tabulæ marmoreæ Kalendarium Eccleſiaſticum referentes.
XIX. Kalendarium Romanum in pariete pictum.
XX. Menologium Græcum depictum in manuſcriptis Codicibus.
XXI. Injurioſa Macri cenſura in Menologium Græcum Baſilianum.
CAP. VIII. Ephemerides Græco-Moſchæ non effigiatæ, ſive Kalendaria Slavonica, tum in manuſcriptis, tum in impreſſis codicibus Slavicis. 100.
I. Kalendarium Slavonicum tum in manuſcriptis, tum in impreſſis libris Eccleſiaſticis.
II. In Codice Vaticano Ms. 1. membraneo, Lectiones Evangelicæ

III. S. Gregorius Nyſſenus.
IV. S. Cyrillus Alexandrinus.
V. S. Nilus.
VI. S. Sophronius Patriarcha Hieroſol.
VII. De Miraculis SS. Coſmæ & Damiani.
VIII. De S. Neania ſeu Procopio.
IX. Aſterius Amaſeæ Epiſcopus.
X. Diverſæ Picturarum ſpecies in auro, argento, veſtibus, & vaſis ſacris.
XI. Ex Nicephoro Patriarcha Conſtantinopolitano.
XII. Veſtes pictæ ex veterum teſtimoniis.
CAP. IV. Sacræ Imagines, quæ in Eccleſiis, & Monaſteriis Montis Atho viſuntur. 19.
I. Monaſterium S. Athanaſii.
II. Monaſterium Sanctæ Annæ.
III. Monaſterium Batopedii.
IV. Monaſterium Chilantarii.
V. Monaſterium Iberorum.
VI. Monaſterium Dionyſii.
VII. Monaſterium Pantocratoris.
VIII. Monaſterium Xeropotami.
IX. Monaſterium Cutlumuſæ.
X. Monaſterium Protati.
XI. Monaſterium Simonis Petræ.
XII. Monaſterium Zographi.
XIII. Monaſterium Dochiarii.
XIV. Monaſterium Pauli.
XV. Monaſterium Xenophontis.
XVI. Monaſterium Simeni.
XVII. Monaſterium Philotei.
XVIII. Monaſterium Caſtamoniti.
XIX. Monaſterium Stauronicetæ.
CAP. V. In Eccleſiis Græcorum Imagines non ſolum pictæ, ſed etiam ſculptæ & extantes: nec tantum Chriſti Domini, Deiparæ Virginis, Angelorum, & Sanctorum; verum etiam Dei Patris & Spiritus Sancti. Præterea Regum, Principum, & Benefactorum, & Biblicarum Hiſtoriarum. 26.
I. In Templis & Monaſteriis Græcorum, præter Sanctorum Imagines, etiam Principum, & Benefactorum, & Biblicarum hiſtoriarum depictæ conſpiciuntur.
II. Imagines tam pictæ, quam ſculptæ & extantes, a Græcis coluntur.
III. Allatii teſtimonium de cultu Imaginum ſculptarum apud Græcos.
IV. Kieslingii calumniæ de Græcis, & Latinis Imaginibus referuntur, & refelluntur.
V. Eccleſia Græca a Romana non turbata, uti Kieslingius calumniatur, ſed erudita, & ab erroribus revocata.
VI. Sacræ Imagines per calumniam a Kieslingo *ſimulacra* vocantur. Quid ſit Imago, Idolum, Simulacrum.
VII. Alia Kieslingii calumnia de Imaginibus Sanctorum, qui vere exſtite-

ſtiterunt apud Græcos, ſculptis.
VIII. Imagines Dei, & apud Latinos, & apud Græcos.
IX. A Græcis non pictas ſolum, ſed & ſculptas Imagines coli.
X. Diſcrimen inter cultum, qui Deo, & cultum qui Sanctis impenditur tam apud Græcos, quam apud Latinos.
XI. Miracula a Deo patrata per ſacras Imagines non minus apud Græcos, quam apud Latinos.
CAP. VI. Tabularum Capponianarum cum Athoniticis Imaginibus comparatio. 73.
I. Bulgari, Servi, Iberi, & Ruſſi, præter Græcos, ſua habent in Monte Atho Monaſteria.
II. Moſcoviticæ ſacræ Imagines noſtris Tabulis ſimiles in Athoniticis Monaſteriis.
III. Aut a Græco pictore, aut certe a Bulgaro ſeu Serviano ſunt noſtræ Tabulæ elaboratæ.
CAP. VII. De Diptychis, Faſtis, Kalendariis, Menologiis, & Ephemeridibus, effigiatis, & non effigiatis. 76.
I. Ephemerides effigiatæ Græco-Moſchæ Papebrochii.
II. Eaſdem Ephemerides Papebrochius *Menæa* & *Menologia* appellat.
III. Quid ſint apud Græcos *Menæa*, quid *Synaxaria*?
IV. Kalendaria, Faſti, Laterculi, Album, & Matricula, differunt a Græcorum Mæneis, & Synaxariis.
V. De ſacris & profanis Diptychis.
VI. Diptychorum Eccleſiaſticorum tria genera. Primum genus Epiſcoporum, ſeu Sanctorum.
VII. Alterum Diptychorum genus, Fidelium vivorum.
VIII. Tertium Diptychorum genus, Fidelium Defunctorum.
IX. Tabulæ noſtræ Græco-Moſchæ referri quidem poſſunt ad primum genus Diptychorum: ab iis tamen differunt.
X. Græca Tabularum noſtrarum nomina, εἰκόνες, εἰκονισμοὶ, & εἰκονίσματα, hoc eſt, Imagines.
XI. Non tamen Diptycorum nomine a Græcis appellantur.
XII. Kalendarium Sanctorum a Græcis vocatur Μηνολόγιον, hoc eſt *Menologium*: quod a *Menæis* eſt diverſum.
XIII. Kalendaria Romana Ethnicæ vetuſtatis, tum marmorea.
XIV. Tum membranacea.
XV. Alia Kalendaria Romana recentiora.
XVI. Antiqua & recentia Romana Chriſtianorum Kalendaria.
XVII. Kalendarium Neapolitanum Latinum marmoreum.
XVIII. Tabulæ marmoreæ Kalendarium Eccleſiaſticum referentes.
XIX. Kalendarium Romanum in pariete pictum.
XX. Menologium Græcum depictum in manuſcriptis Codicibus.
XXI. Injurioſa Macri cenſura in Menologium Græcum Baſilianum.
CAP. VIII. Ephemerides Græco-Moſchæ non effigiatæ, ſive Kalendaria Slavonica, tum in manuſcriptis, tum in impreſſis codicibus Slavicis. 100.
I. Kalendarium Slavonicum tum in manuſcriptis, tum in impreſſis libris Eccleſiaſticis.
II. In Codice Vaticano Ms. 1. membraneo, Lectiones Evangelicæ

Digitized by Google

per annum, & Kalendarium Sanctorum Slavonice juxta ritum Eccleſiæ Græco-Moſchæ.
III. In Codice manuſcript. Vatican. II. bombycino, Slavonico, quatuor Evangelia, & Kalendarium Sanctorum juxta Ritum Ruthenorum.
IV. Kalendarium Sanctorum in Miſſali, Breviario, & Rituali Romano, in linguam Illyricam converſo: ac primum de Breviario Illyrico: quod exſtat authographum in Biblioth. Vatic.
V. De Miſſali Romano Illyrico, in quo Kalendarium Sanctorum juxta Ritum Romanum.
VI. Literæ Urb. VIII. circa Miſſale Romanum Illyricum.
VII. Literæ Innocent. X. circa Breviarium Romanum Illyricum.
VIII. Kalendarium Sanctorum juxta Romanum Ritum, in Rituali Romano Illyrico, quod P. Caſſius unacum Teſtamento novo Illyrice reddidit.
IX. Kalendarium Sanctorum Slavonicum Ritu Græco-Moſcho, in Bibliis Oſtrovienſibus editis anno 1581.
X. Kalendarium Slavonicum Græco-Moſchum in Bibliis Moſcuenſibus editis anno Chr. 1664.
XI. Kalendarium Slavonicum Græco-Moſchum in libris novi Teſtamenti editis anno Chr. 1564. 1630. 1702. & 1725.
CAP. IX. Quinam operam ſuam in æri incidendis, & elucidandis Ephemeridibus Græco Moſchis contulere: & primum de Ruthenico Kalendario Poſſevini. 121.
I. In æri incidendis Tabulis Græco-Moſchis Capponianis, operam ſuam contulere Monachi Baſiliani Rutheni, Matthæus Caramanius Illyricus, & P. Joſeph Vulpius Soc. Jeſu.
II. Kalendarium Ruthenicum Antonii Poſſevinii.
III. Animadverſiones in Antonii Poſſevini de rebus Moſcoviticis librum.
Prima, quod Ruthenos ait a Græcis Schiſmaticis Chriſtianam fidem accepiſſe.
IV. Secunda animadverſio, quod Poſſevinus aſſerit, Sanctos quoſdam a Ruthenis coli, qui Schiſmatici fuerint.
V. Tertia animadverſio, de libris e Græco in Ruthenicum converſis, quos Poſſevinus enumerat.
VI. Libri Slavonici a Johanne Petro Kohlio recenſiti.
VII. Catalogus librorum Ruthenicorum ex Matthæo Caramanio Archiepiſcopo Jaderenſi.
CAP. X. De Ephemeridibus Græco-Moſchis Papebrochii. 135.
I. Ephemerides Græco-Moſchæ effigiatæ, a Papebrochio illuſtratæ.
II. Kalendarium Ruthenicum Poſſevini a Papebrochio emendatum.
III. Papebrochii in Kalendario Græco-Moſcho effigiato allucinationes.
IV. A Papebrochio laudati, Ohilevviczius Baſilianus, & Kojalovviczius Soc. Jeſu, de rebus Ruthenicis bene meriti.
V. De Ruthenica Leopolienſi Typographia.
CAP. XI. De Ruthenicis Kulcinii Ephemeridibus. 145.
I. Ignatius Kulczynski, al. Kulcinius; auctor libri anno 1733. editi

Digitized by Google

cui titulus, *Specimen Eccleſiæ Ruthenicæ*.
II. Auctores laudati a Kulcinio in Specimine Eccleſiæ Ruthenicæ.
III. Expenduntur injuſtæ Kulcinii de Capponio, aliiſve querelæ.
IV. Kulcinii de Tabulis Capponianis Græco-Moſchis ſententia.
V. Kulcinius exiſtimat Tabulas Græco-Moſchas Capponianas circa Uladimiri tempora fuiſſe depictas.
VI. Sibi tamen ipſe non conſtat.
VII. Refelluntur Kulcinii conjecturæ de proceſſione Crucis ad diem 1. Auguſti, quam ipſe perperam putat deſignare tempus ſuſcepti a Slavica gente ſub Uladimiro ſacri Baptiſmi.
VIII. Nomina Schiſmaticorum in Uſtavum Leopolienſe invecta.
IX. Error Kulcinii, circa ætatem Photii Schiſmatici Ruſſorum Metropolitæ.
X. Errores Chronologici in Uſtavo Ruthenico.
XI. Kulcinii errores Chronologici.
XII. Kulcinii opinio de antiquitate Tabularum Capponianarum, iterum rejicitur.
XIII. Exponitur figura Ephemeridis Papebrochianæ ad diem 1. Auguſti, quam Kulcinius de Baptiſmo Ruſſicæ gentis perperam interpretatur.
XIV. Oſtenditur in Tabulis Capponianis nihil eorum repræſentari, quæ Kulcinius ad diem 1. Auguſti exiſtimat ad Baptiſmum Ruſſicæ gentis ſub Uladimiro referri.
CAP. XII. De Illuſtriſſimi Falconii Commentariis in Ephemerides Capponianas. 168.
I. Nicolaus Carminius Falconius, primum Martyranenſis Antiſtes, nunc S. Severinæ Archiepiſcopus, Tabulas Capponianas illuſtrat.
II. Falconii allucinationes circa Sanctos Ruthenos.
III. Ejuſdem Falconii allucinatio quoad Ruſſos, quos uſque ad annum 1500. Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubjectos dicit.
IV. Oſtenditur, Ruſſos pro Sanctis coluiſſe nonnullos indigenas etiam quum a Conſtantinopolitano Patriarcha penderent.
V. Quid Ill. Falcon. in ſuis Commentariis in Tabulas Capponianas præſtiterit.
VI. Quid ſentiendum de Sanctorum Vitis, quas Appendicis loco ſubnectit.
VII. Ludovici Antonii Muratorii, Viri cl., de ſcriptis Falconianis ſententia, ac præſertim de Dionis Caſſii hiſtoria ab ipſo edita.
VIII. Falconii in Dionem ſuum Prolegomena, & eruditorum in eundem judicium.
IX. Sparſus rumor de Dione reperto, unde, & a quibus?
X. Bibliothecæ Vaticanæ in Ill. Falconium merita; editique ab ipſo Dionis juſtum pretium.

PARS II.

Origines Eccleſiaſticæ Slavorum, Ruſſorum, Moſcovitarum, Bulgarorum.

CAP. I. De Scythis & Sarmatis. 180.
I. Slavorum antiquum nomen Scythæ, & Sarmatæ.
II. Scythæ & Sarmatæ alii in Aſia, alii in Europa.
III. Sarmatarum Scytharumque origo ex filiis, ac nepotibus Japheti: & primo quidem cis Pontum Euxinum, & Mare Caſpium.
IV. Deinde Pontum Euxinum prætergreſſi, ſedes habuerunt inter fluvios Tanaim & Boriſthenem.
V Scytharum moras ex Ezechiele Propheta.
VI. An Scytharum nomen e Germanica voce *Scuten* derivatum.
VII. Scythæ Parthis & Medis affines.
VIII Sarmatarum Scytharumque nominis origo.
CAP. II. Slavorum origo. 189.
I. Primum Slavi a Procopio memorati, & *Slaveni* dicti.
II An Slavi dicti quaſi Spori, id eſt, Sparſi.
III. Slavorum nomen a voce *Slava* derivatun, quæ gloriam, & famam ſignificat.
IV. Slavonicæ linguæ amplitudo.
V. Iidem Slavi dicti *Sclaveni*, *Sclavi*, *Sclavini*.
VI. Gens Slavorum *Unni*.
VII. Arabicus Scripturæ Interpres Sclavorum originem ab Askenaz deducit.
VIII. Slavi Romanis fœdere conjuncti.
IX. Slavorum gens Abares.
X. Sclavi, ſpeciales gentis Slavicæ nomen, a Ruſſis diſtinctæ. Item Slavica dialectus a Ruſſica differens.
XI. Sclavi proprie dicti ſupra Danaprim, & in Dalmatia.
XII. Sclavi *Sthlabini* dicti Cedreno: & ad Dalmatas reſtricti.
XIII. Slavorum nomen late patens juxta Helmoldum in Chronico Slavico.
XIV. Græca Slavorum nomina. An Slaveni recte appellati?
XV. Quid de ſe ipſi Slavi tradant?
XVI. Quinam ſunt *Coſeri* populi, & *Wageri*.
XII. Abares, Perſæ, & Turci Scriptores, quid de Sclavorum, Ruſſorum, & Chazarorum originibus tradant.
XVIII. Undenam Sclavorum nomen ad ſervitutem ſignificandam traductum.
CAP. III. Ruſſorum Origo. 207.
I. Ruſſi dicti, qui ſermone Slavico Ritum Græcum ſequuntur.
II. De Ruſſorum nominis origine variæ variorum ſententiæ.
III. Vera Ruſſorum nominis Etymologia juxta Ruſſos ipſos.
IV. Item ſecundum Græcos.
V. Quinam Ruſſi Dromitæ.
VI. Ruſſi iidem ac Roxalani. Varia Scytharum nomina, & populi diverſi.

Pri-

Digitized by Google

VII. Prima Ruſſorum mentio apud Prophanos Scriptores ſub nomine Rhoxolanorum.
VIII. Rhoſſi Dromitæ: ſive Rhoxolani.
IX. An Rhoſſicus Princeps ſub Conſtantino Magno Dapifer.
X. Monita Conſtantino Magno tributa ad retundendas importunas Ruſſorum, Chazarorum, Turcorum, aliorumque Scytharum petitiones.
XI. An Ruſſus, Rhoſſi Epiſcopus Antipater.
XII. Rhos in Ezechiele memoratus, Ruſſorum Princeps.
XIII. Ruſſorum mentio apud Latinos noni & decimi ſæculi Scriptores.
XIV. Ruſſi a Græcis ſcriptoribus memorati; & primum a Niceta in vita S. Ignatii.
XV. Simeonis Logothetæ de Ruſſis teſtimonium.
XVI. Alterum Simeonis de Ruſſis teſtimonium.
XVII. Quid de Ruſſis Georgius Monachus & Anonymus a Porphyrogenito editus.
XVIII. Conſtantini Porphyrogeniti de Ruſſis teſtimonium.
XIX. Patzinacitæ qui & Ulachi.
XX. Rugi a Ruſſis diverſi.
XXI. Rugi ex Tacito, Procopio, Jornande, & Paulo Varnefridi Diacono.
XXII. Rugi, ſive Ruſci Adelbertum Epiſcopum ejiciunt: non Ruſſi.
XXIII. Unus Adelbertus Rugorum primum, mox Magdeburgenſium Antiſtes.
XXIV. Joſephi Gorjonidæ, & Abraham Zacuthi Hebræorum, ſententiæ de Slavis, Ruſſis, Moſchis, Bulgaris.
CAP. IV. Moſchorum & Moſchovitarum Origo. 257.
I. Arabicus Sacræ Scripturæ interpres, nomina filiorum Japheth pervertit.
II. Primæ ſedes filiorum & nepotum Japheti, Gomer, Magog, Thubal, Moſoch, & Thogarma, cis Pontum Euxinum, & Caſpium mare.
III. Moſchi a Moſoch dicti. Eorum regio inter Cholchidem, Iberiam, & Armeniam. Poſtea trans Pontum Euxinum.
IV. An Moſchi & Moſchovitæ a Moſchis populis appellationem ſortiti?
V. A Moſcho fluvio, & Moſcha urbe dicti Moſchi & Moſchovitæ.
VI. Communis auctorum ſententia de Moſchovitarum Moſchorumque Etymologia.
VII. Cur ex urbe Uladimiria Moſcham tranſlata Ruſſorum Regia?
VIII. An Moſchorum nomen a Moſcho Principe.
IX. Prima Moſchovitarum apud Græcos appellatio.
X. Moſcovii, & Ruſſi magno Tartarorum Regi quondam vectigales.
CAP. V. Slavi indigenæ in Scythia & Sarmatia: Advenæ vero in Germania, Polonia, Bohemia, Pannonia. 273.
I. Utri vetuſtiores, Sarmatæ, Slavi, an Illyrici?
II. Variæ de Slavorum origine ſententiæ.
III. Blondus affirmat, Slavos e Mæotide palude in Germaniam profectos; quorum pars, quæ ibi manſit, appellationem poſtmodum Po-

Digitized by Google

lonorum ac Bohemorum acceperit: pars in Dalmatiam & Iſtriam invaſerit,
IV. Blondo conſonat Jornandes.
V. Crantius opinatur, Slavos e Sarmatia in Poloniam, Moraviam, Bohemiam, Ruſſiam, primum migraſſe, poſtea ſub Conſtantino magno in Pannoniam: demum ſub Mauricio in Dalmatiam.
VI. Slavi indigenæ in Scythia & Sarmatia: advenæ in Germania, Polonia, Bohemia, Dalmatia, Illyrico.
VII. Vandalos non eſſe origine Slavos, neque viceverſa.
VIII. Slavi, Venedi, ſeu Vinuli dicti, quod ſedes Venedorum occuparint.
IX. Quos Helmoldus Winitos ſeu Winulos appellat, ii Slavi ſunt, locum Winulorum occupantes, ac proinde etiam Vandali poſſunt appellari, quamquam a Vandalis diverſi.
X. Legati Sclavorum ad Oceanum occidentalem habitantium ſub Mauricio Imperatore.
CAP. VI. Slavi Advenæ in Illyrico & Dalmatia. 283.
I. Slavos non eſſe Dalmatas, neque Illyrios.
II. Quo primum tempore Slavi in Dalmatiam & Illyricum invaſerint.
III. Illyrici & Dalmatiæ fines.
IV. Dalmatiæ populi & provinciæ, ex Conſtantino Porphyrogenito.
V. Quo tempore Slavi, Abares & Chrobati in Dalmatiam advenerint?
VI. De Chrobatis & Serviis, ex eodem Porphyrogenito.
VII. Dalmatæ & Illyrii olim Romani fuerant, antequam Slavi in eas provincias invaderent.
VIII. E Slavorum genere eſſe Abares, Chrobatos, & Servios.
IX. Gothi ante Abares Dalmatia potiti, iidemque a Photio Slavi dicti, & a Simocatta.
CAP. VII. Animadverſiones in Rerum Dalmaticarum Scriptores. 299.
I. Quid Cangius, Lucius, & Bandurius de rerum Dalmaticarum Scriptoribus ſenſerint.
II. Joannis Lucii Monitum præfixum Codici Ms. Vaticano ſignato num. 719. circa rerum Dalmaticarum Scriptores.
III. Elenchus Scriptorum Dalmaticorum. Et primo Thomas Archidiaconus Spalatenſis.
IV. Michæ Madi Spalatenſis Hiſtoria.
V. Summa Hiſtoriarum Tabula a Chuteis.
VI. Catalogus Archiepiſcoporum Salonitanorum.
VII. Slavicum Chronicon Regum Dalmatiæ, & Croatiæ a Marco Marulo Latinitate donatum.
VIII. Animadverſiones in Thomæ Archidiaconi Spalatenſis hiſtoriam. Ac primum de Croatarum origine. An iidem ſint Croatæ, ac Curetes & Corybantes.
IX. Dalmatiæ urbes non a Totila Gothorum Rege fuiſſe everſas.
X. Ad Juſtiniani tempora a Thoma perperam referuntur, quæ ſub Baſilio Macedone Romanis in Dalmatia contigerunt.
XI. Series Archiepiſcoporum Salonitanorum a Thoma Archidiacono perturbata.
XII. Animadverſiones in Chronicon Diocleatis Presbyteri, & in Slavicam

Digitized by Google

vicam hiſtoriam a Marulo Latine converſam.
XIII. Error Diocleatis aſſerentis, Gothos ſub Anaſtaſio Imper. & Gelaſio Papa in Dalmatiam & Illyricum irrupiſſe.
XIV. Commentitios eſſe priores XXXIII. Dalmatiæ & Croatiæ Reges, qui a Diocleate, & Slavico Marulano hiſtorico recenſentur.
XV. Cangius partim Diocleatem & Marulanum auctorem excuſat, partim redarguit.
XVI. Quid Diocleates & Slavicus Marulanus Scriptor tradant ſub Budimiro ſeu Suetopolko ab Apoſtolicæ Sedis Legatis geſtum circa Politica, & Eccleſiaſtica Dalmatiæ negotia.
XVII. De Metropolitano & Epiſcopis Dalmatiæ, tum ex antiquis Tabulis, tum ex Thoma Archidiacono.
XVIII. An Archiepiſcopatus e Diocleenſi ad Raguſinum Antiſtitem translatus?
XIX. Quid Anſelmus Bandurius de Raguſio patria ſua, ejuſque origine, nomine, ac vicibus?
XX. Quo tempore Raguſina urbs condita? Expenditur locus Porphyrogeniti.
XXI. Errores Seraphini Razzi, & Bandurii notantur circa tempus inſtituti Raguſini Archiepiſcopatus; & vera Epocha aſſignatur.
XXII. Duces & Reges Dalmatiæ & Croatiæ, ex Porphyrogenito, Thoma Archidiacono, & antiquis diplomatibus per Lucium editis.
XXIII. Serviorum origo, & nomen, & quomodo in Dalmatiam advenerint.
XXIV. Serviæ Reges ex Conſtantino Porphyrogenito.
XXV. Cur alia Serviæ Principum ſeries apud Porphyrogenitum, & alia in Diocleatis, & Slavici Marulani Scriptoris Chronico?
XXVI. Diocleatis, & Marulani Auctoris allucinationes in texenda Serviæ Principum ſerie. Et primo miſcent Gothos cum Serviis.
XXVII. Item confundunt Moraviæ Principes & Croatiæ Reges cum Servianis.
CAP. VIII. Res Slavorum, Gothorum, Hunnorumque geſtæ in Dalmatia, Illyrico, & Pannonia, a Valente uſque ad Juſtiniani Imperatoris tempora. 348.
I. Gothi, Hunni, & Slavi, populi diverſi.
II. Gothi, Wiſigoti, & Vandali, & Cimmerii, ex Procopio.
III. Gothi ab Hunnis Cimmeriis e ſedibus pulſi, trajecto Iſtro, in Thracia habitant ſub Valente Imp.
IV. Hunni Cimmerii, alii Cuturguri, alii Uturguri. Primi Gothis permiſti.
V. Quod Evagrius de Cerva viam Hunnis monſtrante ſcribit, id Cedrenus ad Gothos refert, e patriis ſedibus in Thraciam migrantes.
VI. Civile inter Gothos bellum, quorum pars, cui Fritigernus præerat, ſuppetiis a Valente acceptis, alteram partem in fugam convertens, Chriſtiana ſacra amplectitur. Ex Socrate.
VII. Redintegrata inter Gothos amicitia, utraque eorum pars ab Hunnis compellitur in Thraciam migrare: ubi & Valenti, & Romano Imperio exitio fuere.
VIII. Gothi a Theodoſio repreſſi.

Aria-

IX. Ariana hæreſis, quam Gothi per Valentem acceperant, neque in Illyricum, neque in Scythiam penetravit.
X. Quid Jornandes de Gothis, & Hunnis, & Roxolanis ſub Valente.
XI. Sub Theodoſio ſeniore Gothi in Pannonia ſedibus fixis pacem cum Romanis colunt.
XII. Gepedes & Gothi in Pannonia, & Thracia ſub Theodoſio Juniore.
XIII. Attila Hunnorum Rex Gothos ſuo ſubjecit Imperio.
XIV. Poſt Attilæ mortem Gothi a Marciano Imperatore diverſas ſedes obtinent in Pannonia, Dacia, & in parte Illyrici.
XV. Gothorum prælia cum Hunnis, Svevis, Sciris, Sarmatis, ſub Leone Imperatore, & quomodo præter Pannonias, multa etiam in Illyrico loca occuparunt: ſed Theodorico eorum Rege in Italiam migrante, Illyricum ad poteſtatem Romanorum rediit.
XVI. Hunni & Gothi a Theodoſio Jun. uſque ad Zenonem, in Dalmatiam quidem & Illyricum excurſiones fecerunt, non tamen eas provincias poſſederunt.
XVII. Murus longus ab Anaſtaſio Imp. extructus ad arcendas Barbarorum excurſiones.
XVIII. Locus Cedreni expenditur de Hunno Illyrici, & Gepida Sirmii Regibus.
CAP. IX. Slavi & Abares in Dalmatia, Illyrico & Pannonia, a Juſtiniani temporibuſque ad Heraclium Imperatorem. 369.
I. Abares Hunni a Juſtiniano Imp. in Myſiæ Scythiæque partibus ſedes obtinent.
II. Hunnicæ gentes, Abares, Sabiri, Saraguri, Oguri, Unoguri, Acatiri.
III. Quid Evagrius de Abaribus eorumque patria, unde a Turcis ejecti, ad ripam Danubii conſederunt.
IV. Alboinus Langobardorum Princeps pugnaturus cum Cunimundo Gepidarum Duce, fœdus init cum Abaribus, quorum nominis etymologia ex Paulo Diacono exponitur.
V. Langobardi Abarorum fœderati, ab Alboino ad Narſetem Romanorum Ducem in Italiam adverſus Gothos miſſi.
VI. Primum Langobardorum Gepidarumque in Pannonia prælium, ſub Auduino Alboini patre, ejuſque cauſa.
VII. Muratorii anachroniſmus circa Gepidarum & Langobardorum in Pannonia prælium.
VIII. Langobardi ſub Alboino e Pannonia in Italiam migrantes anno 568., Pannoniam amicis ſuis Hunnis Abaribus relinquunt.
IX. Abarum Hunnorum cum Sigeberto Francorum Rege bellum.
X. Abaricum bellum ſub Childeberto Francorum Rege.
XI. Langobardi Abarum auxiliares, Iſtriam vaſtant, Mauricii tempore.
XII. Abarum in Ducatum Forojulianum impreſſio.
XIII. Abares, Slavi dicti, in Beneventanum Ducatum irrumpunt.
XIV. Abares Langobardorum auxiliares, adverſus Forojulianum Ducem.
XV. Alii Abares, & alii Sclavi, quamquam aliquando pro iiſdem habiti.
XVI. Hunni Cuturguri & Uturguri.
XVII. Corrupta Uturgurorum & Cuturgurorum nomina.

Hun-

Digitized by Google

XVIII. Hunni Cuturguri in Romanam ditionem ſub Juſtiniano invadunt.
XIX. Uturguri a Juſtiniano in Cuturguros incitati.
XX. Procopius cum Agathia comparatur quoad Cuturguros & Uturguros.
XXI. Cuturguri & Uturguri, partim Abaribus ſubjecti, partim Turcorum Regi.
XXII. A Turcorum Rege devicti Abares, Ephthalitæ, & Oguri, ſive Varchonitæ, Hunnicæ gentes.
CAP. X. Abarum Hunnorum res geſtæ. 400.
I. Abares Varchonitæ, dicti Pſeudabares: qui nimirum Pannoniam poſtea obtinuerunt.
II. Abarum geſta ſub Juſtino Juniore Imperatore.
III. Abarum geſta ſub Tiberio Imp.
IV. Abaricum bellum ſub Mauricio Imp. in ſuos annos diſtributum, ab anno Chr. 582. ad ann. 601.
V. Abarum res geſtæ ſub Phoca & Heraclio.
VI. Abares Conſtantinopolim obſident.
CAP. XI. Bulgarorum, Chrobatorum, & Serviorum initia ſub Heraclio Imperatore. 435.
I. Quid Nicephorus Patriarcha CP. de Hunnis Abaribus, & Hunnogunduris, ſub Heraclio?
II. Hunnogunduri iidem ac Hunni Oguri, ſeu Iguri.
III. Quo anno Pannonia ab Ihuris, ſive Jugricis populis, qui & Ungari dicti, occupata? notantur Guagnini, & Thvvroczii allucinationes.
IV. Thvvroczii inconſtantia circa Hungarorum in Pannoniam adventum.
V. Bonfinii & Cromeri allucinatio.
VI. Juhra ſeu Jugra Hunnorum Igurorum, ſive Hungarorum, Regio.
VII. Bulgari ab Hunnogunduris & Cuturguris ſive Cotragis diverſi, quamquam unus idemque Cubratus iis omnibus præfuerit.
VIII. Nicephori ac Theophanis locus de Bulgaris, & Hunnogunduris exponitur. Pagii & Cangii, clarorum virorum, allucinatio.
IX. Cobrati Bulgarorum, Hunnogurorum, & Cuturgurorum Principis, ejuſque filiorum, ſub Heraclio & Conſtantino Pogonato res geſtæ.
X. Bulgarorum initia & progreſſus ab anno 678.
XI. Chrobati, & Servii ſub Heraclio ſedes in Illyrico & Dalmatia figunt: ex Conſtantino Porphyrogenito.
XII. Prima Bulgarorum, Chrobatorum, & Serviorum regio.
XIII. Cur Bulgari, Chrobati, & Servii, ſub Heraclio Imp. ſedes ſibi in Romani Imperii terris quæſiverint.
XIV. Chrobati in Dalmatia ſub Heraclio: eorumque mores, ex Porphyrogenito.
XV. Cangii ſententia de Chrobatis expenditur.
XVI. Tres Chrobatorum Tribus.
XVII. Pagius Chrobatorum in Dalmatiam adventum ponit ad annum 630. Incertum tamen, ait, quo primum tempore Archiepiſcopus Spalatenſibus fit datus? Verum id extremis Heraclii temporibus contigiſſe oſtenditur.

Digitized by Google

XVIII. Bandurius & Lucius Chrobatos aſſerunt non ſub Heraclio, ſed ſub Juſtiniano Rhinotmeto Conſtantini Pogonati filio, in Dalmatiam adveniſſe.

XIX. Impugnatur Lucii ac Bandurii de Chrobatis ſententia, & primo oſtenditur Slavos ſub Dagoberto Francorum Rege a Chrobatis eſſe diverſos.

XX. Slavini a Juſtiniano Rhinotmeto ſubacti, a Chrobatis diverſi.

XXI. A Chrobatis e Dalmatia, juſſu Heraclii, ejecti Hunni Abares, qui eam regionem ſub Mauricio occupaverant.

XXII. Juſtinianus Rhinotmetus nuſquam Heraclius dictus: neque in Chrobatos Dalmatiam occupantes ullam ſuſcepit expeditionem.

XXIII. Chrobati ſub Heraclio Dalmatiam occcupantes, ſtatim baptiſmum ſuſceperunt, præter Arentanos. Quos vero ait Porphyrogenitus, Francorum jugum excuſſiſſe, non ii ſunt qui in Dalmatia permanſerant, ſed qui in Pannoniam & Illyricum, ab iis ſecedentes, migraverant.

XXIV. Locus Porphyrogeniti de Chrobatis exponitur.

FINIS INDEX.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 07022 2594

BOOK CARD
CE
81
.A844
v.1
AUTHOR Assemanni.
TITLE Kalendaria ecclesiae univer-
sae.
010911
SIGNATURE | ISS'D | RET'D

B 3 9015 00231 277 8
University of Michigan BUHR
Digitized by Google

Digitized by Google